SC·11·Pl.6.

37
D
6

MA: 1279

Digitized by Google

Digitized by Google

VERA
ECCLESIA CHRISTI
SIGNIS, AC DOGMATIBUS DEMONSTRATA

CONTRA

JACOBI PICENINI

Apologiam pro Reformatoribus, & Religione Reformata, atque ejus Religionis Triumphum.

OPUS

EMINENTISSIMI, AC REVERENDISSIMI

FR. VINCENTII LUDOVICI CARDINALIS GOTTI

ORDINIS PRÆDICATORUM,

Latinis litteris conſignatum

A FR. VINCENTIO THOMA COVI

EJUSDEM ORDINIS.

Tomus II. Pars II.

BONONIÆ MDCCL.

Apud Hieronymum Corciolani, & H. H. Colli ex Typographia S. Thomæ Aquinatis. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

INDEX

Articulorum ſecundæ Partis Tomi ſecundi.

ARTICULUS XI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I. *De materia, & forma Pœnitentiæ.* pag. 1
§. II. *Pœnitentia Sacramentum eſt a Baptiſmo diſcretum.* 5
§. III. *De Attritione, & Contritione.* 9
§. IV. *Confeſſio peccatorum eſt ex divina inſtitutione.* 13
§. V. *Traditio Confeſſioni favet, & ipſius Confeſſionis neceſſitas.* 20
§. VI. *Nectarii factum expenditur, & quædam Joannis Chryſoſtomi dicta.* 25
§. VII. *Palpabilia quædam Piſenini mendacia aperiuntur.* 35
§. VIII. *Poteſtas abſolvendi apud Sacerdotes.* 40
§. IX. *Expeditur Confeſſio ab iniquis quibuſdam calumniis.* 48

ARTICULUS XII.

De Euchariſtia.

§. I. *Teſtimonium humanorum ſenſuum nihil probat contra divinam Tranſubſtantiationem.* 52
§. II. *Tranſubſtantiatio naturali rationi non repugnat.* 57
§. III. *Quid referat Pronomen* Hoc, *&* Hic *in verbis conſecrationis.* 65
§. IV. *Piceninus peſſime extorquet ſenſum typicum ex verbis ſimplicibus, non typicis, Chriſti, & D. Pauli.* 72
§. V. *Jeſus Chriſtus apud D. Joannem loquitur de Euchariſtia.* 86
§. VI. *Nonnullæ regulæ ad recte cognoſcendum tropicum, & figuratum ſenſum.* 97
§. VII. *Sequuntur vindiciæ Tranſubſtantiationis.* 107
§. VIII. *Varia D. Auguſtini loca vindicata a perverſis Picenini argutationibus.* 116
§. IX. *S. Juſtinus, & Irenæus, cum Tertulliano, & Theodoreto, a Picenino male intellecti, & peſſime interpretati.* 132
§. X. *D. Auguſtinus propitius nunquam, ſed contrarius ſemper eſt Picenini deliramentis.* 137
§. XI. *Origenes, Gelaſius, D. Ambroſius, & Facundus, omnino contrarii Picenini figmentis.* 143
§. XII. *Figmenta quædam & falſitates Piſenini exploduntur.* 150
§. XIII. *D. Hilarius, Joannes Damaſcenus, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus, cum Cyrillo Jeroſolymitano, omnino favent reali præſentiæ.* 156
§. XIV. *Concilia Tranſubſtantiationem fatentur.* 166

ARTICULUS XIII.

De Venerabili Sacrificio Sanctæ Miſſæ.

§. I. *Sancta Miſſa verum eſt Sacrificium, propitiatorium, commemorativum, & applicativum.* 178
§. II. *D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos favet, nunquam vero contradicit Sacrificio Sanctæ Miſſæ.* 184
§. III. *Vera Eccleſia Chriſti ſuos habet Sacerdotes.* 190
§. IV. *Vera Chriſti Eccleſia Altaria ſua habet.* 192

§. V. Sa-

§. V. Sacrificium Melchiſedech, Sacrificii noſtri figura fuit apertiſſima. 104
§. VI. Teſtimonium Malachiæ Prophetæ. 107
§. VII. Sacrificium Sanctæ Miſſa comprobatum ex novo Teſtamento. 108
§. VIII. Rejiciuntur perverſa Piccnini commenta circa perſpicua & vera Sanctorum Patrum ſenſa. 103
§. IX. De adoratione Sacræ Hoſtiæ. 106

ARTICULUS XIV.

De Invocatione Sanctorum.

§. I. Sanctorum Invocatio recenſita in veteri lege, in Eccleſia naſcente ſuppoſita, Scripturis Sacris non oppoſita, ſed conformis. 214
§. II. Invocatio Sanctorum commendata a priſcis Patribus. 215
§. III. Non idololatricus, ſed legitimus, & immaculatus eſt cultus, qui Sanctis præſtatur. 223
§. IV. Eadem res agitur, & quædam D. Auguſtini dicta exponuntur. 229
§. V. De cultu, & titulis præſtitis Sanctiſſimæ Virgini. 238
§. VI. Synodus Carthaginenſis III. a Piccnini calumniis vindicatur, & quædam explicantur Catholica dicta. 244
§. VII. Beati, & Sancti audiunt preces noſtras, & quomodo audiant. 250
§. VIII. Vindicantur, & explicantur nonnulli Sacræ Scripturæ textus, & Liber etiam Baruch. 268
§. IX. Propugnatur textus Libri 2. Machabæorum & alter D. Lucæ Evangeliſtæ. 269
§. X. Antiquitas cultus, & Invocationis Sanctorum. 272

ARTICULUS XV.

De Sanctorum Reliquiis.

§. I. De Eccleſia veteris Teſtamenti. 288
§. II. De primæva Chriſti Eccleſia, & ejus cultu erga ſanctas Reliquias. 293
§. III. Vindiciæ eorum, quæ D. Hieronymus adverſus Vigilantium ſcripſit. 305
§. IV. De veritate, aut falſitate Reliquiarum. 306

ARTICULUS XVI.

De veneratione debita Imaginibus, Templis, & Sanctorum tumulis.

§. I. De Imaginibus Dei. 316
§. II. De ſacris Imaginibus in genere. 319
§. III. Antiquitas cultus Imaginum. 323
§. IV. De cultu Imaginum, & Sanctiſſimæ Crucis. 330
§. V. Quæ ſit differentia inter Gentilium Idola, & Sanctos noſtros. 335
§. VI. Quædam circa cultum, & uſum Imaginum. 343
§. VII. Quomodo Decalogi præceptum de ſculptilibus non conſtandis ſit intelligendum. 347
§. VIII. De Serpente æneo, de duobus Cherubim, & nonnullis textibus peſſime a Calvino propoſitis. 352
§. IX. Nicæni II. vindiciæ. 354
§. X. Illiberitani Concilii Canon expenditur. 361
§. XI. Expenduntur Piccnini commenta ad Synodum Francofordienſem. 364
§. XII. Veterum Patrum textus a Calvino depravati & de cultu Sanctæ Crucis. 369
§. XIII. Expenditur D. Epiphanii factum, & Iconoclaſtarum hæreſis. 372
§. XIV. Quidam D. Auguſtini textus inique citati. 376
§. XV. Quædam facta, & hiſtorica Traditiones circa Imagines vindicantur. 378
§. XVI. Refutantur varia quæ in Triumpho Piccnini ſparſit. 383
§. XVII. De Chriſtianorum Templis, & Martyrum Sepulcris. 387

VERA

Digitized by Google

VERA ECCLESIA CHRISTI
DOGMATIBUS DEMONSTRATA.

ARTICULUS XI.

De Sacramento Pęnitentiæ.

§. I.

De materia, & forma Pęnitentiæ.

1. IN hanc arenam Apologiæ art.9., Triumphi cap. 24. a Purgatorio me provocas; & provocas non ad Paradiſum, ſed ad Pęnitentiam. Licet autem iſtam non minus ac illud inſecteris, nihilo ſecius hìc diſſimulas, & Panigarolam devoves diris, quod te quo intus oles odoretur, & Calvinum adverſarium habere contendat. Porro etſi Calvinus Pœnitentiam in *genere* non inficietur, id tamen rejicit quod de neceſſitate requiritur ut peccati remiſſio ſequatur, totque Scripturæ locis a Deo præſcribitur, ut gratiæ ſuæ dono ad nos convertatur. Putas ne impiæ doctrinæ tuæ circa juſtificationem me oblitum? ſiquidem poſt tot nenias, quod doceremus, peccatorem non juſtificari, quin intrinſece diſponatur, modo *pag.* 325. fateris *neceſſariam eſſe diſpoſitionem noſtram*, & nihilominus juſtificationem eſſe mere gratuitam. Pœnitentia, ut ad juſtificationem vere diſponat, non ſatis habet *fruſtranea non eſſe pęnitentiæ opera, nec inutilem cordis contritionem, & oculorum lacrymas*, ſed ultro requiruntur contritio & lacrymæ utcunque juſtificationi præire; quod enim velut effectus, vel ſignum, quibus dignoſcitur peccator juſtitiam habere, ſi diſpoſitio eſt, ad hoc Dei donum ſuſcipiendum peccatorem parare debet. Non injuria itaque Panigarola de vobis aſſerit, *Deum nos juſtificare, quin ex nobis ulla ſit diſpoſitio*; & re vera non aliter a te aſſerendum, ſi probatum velis, ſolam fidem ad juſtificationem pertinere: opera quippe prævia ad fidem, ad illam diſponere nequeunt, ſecus purus putus Pelagianus eris. Non hìc attendo quæ Bellarminus, quæ Valentia proferant; ad ea tantum me refero, quæ Apolog. *pag.* 263. & 267. docebas de Pœnitentia, quæ ſcilicet, ſicut & cetera bona opera, ſint *ſigna tantum juſtificati, & neceſſaria quidem, ad perſuadendum videlicet hominem eſſe juſtificatum*; nunquam tamen Pœnitentia eſt diſpoſitio, ut a Deo remiſſio donetur.

2. Ergo *Pęnitentiam concedis*; quæſtio autem tua unice verſatur, *an illa ſit verum Sacramentum novi Teſtamenti, ſicut Baptiſmus, & Cœna*. Id Calvinus negat, quem ſequuntur omnes Proteſtantes; ego autem affirmo, & præſto ſum rationem reddere. Peto: Quamobrem Pœnitentia non eſt Sacramentum? *Nempe* (ais) *in-*

quolibet Sacramento video elementum, naturale ſignum, viſibile; in Baptiſmo aqua, in Cœna panis & vinum adeſt. In Pœnitentia autem, quale elementum, quale naturale viſibile ſignum valet exhiberi? Plura inde hic congeris, tum in Apolog. *pag.* 326., tum in Triumph. *pag.* 248., quibus opportune occurram. Si in quolibet Sacramento opus eſt elemento, ſigno nempe naturali viſibili, cur in Triumpho *pag.* 248. *elementi nomen non accipis ſtricte; videlicet ignem, aerem, aquam, & terram?* Etenim hac ratione neque Cœna Sacramentum eſſet, dum in ipſa non adeſt niſi panis, & vinum, quæ philoſophice loquendo elementa non ſunt. Igitur elementum apud te eſt ſignum naturale ſenſibile. Quamobrem autem actus pœnitentis, qui ſenſibiliter oſtendunt contritionem cordis, ac voce peccata explicant, eſſe nequeunt naturale ſenſibile ſignum, ſufficiens ad rem Sacramenti? Senſibiles enimvero ſunt: pectus namque ſibi tundere, plorare, peccata confiteri, ſenſibilia ſigna ſunt; ſin vero *naturalia*, quid *naturale* intelligis? Forte naturæ opus, non artis? Si ita, neque tua Cœna erit Sacramentum, quia panis & vinum opera ſunt artis: conſecratio autem, vel ipſa diſtributio, actiones ſunt hominis, non minus ac illæ pœnitentis, qui confitetur peccata ſua, & de ipſis dolet. Ad hæc. Quid lacrymis, & gemitibus pœnitentis deeſt, ne ſint naturalia ſigna intimi doloris? Audiamus Sacramenti definitionem, quæ juxta nos nimirum eſt *ſignum viſibile inviſibilis gratiæ*, juxta Lutherum *lib.* 30. *capt. Babyl. cap. ultimo* eſt *promiſſio, quæ conjunctum habet externum ſignum.* Apologia vero Auguſtanæ Confeſſionis *art.* 13. ſic ipſum deſcribit: *Sacramentum eſt ritus habens Dei præceptum, cui adjungitur promiſſio gratiæ.* Juxta Calvinum *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 14. §. 1. eſt *ſymbolum externum, quo Dominus obſignat conſcientiis noſtris promiſſiones ſuæ benevolentiæ erga nos.* Omnes igitur confitemur Sacramentum eſſe debere ſignum, aut externum ſymbolum, quin ſtatuamus quale eſſe debeat hoc ſignum, cui adjungitur promiſſio gratiæ a Deo ſancita. Actus, quibus peccator delicta ſua fatetur, & dolorem exprimit, ſunt ſigna externa, & ſenſibilia, quibus annexa eſt promiſſio remiſſionis, & gratiæ: quare ergo non conficiunt Sacramentum? Prætendis hujuſmodi actus eſſe *morales*; ego autem contendo reales eſſe, & phyſicos. Actio qua tecum alloquor nonne phyſica eſt? Organum eam emittens phyſicum eſt, vocis modulatio item phyſica: quamobrem autem non idem erit actus peccatoris loquentis, delictorum verba modulantis, & doloris anguſtias revelantis? Neque enim dum de Pœnitentiæ Sacramento verba facio, de interna Contritione, aut mentali Confeſſione loquor, ſed de ea, quæ ex ore, labiiſque extrinſecus ſonat, quæ quomodo negari valeat ſignum eſſe ſenſibile, & naturale, modo jam explicato, capere nequeo. Dicere autem ſatis non eſſe ad Sacramentum *verba ſub ſenſu cadere, ſed ulterius quod viſibile ſit ſignum repræſentatum*, adverſum me abſolute non facit; etenim ſi præter ſenſibilia verba Sacerdotis, in ipſa Pœnitentia Peccator fatetur delicta, & dolorem ſuum patefacit, aut voce, aut ſignis, cur ſignum non præſtat viſibile? Si autem ſignum hoc ſenſibile, diſtinctum eſſe a quocunque verbo quiſpiam prætenderet; & ego a quo id aſſeritur probatum vellem. Ex definitione Sacramenti utrinque exhibita nil amplius evincitur, niſi quod ſit ſignum externum ſenſibile. Quod autem neceſſario eſſe debeat res naturalis, non actus humanus, a ſolis Proteſtantibus id audio. Immo etſi Calvinus *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 19. §. 34. neget Matrimonium Sacramentum eſſe, idcirco negat, reputans talem externum ritum non eſſe, cui adjuncta ſit promiſſio gratiæ, neutiquam vero quod ipſi deſit ratio ſigni ſenſibilis. Utique D. Auguſtinus *Tract.* 80. *in Joann.* ſcribit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; at-

ta-

tamen verum item eſt, ibidem non loqui de Sacramento in genere, ſed ſpeciatim de Baptiſmo; unde ſubdit: *Detrahe verbum, quid eſt aqua niſi aqua?* In quolibet Sacramento adeſſe debet ſenſibile ſignum, ſed proprium, ac aptum naturæ Sacramenti, & ejus ſignificationi: *Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.* D. Auguſtinus *Epiſt.* 98. *olim* 23. *ad Bonifac.* In Baptiſmo, qui ſpiritualiter abluit, ſignum viſibile eſt aqua. In Euchariſtia, ſpirituali convivio, ſigna ſunt panis, & vinum. In Pœnitentia, quæ eſt ſpirituale judicium, in quo peccator reus eſt, delator, & teſtis contra ſe, & miniſter Judex eſt Dei vice, quodnam ſignum ſenſibile præſentabitur? Profecto non aliud, quam contritio, & confeſſio delinquentis: hæc res eſt, ſive materia, in quam abſolutio, vel damnatio fertur in quocunque tribunali. D. Auguſtinus tamen ait *lib.* 10. *cont. Fauſtum cap.* 16., Sacramentum ſignum eſſe viſibile inviſibilis gratiæ; ubi *viſibile* accipit quemadmodum alibi *elementum*. Quomodo autem *elementi* nomine comprehendit omne ſenſibile, ſic viſibilis nomine non ea tantum quæ oculis objiciuntur, ſed ea omnia comprehendit, quæ inviſibilia non ſunt, nempe ſpiritualia: quod ipſemet declarat *Serm.* 272. *ad Infantes* relatus a Calvino: *Sacramentum ideo dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur habet ſpeciem corporalem, quod intelligitur fructum habet ſpiritualem.*

3. Hactenus de materia proxima, quam *ritualem* appellas, quæ in hoc Sacramento ſunt actus externi pœnitentis. Petis inſuper Triumph. *pag.* 249., atque ais in tua Cœna *materiam adeſſe ritualem nuncupatam, nempe conſecrationem Panis, & Vini, diſtributionem, ut manducetur ille, bibatur iſte. Inſuper autem adeſſe ſubſtantialem materiam, nempe Panem, & Vinum. In Pœnitentia, actus Pœnitentis, conteri ſcilicet, & confiteri, repoſcunt aliam materiam. Unde habet Pater Andreas?* Habemus utique hanc materiam, quæ *ſubſtantialis* a Proteſtantibus, a nobis vero *remota* dicitur, ſed idoneam naturę Sacramenti. In Pęnitentia, ad normam judicii conſtituta, in qua cauſa agitur, & abſolvitur peccator baptizatus, quæ aptior erit? Panis, vinum, aqua, aliave naturalis ſubſtantia? Quæ eſt ſubſtantialis materia in judiciis forenſibus? Nunquid aliquod elementum? Sed judicii incapax eſt. Materia in judiciis forenſibus ſunt lites, cauſæ quæ ibi aguntur, & definiuntur. In criminalibus materia ſunt delicta, de quibus habita rei confeſſione, Judex ſententiam pronuntiat. Pœnitentia itaque, ſi Sacramentum eſt ad inſtar judicii, quam habebit materiam, niſi peccata, quæ poſt confeſſionem ex ſententia Sacerdotis judicantur? *In Cœna*, ais, *non eſſet dividere, diſtribuere, frangere, ſi panis non adeſſet, & vinum: hinc frangere &c., materia eſt ritualis, panis, & vinum materia ſubſtantialis.* Atqui in Pœnitentia, neque contritio, neque confeſſio intereſſet, niſi forent peccata; ergo conteri materia eſt ritualis, peccata ſunt materia ſubſtantialis. *Materia proxima hujus Sacramenti ſunt actus pœnitentis; cujus materia ſunt peccata, de quibus dolet, & qua confitetur, & pro quibus ſatisfacit. Unde relinquitur, quod remota materia Pœnitentiæ ſint peccata, non acceptanda, ſed deteſtanda, & deſtruenda.* Ita D. Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 2. Ad hæc ſuſcipis Triumph. *pag.* 249.: *Adeſt peccatum ut materia, adeſt & forma: Ego te abſolvo. Iſta illud removet, & forma eſt deſtruens materiam. Sed non fert Philoſophia, in qua forma dat eſſe materiæ. Non fert Theologia, in qua forma adhibita materia conficit Sacramentum.* Si tandem diſcere velles Pœnitentiam Sacramentum eſſe ad inſtar judicii, abſonum tibi minime videretur formam Pœnitentiæ auferre, non conferre eſſe materiæ, quæ ipſi ſubjicitur. In judiciis civilibus ſententia non facit lites, quas ut materiam reſpicit, ſed eas dirimit; in

criminalibus vero ſententia non fovet delicta, ſed deſtruit pœnis. Quid porro mirum, quod Sacerdotis ſententia peccata non conſtituat, ſed abſolvat? In Baptiſmo nonne aqua conſumitur? & tamen eſt materia. Cur non etiam peccata materia erunt, licet deſtruenda?

4. Novum argumenti genus ad hujus Sacramenti materiam labefactandam excogitas Triumph. *pag.* 240., diſcrepantiam ſcilicet quam tibi fingis inter Doctores noſtros; quamobrem interrogas: *Quid ſibi vult tanta varietas? Nonne indicium hoc eſt perſpicuum, nullam eſſe certam materiam, nihil firmum?* Expendamus tot garrula verba. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *Can.* 14. vocat *actus pœnitentis quaſi materiam*. Ad hæc reſponſa reddit Catechiſmus ejuſdem Concilii *de mat. Pœnit. num.* 17.: *Neque enim hi actus quaſi materia a ſacra Synodo appellantur, quod vera materia rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aqua in baptiſmo*. Audiſtin? Si Franciſcani *ad Concilium detulerunt, non poſſe contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem, materiam eſſe Sacramenti Pœnitentiæ*, hoc tamen non obſtante Sancta Synodus præfatos actus nuncupavit *quaſi materiam*, quia vices, & munus habent *materiæ*. Illa Synodus, quæ Pœnitentiam Sacramentum eſſe adverſus Proteſtantes tueri debebat, quidquid in contrarium opponi poterat audiebat: quod in omnibus Conciliis practicatum fuit; ſi vero reſpicias tua Conciliabula, clamoribus deprehendes undique frementia. Franciſcani, Doctoris ſui Scoti doctrinam objecerunt, qui contritionem quidem, confeſſionem, & ſatisfactionem ad Pœnitentiam neceſſarias eſſe reputans, non eas tamen *materiam* aſſerere audebat. quod *materia* ea ſit, quæ a miniſtro ſuſcipienti applicatur, non ipſa ſuſcipientis operatio, ut in reliquis Sacramentis conſtat. Sancta tamen Synodus, attenta Sacramenti naturâ, quod judicii ratione procedens, actus Judicis, ac rei complecti debet, actus pœnitentis partem, & *quaſi materiam* Pœnitentiæ nuncupare non dubitavit. Quid porro ex his Picenine ſperas? Fortaſſe Pœnitentiam non habere materiam, nec Sacramentum eſſe? Falleris: quanquam enim inter Catholicos Doctores diſputatum ſit, quæ Pœnitentiæ materia ſit, una tamen fatentur omnes, materiam talem haberi, qua Sacramentum valeat compleri. Varietas autem opinionum de materia Pœnitentiæ, nunquam inter noſtros tam enormis fuit, quantum inter Lutheranos, & Zuinglianos de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia dimicatum eſt, haud verbis, quam armis: neque tamen ex his quiſpiam unquam hæſitavit de veritate Sacramenti Euchariſtiæ. Quid ergo ex aliqua ambiguitate Doctorum circa materiam Pœnitentiæ, a veritate Sacramenti iſtam dejicere contendis? Subdere quod *inconveniens ſit pœnitentis actus conſtituere Pœnitentiæ materiam, quemadmodum incongruum foret confeſſionem, orationem, devotionem communicantis partes aſſerere communionis, & Euchariſtiæ materiam*, defectus elenchi eſt, naturam non diſcernens Sacramentorum. Euchariſtia cibus eſt ſpiritualis, qui ut hujuſmodi ſit, non eget actibus aſſumentis. At Pœnitentiæ Sacramentum judicio conſtat; judicium autem non ex ſolo Judice, ſed ex actibus Judicis, & rei confitentis, & aſſerentis delicta expletur: quod omnino patet in humanis. Quia in foro fori juſtificare, unice eſt declarare, ſive pronuntiare juſtum, nonne Proteſtantes volunt idem unice fieri in foro poli? Quid ergo ſi in foro fori actus Judicis, & rei judicium conſtant, Judicis ferendo ſententiam, rei fatendo delictum, in foro poli eadem non erit repræſentatio judicii? Tu qui tanti refers, ſuſcipientis actus in partem ingredi Pœnitentiæ, reſponde: Si attenta iniqua Calvini doctrina *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 37., Cœna dumtaxat Sacramentum eſt dum manducatur, & bibitur, extra autem hos actus, & uſum, Sacramentum non eſt; ergo actus

ctus recipientis, nempe ipſa manducatio, & potus, ad Sacramentum pertinent tanquam partes, ſine quibus nullum eſt Sacramentum, quemadmodum ablutio pars eſt Sacramenti Baptiſmi, quia ſi illa non ſit, Sacramentum non ſit. Diſplicet iterum tibi Sacramenti Pœnitentiæ forma, de qua interrogas: *Ubinam eam reperit Monachus? In Verbo Sancto?* Inibi nempe, ubi forma Baptiſmi invenitur, quæ illis comprehenditur verbis: *Baptizantes eos &c. Matth.* 28. 19. Forma quippe Pœnitentiæ in his continetur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* (*Joann.* 2. 23.). Quemadmodum autem ex illis verbis *baptizantes eos*, forma Baptiſmi deſumitur, nempe *Ego te baptizo*, ita ex iſtis *quorum remiſeritis &c.*, abſolvendi forma conſtruitur, nempe *Ego abſolvo te a peccatis tuis*, quod idem ſonat, ac *Ego remitto tibi peccata tua*. Porro vide, ſi forma Panigarolæ humanum eſt commentum.

§. II.

Pœnitentia Sacramentum eſt a Baptiſmo diſcretum.

5. HÆreſum venenum, quo tabeſcis animo, frequens lingua excreat. Sic interrogas *pag.* 327.: *Quæ neceſſitas eſt novum Pœnitentiæ Sacramentum conficere? Non eſt Baptiſmus? Non eſt Baptiſmus jam Pœnitentiæ Sacramentum.* Audi. Quæ neceſſitas, poſtquam Chriſtus Apoſtolis dixerat: *Euntes &c.*, *baptizantes eos*, addere: *Quorum remiſeritis peccata? Non erat Baptiſmus?* Ergo iſtud eſt, ut ea quæ in infidelitate commiſſa ſunt, peccata deleantur; illud eſt, ut ea quæ poſt fidem committuntur, peccata remittantur: quippe ſi fideles non peccarent, nullo Sacramento remiſſionis indigerent; peccant autem, heu nimium! nec erit neceſſe Sacramentum, peccatorum remedium? Conſulatur Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 1. Joannis Baptiſmus erat pœnitentiæ, quia homines præparabat ad ſuſceptionem Baptiſmatis Chriſti, & ejus fidei. Non me latet Calvino videri, Joannis, & Chriſti Baptiſmaunum dumtaxat eſſe diſtincta manu collatum. Verum id nego. Baptiſmus enim Chriſti proprie non eſt pœnitentiæ, ſed regenerationis Baptiſmus, cum baptizentur parvuli pœnitentiæ ignari; tametſi vero Baptiſmus Chriſti ad pœnitentiam daretur, quomodo baptizatus, peccato obnoxius, Baptiſmo uti ad pœnitentiam valet, ſi Baptiſmo iterum renaſci nemini licet? Præſto ſit, inquies, memoria ſuſcepti Baptiſmi. Verum falleris, ut infra oſtendam. Vociferaris autem *veteris Teſtamenti Eccleſiam veram habuiſſe Pœnitentiam, quæ in vera contritione cordis, & ſincera emendatione vitæ tota ſiſtebat*. Pœnitentiæ Sacramentum in Eccleſia veteri oſtendere nunquam excogitavi: *Porro nec ante adventum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum. Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 1. Quemadmodum vero in illa etiam, præter circumciſionem, expiationes, ſacrificia, & confeſſio pro peccatis credentium habebantur, ut legitur *cap.* 4. *& 6. Levitici*, ex his deducimus, ad expianda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, non ſufficere ejus memoriam, ſed novam requiri expiationem per Sacramentum ab illo diſtinctum. Contritionem cordis medium optimum eſſe ad impetrandam veniam non modo non inficiamur, ſed & neceſſariam eſſe aſſerimus; præterea tamen Deo in Pœnitentiæ Sacramento, & ſub ſenſibili forma exhibendam eſſe contendimus. Quemadmodum enim quis fidelis vere non erit, etſi in Jeſum Chriſtum credere fateatur, niſi Baptiſmum ſuſcipiat, & inter Eccleſiæ membra per Dei miniſtros referatur, quia ſcriptum eſt *baptizantes eos*, ita de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis veniam a Deo non ille ſtatim obtinet, qui dicit: *Domine me pœnitet*, niſi pœnitentiam ſuam Dei miniſtris actu ſubjiciat, quia ſcriptum eſt *quorum remiſeritis peccata, &c.* Neque idcirco efficacia, & privilegia Pœnitentiæ abrogantur, quemadmodum nec effica-

cia,

cia, & dignitas fidei diminuitur. Si tamen non ſufficit fides, niſi comitem habeat Baptiſmum, neque Pœnitentia ſe ſola ſufficiet, niſi Sacramento conjungatur, vel in re, vel in voto; quam ob rem Tridentina Synodus ſic concludit *Seſſ. 14. cap. 2.: Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.*

6. D. Hieronymus *Ep. 93. ad Sabinian., & 97. ad Demetriadem*, Pœnitentiam appellat *ſecundam tabulam poſt naufragium*. Panigarola autem merito iraſcitur ſceleſto Calvino, quod dicat *impiam eſſe locutionem hujus Sancti*. Hinc Picenine graviter offenderis, & Panigarolam rabido dente dilaceras, qui verba Calvini tui non omnia retulerit, quippe *Lib. 4. Inſtit. cap. 9. §. 17. impiam* dicit Pœnitentiam, *ſi ex eorum ſenſu exponitur*, videlicet ut a nobis Catholicis exponitur. Verum neque tu Calvini tui fidelis es nuntius; ſiquidem poſtquam *impium* eſſe protulit Pœnitentiam appellare *ſecundam tabulam poſt naufragium, ſi ex eorum ſenſu exponitur*, ſubdit: *Quod autem dure, & improprie Hieronymus dixit* (ſic maximum Doctorem commendat) *Pœnitentia reparari Baptiſmum, iſti ad ſuam impietatem trahunt.* Quæ quæſo impietas a nobis pronuntiatur? Nempe: *Quaſi vero per peccatum deleatur Baptiſmus, & non potius in memoriam revocandus ſit peccatori &c.* En calumniam. Quis unquam ex noſtris auſus eſt dicere, per peccatum quaſi deleri Baptiſmum? Dicimus *memoriam* Baptiſmi Calviniſtico ritu non ſufficere, ut peccatum deleat poſt Baptiſmum commiſſum. Hæccine impietas? D. Hieronymus præcitatis locis Pœnitentiam conſulens, *memoria* Baptiſmi nullam mentionem facit, ſed de ſingultibus, & lacrymis, quibus diluantur peccata. Deus ipſe, cum in veteri lege Hebræis Pœnitentiam agère mandabat, opera pœnalia imponebat, nunquam Circumciſionis *memoriam*: quam ob rem ſi *impius* ſit ſermo noſter, hujuſmodi pariter erit ille Hieronymi, immo ipſius Dei. Hieronymus nequaquam reprehendit inſerentes ex dictis ſuis opera pœnalia, & ſatisfactoria, ut tu Cairine impoſtor maximum hunc Doctorem calumniaris, qui e contra in ambabus præfatis Epiſtolis ad illa vehementer hortatur: redargueret ſane quos audiret aſſerere, ſecluſis pœnalibus operibus, ſolam Baptiſmi *memoriam* ad Pœnitentiam valere, & remiſſionem peccatorum. Qui videre aveat in quo D. Hieronymus Pœnitentiam collocet, an in *memoria* Baptiſmi, ſive in operibus pœnalibus, legat Epiſtolam 84. *ad Oceanum de morte Fabiolæ*, inde decernat qui ſint cavillatores ſermonum Hieronymi, nos ſcilicet, an Calvinus. Si D. Hieronymus non nominet *peregrinationes*, *Pater noſter*, *ſtationem ad aliquod Sepulcrum*, nominat tamen jejunia, cilicia, ſaccum, & cinerem, inſtrumenta pœnitentiæ Davidis, & Achabi; inde: *O felix pœnitentia, quæ ad ſe traxit oculos! quæ furentem ſententiam Dei confeſſo errore mutavit!* Hæc enimvero Sybaritica, & Epicurea illa Pœnitentia non eſt a Scholis Proteſtantium adeo commendata; nimium quippe mollitiem, & licentiam incommodat, dilectum, & unicum pſeudo reformationis ſcopum. Nos Pœnitentiam non concludimus *in peregrinatione, in decem Pater noſter, in duodecim Ave Maria*, ut tu ſycophanta componis, ſed in dolenti delictorum confeſſione, vi cujus, media Sacerdotis abſolutione, per Jeſu Chriſti merita veniam ſperamus; quapropter impudentiſſime mentitur, qui garrit ad merita humana, quam ac Jeſu Chriſti Sanguinem nos confugere: qui æque operatur in Pœnitentia, ac in Baptiſmo. D. Hieronymus *lib. 1. adverſus Pelagianos* ait, duas nobis paratas eſſe refugii domos, Baptiſmi primam, Pœnitentiæ alteram, quæ in effectu ſuo imitatur Baptiſmum. Qui peccaverit, ſubdit ille, *pergere jubetur ad Urbem fugitivorum, & tandiu ibi eſſe, quandiu Sacerdos magnus moriatur, id eſt redimatur Sanguine Salvatoris, aut in domo Baptiſmatis, aut in*

Pœnitentia, qua imitatur Baptiſmatis gratiam per ineffabilem clementiam Salvatoris. Re vera autem quo confugimus, dum ad Sacramenta pergimus, niſi ad Jeſu Chriſti Sanguinem, cujus illa ſunt ſigna, & media, ad recipiendam juſtificationem? Cum ad Baptiſmum Picenine reſpicis, ut peccatorum impetres remiſſionem, deſpicis ne propterea Jeſu Chriſti merita? Quamobrem autem nos poſt Baptiſmum confugientes ad Sacramentum Pœnitentiæ, dicemur fugere a meritis, & ſatisfactionibus Chriſti? Actibus noſtris non juſtificamur, ſed præparamur: ad ſummum vero media ſunt, quibus merita Jeſu Chriſti, ex vi Sacramenti, nos ducunt ad juſtificationem; noſtræ autem ſatisfactiones temporalem ſupplent pœnam, non lethalem culpam, unde Tridentina Synodus *Seſſ.* 14. *cap.* 8.: *Neque ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus &c.*

7. Doctrinam noſtram ſatius rimari fas eſt, non deſperanter loqui. Quis unquam pronuntiavit, Jeſu Chriſti Sanguinem valere pro ſolo originali peccato, dum magis quam Proteſtantes optime ſciamus, ipſum *mundare nos ab omnibus peccatis*, & fateamur in omnibus Sacramentis, & actionibus noſtris operari, a quo unice illa efficaciam habent, & virtutem? Dicimus Baptiſmum eſſe pro peccato originali, & pro omnibus perſonalibus ante Baptiſmum commiſſis, in quo tanta efficacia Sanguis Chriſti operatur, ut omnis culpa, & pœna, nedum æterna, ſed & temporalis, omnino dimittatur. Dicimus, peccata actualia poſt peccatum patrata remitti per eundem Jeſu Chriſti Sanguinem in Sacramento Pœnitentiæ: nec unquam tamen proferemus, peccata poſt Baptiſmum commiſſa vel dimitti, vel venialia fieri per ſolam Baptiſmi *memoriam*, ut tu blaſphemas. Hæc doctrina in Scholis Proteſtantium traditur, a nobis proſcribitur. *Si quis dixerit peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmatis, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema ſit. Trid. ſeſſ.* 7. *can.* 10. *Si infans poſt Baptiſmum propria incipiat habere peccata, illa non regeneratione* (Auguſtinus eſt qui nos docet, & mentem noſtram aperit *Epiſt.* 23. *ad Bonifac.*) *auferuntur, ſed alia curatione ſanantur*. Et *in lib. de adult. conjug. cap.* 116., loquens de occiſore adulteræ, ait: *Si a Catechumeno factum eſt, Baptiſmate abluitur: & ſi a Baptizato, Pœnitentia, & reconciliatione ſanatur*. Quid innuere vult D. Paulus *ad Hebræos* 6. 4., dum ait, ſemel illuminatos, & deinde prolapſos, impoſſibile eſſe *rurſus renovari ad pœnitentiam?* Nunquid D Paulus Novatiano ſavet errori, nimirum nullam eſſe poteſtatem reconciliandi Deo lapſos poſt Baptiſmum? Significare vult, poſt Baptiſmum prolapſum, impoſſibile eſſe reconciliari Deo per Pœnitentiam hominem renovantem, qualis eſt illa Baptiſmi, ſed tantum per aliud Pœnitentiæ genus. Ita Chryſoſtomus *Hom.* 9., Theodoretus, OEcumenius, Ambroſius ad hunc textum, & D. Auguſtinus *Expos. Ep. ad Rom.*: *Eos enim qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per Pœnitentiam, non renovari, quia renovatio in Baptiſmo eſt*. Peccans igitur poſt Baptiſmum, non ad Baptiſmum confugiat ut renovetur, ſed ad Pœnitentiam ut curetur.

8. Audio te inſultantem ſic: *Exhibeat unum tantum textum, in quo Petrus aut Paulus pœnitenti injunxerint properare Jeruſalem, vel viſitare S. Sepulcrum, vel in ſpelunca macerari*. Prius oſtendas, quæſo, textum unum, in quo Petrus, vel Paulus peccatori commiſerint Baptiſmi *memoriam* revolvere, ad impetrandam veniam peccatorum. Indica Chriſtianum ex antiquis reconciliari Deo, fidentem per *memoriam* ſuſcepti Baptiſmi. Ignoravit ne D. Paulus arcanum hoc, tantam injungens Pœnitentiam Corinthio illi graviter delinquenti,

cum

cum ad ipſum Deo reconciliandum *memoria* ſatis eſſet ſe ſuſcepiſſe Baptiſmum? Quare D. Petrus *Act.* 8. 22. increpando Simonem Magum, qui Spiritum Sanctum emere ſacrilego ſcelere præſumpſerat, non ipſi ſubdidit, memento ſuſcepti Baptiſmi, ſed: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui?* Hic Pœnitentia, & oratio injungitur, & tamen remiſſio dubia promittitur *ſi forte*; a te vero venia large impenditur? Quo? Nihilo; ſola tantum Baptiſmi ſuſcepti *memoria*. Si D. Petrus Simoni peregre non injunxit proficiſci, Pœnitentiam tamen agere commiſit, nulla impoſita commemoratione Baptiſmi. Nec tamen deſinis oblatrare: *Væ peccatori, ſi peccata delere propria deberet Pœnitentia*! Male ergo D. Petrus ait: *Age pœnitentiam, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi?* Non D. Petrus a Simone exigebat ut propria pœnitentia peccatum expiaret, atque ita ſatisfaceret: quaſi Deus viſa pœnitentia, dare veniam teneretur; ſed pœnitentia, & orationibus diſponi ſuadebat, ſi forte placatus Deus miſericordia ſua ipſi parcere dignaretur. Hinc ut innoteſceret pœnitentiæ remiſſionem non deberi, ſed gratis poſt illam concedi, & donum Dei eſſe ſi obtineatur, ſubjecit: *Si forte remittatur tibi &c.* Atque idipſum nos quoque prætendimus.

9. Nunc de *ſecunda* Tabula poſt naufragium, de qua *pag.* 328. ais, illam *eſſe publicam Pœnitentiam; excommunicati autem credebantur a Baptiſmo defeciſſe, qui rigoroſa ſubjiciebantur Pœnitentiæ: & iſta non Deo, ſed Eccleſiæ ſatisfaciebat. Secunda* poſt naufragium tabula, cum prima, quæ Baptiſmus eſt, convenire debet. Iſta autem non Eccleſiam tantum, ſed Deum placatum reddit; ergo & illa. In veteri Eccleſia, tum publica, tum etiam privata vigebat Pœnitentia, illa pro ſcandaloſis, & gravioribus criminibus, ut Eccleſiæ ſatisfaceret; iſta pro quolibet delicto, ut a Deo veniam impetraret. Hæc Pœnitentia, omni tempore neceſſaria, Sacramenti formam obtinuit, ut docet *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 1., a Chriſto *Joann. cap.* 20., *cum a mortuis excitatus inſufflavit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata &c. Quo tam inſigni facto, & verbis perſpicuis, poteſtatem retinendi, & remittendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit*. In iſta ſatiſfactionis debitum remanet, non pro culpa, ſed pro pœna temporali: in Sacramento enim Pœnitentiæ, poſt abſolutionem Sacerdotis, & cum Deo reconciliationem, ſatisfactio impletur. Non itaque Eccleſia credit Chriſtianum poſſe propriis ſatisfactionibus veniam culpæ mereri; ſed gratis per Jeſu Chriſti merita credit Deo reconciliari: poſt vero ſatisfactio, quæ a Peccatore exigitur, pro pœna erit, non pro culpa, quæ in Sacramento remittitur. Hominis enim ſatisfactio, ſi pro culpa crederetur imponi, ante plenam ſatisfactionem peccator non permitteretur abſolvi, quemadmodum qui publicæ pœnitentiæ ſubditus erat, ut Eccleſiæ ſatisfaceret, pax ipſi non erat, donec integram pœnam non impleviſſet. Quocirca Pęnitentia Sacramentum, alia eſt a publica pœnitentia, quæ nonniſi completa pacem ab Eccleſia impetrabat; illa vero, nulla ſatisfactione præmiſſa, per Chriſti merita peccatorem Deo reſtituit. Hæc eſt Tabula *ſecunda*, quam homo apprehendit poſt naufragium, qui quemadmodum in peccato originali naufragium paſſus eſt, ita in actuali: quomodo autem Baptiſmus eum a morte liberat, ita Pœnitentia; neque peccata omnia ſcandalo ſunt Eccleſiæ, plura enim in occulto fiunt, omnibus tamen neceſſaria eſt Pœnitentia: quodlibet vero peccatum, etſi occultum, naufragantem facit animam, quæ per ſolam Pœnitentiam, tabulam ſecundam, ad ſalutem reparatur. Non ergo publica tantum Pœnitentia admitti debet, ſed & ſecreta.

§. III.

§. III.

De Attritione, & Contritione.

10. Suſurras *pag. 319.: Quæ pœnitentia eſt illa adverſariorum? Quot ex Segneri Societate docent, ad obtinendam peccatorum veniam naturalem ſufficere Attritionem, dummodo honeſta ſit?* Bene haberes, ſi diceres, ad diſpoſitionem veniæ a Deo obtinendæ per Sacramentum Pœnitentiæ, Attritionem ſufficere, quemadmodum ad eam aſſequendam in Baptiſmo hujuſmodi diſpoſitionem valere dicimus: ſed naturalem ſufficere Attritionem, dummodo honeſtam, a te audio, non a Coſtero, quem falſo profers; neque doctrinam noſtram, ſed chimæras tibi ſic fingis oppugnandas. Attritio, quæ juxta Tridentinam Synodum ſufficiens eſt ut homo diſponatur ad recipiendam divinæ reconciliationis gratiam in Sacramento Baptiſmi, & Pœnitentiæ, non illa eſt quæ oritur ex naturali averſione ad pœnam peccatis debitam, neque illa quæ reſpicit objectum aliquod, vel motivum naturale, ſed quæ oritur ex fide, qua peccator credit Chriſtum eſſe Mediatorem ſuum, & in ipſo ſpem ſuam reponit. Intelligens autem ſe peccatorem eſſe, hinc divinæ juſtitiæ timore concutitur, hinc in ſpem divinæ miſericordiæ erigitur, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore. Ex timore gehenna & malitia peccati manifeſtatur, ex miſericordia Paradiſus aperitur; hac conſideratione peccator ſummo dolore offenſę Dei tangitur, qua Paradiſum amiſit, & gehennam ſibi meruit, quocirca proponit efficaci voluntate nolle amplius peccare, deliberans per Sacramentum Pœnitentiæ velle Deo reconciliari, & per Jeſu Chriſti merita amiſſam gratiam recuperare. Per omnes iſtos gradus peccator a Spiritu Sancto dirigitur, qui ipſum movet & hæc doctrina eſt Tridentini Concilii *Seſſ. 6. cap. 6. & 14., Seſſ. 14. cap. 4.* Quomodo autem hæc dicenda erit naturalis Attritio, & mere honeſta, ita quod abſque auxilio gratiæ peccatorem pœniteat, & Pelagius thronum acquirat? Hujuſmodi Attritio incipit ex metu pœnæ, & deformitate peccati, ſed ultimo tendit in amorem. Pœnitentia filii prodigi a principio imperfecta erat, orta ex dolore amiſſæ proſperitatis: *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! Luca 15.;* hic tamen non reſtitit, ſiquidem gradatim cor ejus tangens motus gratiæ, ipſum traxit ad Patrem dolore perfecto: *Pater, peccavi in Cœlum, & coram te. Ibid. verſ.* 17. Filius prodigus progreſſurus ad Patrem, fidem habuit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Hic cœpit, attamen n n plene, juſtificari. Tunc vere juſtificatus, cum proſtratus coram Patre, hic *miſericordia motus*, ait: *Cito proferte ſtolam primam.* Quanquam autem dolore cordis diſpoſitus ad Patrem tenderet, longe tamen ab ipſo diſtabat: *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit eum Pater ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, &c.* Enimvero homo peccator, licet pœnitentia, aliiſque actibus ad implorandam veniam pro viribus ſe diſponat, longe tamen ſemper a Deo diſtat, donec miſericors Deus ad ipſum reſpiciens, & quodammodo accurrens, Chriſti juſtitiæ amplexibus, atque ejus innocentiæ ſtola ipſum induat, ac juſtificet; quibus conſtat quam erroneum ſit quod Picenine aſſeris, ſimplicem fidei actum ad juſtificationem ſufficere: tum etiam patet, quacunque præveniente gratia peccator diſponatur, a Deo tamen longe ſemper abeſſe, nec unquam invenire, niſi Deus ipſe ad eum reſpiciat, miſericordia accurrens, ut amiſſæ juſtitiæ ſtola ipſum induat. Hæc Evangelii doctrina eſt, quæ in Scholis noſtris traditur: cui tamen obſtinate Picenine reſiſtis. Parum valet attendere unde exeat vera pœnitentia, ſed quo peccatorem ducat: etenim illa filii prodigi ortum habuit a cogitatione miſeriæ ſuæ, ſed ipſum

ipſum traxit ad Patrem, & ideo vera fuit pœnitentia. Attritio oritur ex metu pœnæ, ſed peccatorem inducit ad deteſtationem peccati, & flectit ad amorem. Pœnitentia Judæ ex metu prodiit, ſicut & illa Ninivitarum; una tamen ficta, alia ſincera fuit, quia metus Judam ad deſperationem & capiſtrum ſolicitavit, Ninivitas e contra ad dolorem flexit & pœnitentiam, ſcilicet ad ſpem veniæ: quamobrem inutiliter Judas, utiliter Ninivitæ timore concuſſi ſunt: *Hoc enim timore* (*Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.) *utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt.*

11. Nihilominus negas Attritionem valere ad juſtificationem; hinc Triumph. *pag.* 250. ais, *Jeſuitas docere Attritionem ſufficere ad obtinendam juſtificationem*; quare ad hoc iterum refers verba P. Coſteri in *Enchirid. cap. de Contritione*, jam in Apologia a te prolata, nimirum: *In veteri Teſtamento Contritio, idest ſeria ex amore Dei profecta pœnitentia requirebatur. At nunc ſufficit Attritio, ideſt pœnitentia non ex amore Dei profecta, ſed ex metu pœnæ.* Secundo autem ſubdis, *hanc Attritionem ortam ex ſolo metu pœnæ a natura procedere, neque in ea reperiri, quam quod deſperatis commune eſt.* Tertio, *perverſum eſſe aſſerere Contritionem delere peccatum.* Duplex a Catholicis diſtinguitur medium ad juſtificationem; unum extra Sacramentum Pœnitentiæ, cum voto tamen de ipſo; alterum per Sacramentum Pœnitentiæ actu ſuſceptum. Ita Catechumenus ante Baptiſmum poteſt juſtificari cum voto ipſius, item in Baptiſmi ſuſceptione. Ut remiſſio a Deo, & juſtificatio impetretur extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, omnes fatentur Attritionem non ſufficere, ſed tanquam neceſſariam, & ultimam diſpoſitionem requiri Contritionem, ortam ex perfecto Dei amore, cum voto Sacramenti; neque hoc conſilium eſt, ſed præceptum: *Docet præterea* (ſic *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4.), *etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Ut vero remiſſio obtineatur, ſive in Sacramento Baptiſmi, ſive Pœnitentiæ, plerique autumant, non meræ Attritionis ex metu pœnæ excitatum, ſed veræ Contritionis dolorem, ex amore Dei non perfecto, ſed, ut ipſi dicunt, *inchoato* dimanantem requiri: quæ eſt opinio Iprenſis Epiſcopi, a pluribus recepta. Alii vero tenent, in Sacramento, tum Baptiſmi, tum Pœnitentiæ, ad obtinendam a Deo remiſſionem peccatorum, non ex neceſſitate, neque ex præcepto Contritionem poſtulari ex amore Dei inchoatam, ſed ſufficere Attritionem, quæ tamen a Tridentino Concilio ſic deſcribitur: *Illam vero Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur* (haſtenus quod deſperatis commune una eſſe poteſt), *ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ* (ecce diverſitas ab Attritione deſperati), *declarat non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Inde Ninivitarum exemplum proponit. Quis porro effutiet, Attritionem ita explicatam communem eſſe deſperatis, & ad hujuſmodi actum ſufficere naturæ vires? Ad actum ſcilicet qui a fide regitur, proponente peccatori Deum remuneratorem meritorum, & vindicem malorum, qui ex impulſu Spiritus Sancti conceptus, qui a metu pœnæ pecca-

cato-

catorem erigit in ſpem veniæ per Jeſum Chriſtum; ad actum denique, qui inducit plenam peccati deteſtationem, & deſiderium juſtitiæ?

12. Porro tu Picenine, qui adeo offenderis, quod ad remiſſionem peccati in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, homo actum ullum amoris Dei elicere non teneatur, atque in hujuſmodi circumſtantia, nullum Dei præceptum, ſed conſilium tantum habeatur, dic quæſo quale tibi medium paras, ut a Deo veniam ad juſtificationem obtineas? Fidem, mihi dices, juſtitiam Chriſti amplectentem. Sed amor Dei non habet partem in hoc opere? Repones, amorem ſimul cum fide advenire, velut juſtificationis effectum. Si ſola fides ex te juſtificat, ergo, infeſtam, amor Dei neque a Proteſtantibus apponitur ut diſpoſitio ad juſtificationem recipiendam, ſed ut comes, & effectus juſtificationis. Idipſum, diverſo tamen ſenſu, & nos aſſerimus, dum peccatori Attritione accedenti ad Pœnitentiam, per Sacramentum confertur cum gratia juſtificante Charitas, qua ex attrito fit contritus. Quiſpiam ſit, habens fidem, nondum tamen Deum amet: ſpem habeat in ejus promiſſis, amorem tamen nondum eliciat erga illius bonitatem. Si amplectatur juſtitiam Chriſti, juſtificabitur. Poterit igitur homo juſtitiam aſſequi abſque Dei amore. Si vero non amplectatur, Calvino contradicitur, qui *Lib.* 3. *Inſtit. cap.* 2. §. 7., definiendo fidem juſtificantem, nullam mentionem facit de Dei amore, ſed de ſola fiducia: fides autem ſi ſola juſtificat, juſtificare poterit ſine Dei amore, quia ſola fides juſtificat, ſicut oculus ſolus videt. Charitas, & reliquæ virtutes, ſunt ut cetera corporis membra, quæ neceſſaria quidem ſunt corpori, minime tamen ad actum viſionis, & ſolus oculus eſt qui videt. Sic tu diſſeris in Apologia *pag.* 260. Porro quemadmodum videre poteſt oculus, etſi membrum aliquod deſit corpori, ita fides amplecti poterit Chriſti juſtitiam, & juſtificare, et ſi deſit amor Dei. D. Auguſtinus *Epiſt.* 120. vel 140. ad *Honorat. cap.* 15. ſcribit, quod metus, qui diſponit ad Sacramentum Pœnitentiæ, *præmiſſus in cor noſtrum, pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat Charitati locum, qua tanquam Domina veniente, ut illa inſideat abſcedit.* Deinde *Pſal.* 127. *num.* 7. ſcribit: *Cum continent ſe a peccato, fit conſuetudo juſtitiæ, & incipit quod durum erat amari, & dulceſcit Deus, & incipit homo juſte vivere propterea, non quia timet pœnas, ſed quia amat æternitatem.* Quanquam autem a D. Auguſtino *Enarrat, in Pſal.* 149. *num.* 14. appelletur *vinculum ferreum*, ſubdit: *Tamen niſi a timore incipias, non perveniet ad amorem. Incipit ergo a vinculis ferreis, venitur ad torquem aureum ..... Cœpiſti a timore, conſummaris ad ſapientiam.*

13. Nunc de Contritione, quæ, ut ais *pag.* 329., *ex ſententia adverſarii, cauſa eſt remiſſionis omnium peccatorum. Una Contritio poteſt omnia peccata delere, ait Card. Tolet. Inſt. Sacerd. lib.* 3. *cap.* 5. Hunc deinde dicendi modum reprobas; quamobrem, ſi te audiamus, proſcribendi erunt Patres omnes, qui ſcripſerunt Pœnitentiam peccata delere, potiſſimum Chryſoſtomus *Hom.* 1. *de Pœnit.*, ubi de Ninivitis ſermonem habens, & de D.Petro, ait quod qui *multa cum ſolertia pœnitentiam oſtendit, brevi temporis momento longævi temporis peccata delere poterit.* Et alibi *Serm. de Pœnit.*: *O Pœnitentia, quæ peccatum miſerante Deo remittis, & Paradiſum reſeras, quæ contritum ſanas hominem ..... vitam de interitu revocas!* Et infra: *Lacrymæ ſunt, quæ reconciliant Deo, a peccato redimunt animam, & ſanant languores ejus, &c.* Hæc omnia damnabis; ſed, quod pejus eſt, Chriſtum ipſum, qui de Magdalena aſſerens dimiſſa fuiſſe ei peccata multa, quoniam dilexit multum, indicavit, cauſam tantæ remiſſionis fuiſſe Contritionem amore perfectam. At nitide loquamur. Dum dicimus Contritionem

cauſam eſſe remiſſionis, & delere peccata, nil aliud intelligimus, quam a Dei miſericordia per ipſam veniam impetrari, Deumque, ſtante ſuo divino verbo, contrito cordi veniam non eſſe negatarum: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* (*Zachar.* 1. 3.). *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis .... vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt non recordabor. Ezechiel.* 18. 21. 22. Non negamus veniam donari gratis; immo poſtulanti *unde conſtet* peccatorem per pęnitentiam ſalvari, reſpondemus cum Chryſoſtomo *Homil.* 80. *ad pop., qua eſt de Pœnitentia: Ex Domini clementia, ne tua confidas pœnitentia: tua namque pœnitentia jure timeres; ſed poſtquam eum pœnitentia commiſcetur Dei miſericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam.* Hanc tamen clementiam Deus vult dumtaxat Contritione, & vera pœnitentia ad ipſum ſe convertenti impartiri. Saul dixit *peccavi*, tum etiam David; hic autem veniam impetravit, non ille. Ratio eſt, ait D. Auguſtinus *lib.* 22. *contra Fauſtum cap.* 67.: *In ſimili voce, quam ſenſus humanus audiebat, diſſimile pectus erat, quod divinus oculus diſcernebat.* Cor contritum magna vox eſt, quæ divinam clementiam invocat, & iſta ad hanc vocem reſpondere non tardat: *Magnæ voces* (D. Auguſtinus *lib.* 7. *Confeſſ. cap.* 7.) *erant ad miſericordiam tuam tacitæ contritiones animi mei.*

14. Animadverto dictis tuis *pag.* 329. te impliceari. Etenim ex una parte ſcribis, *Contritionem*, ſive dolorem pro peccatis commiſſis, *cauſam eſſe remiſſionis, ut ſi dicamus, dolorem ex infirmitatis ſenſu procedentem cauſam eſſe ſalutis, ſeu lacrymas pro debitis multis contractis cauſam eſſe remiſſionis debiti.* Ex alia vero parte poſt pauca ſcribis: *Contritio eſt neceſſarium requiſitum, eſt conditio ſine qua non obtinetur remiſſio.* Porro ſi dolor peccatorum ad inſtar eſt ejus, qui dolet infirmitatis, & lacrymatur ex contractis debitis, quomodo hujuſmodi dolorem ſimul aſſeris *requiſitum* eſſe, & *conditionem* neceſſariam? Si ſalutem recuperare valeo, quin doleam de infirmitate, ſi abſque meis lacrymis debitum a creditore poteſt remitti, Deus etiam peccata remittere mihi poterit, quin doleam, quin lugeam. Si creditor pactum inierit dimittendi debita dolentibus, ac lugentibus, dolor & lacrymę nonne diſpoſitiones eſſent ad relaxationem debiti? Deus in verbo ſuo id promiſit peccatori, ſi doleat de commiſſis, & peccata defleat: & pactum ex ore Zachariæ, & Ezechielis pronuntiatum eſt. Dolens igitur, & deſlens vera Contritione peccatum, diſponitur, & paratur ad aſſecutionem veniæ a Deo. Contritio itaque eſt remiſſionis cauſa, ſed diſponens, & innixa Dei pacto, nec mera eſt, & ſimplex conditio, ſeu velut *fundamentum ad ædificandum Palatium*. In Scripturis de Ninivitis legitur: *Et vidit Deus quia converſi ſunt a via ſua mala, & miſertus eſt Deus &c.* Deus fecit ipſis hanc miſericordiam, quia ad eam ſuſcipiendam novit eos diſpoſitos. Nonne Chriſtus teſtatus eſt Magdalenæ peccata remiſiſſe, *quia dilexit multum*? quod ſane aliud eſt, ac indicare dilectionem ſuam magnam, meram conditionem fuiſſe, velut *fundamentum ad ædificationem Palatii*. Per pœnitentiam cor ab homine præparatur ad veniam: *Præparate corda veſtra Domino* (1.*Reg.* 7. 3.). Cor itaque contritum eſt quaſi ager paratus ad ſuſcipiendum ab Agricola bonum ſemen: & ſi *Pœnitentia eſt Dei donum*, quanquam ager diſpoſitus ſit, a voluntate adhuc Agricolæ pendet ſemen in ipſo ſeminare. Quid porro refert clamare: *Deus exaltavit hunc* (Jeſum) *dextera ſua, Principem, & Salvatorem, ad dandam Pœnitentiam* Iſraeli, & remiſſionem peccatorum? Sic *Act.* 5. 31. D. Petrus. *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad agnitionem veritatis.* D. Paulus 2. *Tim.* 2. 25.; quia nimirum pœnitentia eſt donum Dei, deſcendens ex ejus gratia cor peccatoris movente, & ſimul diſ-

po-

poſitio eſt, qua poſita Deus movetur ad dandam veniam, & quadantenus eſt çauſa remiſſionis peccati: quæ ſi a nobis prçciſe eſſet, ullum a Deo nec mereretur obtutum. Deus igitur dat nobis pœnitentiam ad agnitionem veritatis; & in ipſo eſt cauſa efficiens remiſſionis noſtræ per Jeſum Chriſtum. Verum veniam dare non vult, niſi poſita diſpoſitione noſtra ad ipſam; quæ tamen diſpoſitio a Deo in nobis, & nobiſcum fit per merita Jeſu Chriſti. Non refert itaque Scripturas proferre, & gloſſatores Canonum, atque alia, ad oſtendendam veritatem, quæ præclariſſima eſt, a nobis recepta, & credita, magis quam a Proteſtantibus. Referebat ſane te doctrinas noſtras attentius legere, antequam cogitares eas refellere.

§. IV.

Confeſſio peccatorum eſt ex divina inſtitutione.

15. SAcramenti Pœnitentiæ parte una jam abſoluta, de altera, nempe Confeſſione agendum eſt, Proteſtantibus magis exoſa. Hìc profecto non deſines Picenine oblatrare; jamque aggrederis *pag.* 330.: *Quid dici vult de Confeſſione ſecreta?* Quoniam vero Segneri audis proferre antea omnibus ſeculis creditam fuiſſe, & Panigarolam audis redarguentem Calvinum, & Lutherum auſos eam tollere, ſubdis, *melius ſibi dimittere clamores, & confutare auctoritatem qua Calvinus eam oppugnat*. Hoc faciam ego, ſi Panigarola non fecit. Advertis, *ſi ex divina ſit inſtitutione, neceſſarium fore Deum eam præcepiſſe per Moyſen, aut per Jeſum Chriſtum. Per Moyſen præcepta non fuit, ut ipſi adverſarii fatentur. Et bis mille annis Deus Eccleſiam ſuam permiſit abſque hac Confeſſione tam celebrata a Monachis*. Si per Moyſen præſcripta a Deo non fuit, & ſi quatuor mille annis permiſit Deus Eccleſiam ſine Chriſto Redemptore, & ſine Baptiſmo, poterat etiam ſine Confeſſione eam dimittere. Verum nec pſeudoreformatio mandata fuit a Deo, nihilominus adeo ſectarii in ea gloriantur, quanquam mille quingentis annis Eccleſiam ſuam Deus dimiſerit abſque hac pſeudoreformatione tam commendata a ſuis profeſſoribus. Proſequeris: *Neque a Chriſto præcepta eſt*, quod & plerique noſtrarum partium *fatentur*, nimirum *Scotus*, *Bonaventura*, *Hugo a S.Victore*, *Biel*, *Cajetanus*, *aliique*; *& Jeſuita Vaſquez in* 3. *p. D.Th. q.* 90. *ar.* 1. *multos refert*, *qui hanc Confeſſionem conſiderant non ut divinum præceptum*, *ſed tanquam Eccleſiaſticam traditionem*. Hìc de more in ſcenam veniunt mendacia tua, dum notum ſit, Hugonem a S.Victore, & Bonaventuram, docere Confeſſionem a Chriſto inſtitutam, tantummodo vero dubitare, an Chriſtus præceptum Chriſtianis impoſuerit inquirendi veniam neceſſario per ipſam. Scotus *Lib.* 4. *ſent. diſt.* 17. anceps prçciſe videtur, num Confeſſionis neceſſitas ex verbo ſcripto potius, an ex traditione debeat deduci: inſtitutionem tamen non dubitat divinam eſſe. Eadem eſt Cajetani opinio in *Opuſc. Tom.* 1. *tract.* 5. *qu.* 1., *& Tom.* 3. *op.* 15. *ar.* 5. Non ego tamen attendo quid is, vel ille Doctor ſcripſerit, ſed quid Eccleſia doceat, cujus mentem exaudio in Trident. Synodo ſic exaratam *Seſſ.* 14. *cap.* 1. *&* 5.: *Univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum Confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere*.

16. Quæ cum jam præſenſeris, ſubdis: *Verum utique Chriſtum dixiſſe* (*Jo.* 20. 22. 23.) *Diſcipulis ſuis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quibus ais *ſcite reſpondere Calvinum*, *intelligi non poſſe niſi de miniſterio verbi concredito Apoſtolis a Chriſto*. De Panigarola vero reſponſum hoc rejiciente, ſubdis: *Frater repugnantia eſſe reperit, quæ non ſunt*. Quis negat, auctoritatem prædicandi Evangelium

lium, comprehendere illam annuntiandi remiſſionem peccatorum pœnitentibus? Negatur autem Chriſtum ibi locutum de auctoritate prædicandi Evangelium, & quod venia, quæ a miniſtris impartitur, ſit ſimplex annuntiatio remiſſionis. Id Panigarola ait verbis Chriſti repugnare, cujus mentem conſiderat Tridentina *Seſſ.* 14. *cap.* 1., cum ſtans ipſe poſt reſurrectionem ſuam in medio diſcipulorum ſuorum dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* D. Auguſtinus ad hæc verba (*Tract.* 121. *in Joann. cap.* 20.): *Æqualem Patri Filium novimus, ſed hic verba Mediatoris agnoſcimus; medium quippe ſe oſtendit, dicendo: Ille me, & ego vos.* Hìc dum dixit *Ego mitto vos*, Apoſtolos inſtituit Paſtores, & Epiſcopos, quos Sacerdotes jam ordinaverat: *Inde inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Tridentina Synodus notat, his verbis, Apoſtolis dediſſe, & legitimis eorum ſucceſſoribus, poteſtatem remittendi, ac retinendi peccata fidelibus poſt Baptiſmum lapſis; & D. Auguſtinus prælaudato loco ait: *Eccleſiæ Charitas, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, participum ſuorum peccata dimittit; eorum autem qui non ſunt ejus participes, tenet.* Hinc Eccleſia Catholica Novatianos damnavit, negantes Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata, & ex eodem textu anathematizavit eos, *qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Evangelium annuntiandi, contra hujuſmodi Sacramenti inſtitutionem falſo detorquent.* Hæc verba Chriſti cum aliis conferantur *Matth.* 18. 18.: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo.* Chriſtus aqud Joannem eandem poteſtatem contulit, vel confirmavit, quam antea apud Matthæum Apoſtolis conceſſerat, ubi Chriſtus non de miniſterio, vel de prædicatione ſermonem habuit, ſed de judicio. Ibi regulam præſcripſit ſervandam dum proximus peccaverit; & D. Petro, qui petiit quoties peccatori accedenti peccata dimittere deberet, reſpondit, nedum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties: ac ſtatim parabolam ſubjecit de ſervo debitore. Neque ergo apud Joannem locutus eſt Chriſtus de miniſterio verbi, nec Apoſtolis poteſtatem contulit prædicandi, ſed vere remittendi, & abſolvendi. Quod ſi Chriſtus ibi loqui inſtituerit de miniſterio verbi, deficiebant ne ipſi verba ad id ſignificandum? Quando Chriſtus de hoc locutus eſt, ſemper uſus eſt verbo *prædicare*, ut Matt. 24. 14. *cap.* 26. 17., & Marci *cap.* 16. 14. & 20.: *Prædicate Evangelium omni creaturæ ... Ubicunque prædicatum fuerit Evangelium hoc, &c.* Calvinus autem modo vult locutum fuiſſe de prædicatione, per verba remittendi, & retinendi peccata? Hæc eſt apertiſſima violentia, detorquens Dei verbum, ne Pœnitentiæ Sacramentum fateri cogatur. Non me latet, auctoritatem prædicandi Evangelium eam ſimul comprehendere annuntiandi remiſſionem: ſed remittere peccata, non eſt ſola annuntiatio remiſſionis. Ubi agitur de annuntianda remiſſione, media prædicatione, non agitur de poteſtate remiſſiva peccatorum: *Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* (*Marci* 1. 4.). *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum* (*Lucæ* 1. 27.). *Prædicare captivis remiſſionem* (*Lucæ* 4. 19.). Remittere autem peccata non eſt ſola annuntiatio remiſſionis. Chriſtus dum *Matth.* 18. 35. ait: *Si non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo*, profecto non intellexit, ſi non annuntiaveritis remiſſionem: nulla autem ratione prætenditur, ubi legitur *quibus remiſeritis peccata*, debere intelligi, quibus annuntiaveritis remiſſionem. *Nuntius, qui litteras defert vel gratiæ, vel pœnæ*, non ipſe remittit, aut retinet delictum: bonus vero Calvinus, alias ſolitus hæ-

rere

rere litteræ, modo audiens Apoſtolis collatam eſſe poteſtatem remittendi peccata, detorquere id contendit ad ſolam remiſſionis annuntiationem.

17. Verum Calvini tui interpretationem a Patribus patrocinari prætendis. Primum autem profers D. Ambroſium *lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 19.*, qui, ut ais, ex verbis Chriſti non arguit ullum jus poteſtativum. Falleris tamen, quia D. Ambroſius ibi non negat Apoſtolis jus poteſtativum miniſterii, & delegationis, ſed dumtaxat jus poteſtativum principalitatis, quod ſolius Spiritus Sancti proprium eſt: *Ecce* (ait ille) *quia per Spiritum Sanctum peccata donantur, homines autem in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent: neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine peccata dimittunt.* Ambroſius ipſe Calvinum mendacio evincit *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.*, loquens adverſus Novatianos, Sacerdotibus adimentes poteſtatem remittendi peccata, ſoli Deo ea reſervata. D. Ambroſii verba ſunt ſuper illud *Quorum remiſeritis*, & ait: *Dominus par jus, & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione promiſit. Ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet . . . . . Certum eſt Eccleſia utrumque licere, hæreſi utrumque non licere. Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Recte igitur hoc Eccleſia vindicat, qua veros Sacerdotes habet.* Divus Ambroſius loquitur de jure poteſtativo dandi in nomine Domini remiſſionem peccatorum, non mere annuntiandi, ſiquidem Novatiani non negabant Eccleſiæ jus prædicandi, & annuntiandi in nomine Domini remiſſionem, ſed ſolvendi, & remittendi vel omnia peccata, vel quædam, quæ ſoli Deo reſervabant. Alium ex Patribus refers, D. Hieronymum nempe ſuper Iſaiam *lib. 6. cap. 14.*, ubi ſcribit: *Solvunt autem eos Apoſtoli ſermone Dei, & teſtimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* Sic autem commentaris: *Solvere igitur & ligare, eſt prædicare, ut docet Calvinus, verba legis, & Evangelii: illa mortis impœnitentibus, illa vita pœnitentibus.* At D. Hjeronymum pronuntiaſſe fas eſſet, non alio eos *ſolvere* a peccatis, quam *ſermone Domini, & teſtimoniis Scripturarum*, nec quidquam addidiſſe: hoc autem falſum omnino eſt, cum apponat: *Solvunt ſermone Domini, imitantes Magiſtrum ſuum;* quæ verba ſenſum omnino contrarium Calvino reddunt. Chriſtus quippe, quem imitabantur Apoſtoli, ſolvebat peccata annuntiando remiſſionem, & exercendo poteſtatem remiſſionis: quocirca Apoſtoli in illis verbis *Quacunque ſolveritis*, delegatam obtinuerunt poteſtatem ut Chriſtum imitarentur, tum annuntiando, tum elargiendo in nomine ejus remiſſionem; atque hoc nimirum indicavit Chriſtus apud D. Joannem, dum dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Hinc ſubjecit: *Quorum remiſeritis peccata &c.* Bone vir Picenine, negligendum a te non erat apud D. Hieronymum legere, quæ ſuper Matth. *Lib. 3. cap. 18.* ad illa verba *Quacunque alligaveritis* maximus ille Doctor ſcribit, ut facilius ejus mentem nitidiſſime caperes. Audi: *Quia dixerat: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus; & poterat contemptoris fratris hac occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio: Si me deſpicis, ego te deſpicio, ſi tu me condemnas, & mea ſententia condemnaberis; poteſtatem* (auribus adſta) *tribuit Apoſtolis, ut ſciant qui a talibus condemnantur, humanam ſententiam divina ſententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in Calo.* Itidem legenda erat Epiſtola 1. *de vita ſolitaria ad Heliodorum*, ubi de Sacerdotibus loquitur: *Qui claves Regni Calorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant*, tum in *cap. 16.* D. Matthæi, tum in 10. Eccleſiaſtæ, ubi conceptis verbis aſſerit, Apoſtolis, & Sacerdotibus communicatam eſſe poteſtatem judicia-

cia-

ciariam ſolvendi, & ligandi juxta merita. Audacia Proteſtantium illam Novatianorum vicit, qui negabant quidem poteſtatem ſolvendi, non tamen ligandi: Proteſtantes autem utramque latiſſime negant.

18. Si minus tibi ſufficiens teſtimonium Hieronymi videatur, ut poteſtas a Chriſto Apoſtolis collata probetur, habeas & illud D. Joannis Chryſoſtomi *lib. 3. de Sacerd. cap. 5.*, qui eadem exponens Chriſti verba, ait: ***Iis datum eſt ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt: Quæcunque alligaveritis in terra, &c.*** Quis porro negaturus erit, Angelos, & Archangelos, ut Dei Legatos, Nuncios, Præcones, potuiſſe pœnitentibus peccatorum annuntiare remiſſionem? Si Sacerdotibus Chriſtus dedit quod Angelis, & Archangelis dare noluit, quidquam ſane plus dedit, quam annuntiare remiſſionem. Auguſtinum etiam legere debebas *lib. 20. de Civit. Dei cap. 9.*, ubi viſionem explicat D. Joannis in Apocalypſi 20.: ***Et vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & judicium datum.*** Sic autem habet: ***Non hoc putandum eſt de ultimo judicio dici, ſed ſedes Præpoſitorum, & ipſi Præpoſiti intelligendi ſunt, per quos nunc Eccleſia gubernatur. Judicium autem datum, nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum eſt: Quæcunque ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cælo, & quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cælo, &c.*** Idem repetit *Hom. 49.* inter 50. *ſerm. 7. de verbis Domini*, atque ita intelligunt nobiliora Eccleſiæ ſidera, a quorum ſententiis referendis abſtineo, ne moleſtus lectori evadam. Ubinam ergo Patres, qui Calviniano favent commento? In Triumpho *pag.* 251. nil præterea blateras, quam quod *Semery cum ſuo Tridentino Concilio aſſerit Confeſſionem a Chriſto fuiſſe inſtitutam, cum dixit: Accipite Spiritum Sanctum. Joann.* 20. 23. Veruntamen ***doctiores Romani, vel eam ut traditionem intuentur, vel ſi a Deo inſtitutam aſſerant, ex aliis textibus inſtitutionem repetunt, ut in ſententiis Agite pœnitentiam, & Evangelio credite. Marc. 1. Tibi dabo claves regni Cælorum. Quæcunque ligaveritis in terra, ligata erunt & in Cælis. Matth. 16. & 18.*** Quinam, quæſo, doctiores Romani, præſtantiores Tridentina Synodo univerſam Eccleſiam Romanam repræſentante! Concilium non rejicit reliquos textus, potiſſimum duos præcitatos D. Matthæi, ſed fatetur ibi ſermonem haberi de judiciaria poteſtate tradita D. Petro, & Apoſtolis: notat tamen clarioribus verbis traditam fuiſſe Apoſtolis poteſtatem ſolvendi a peccatis in primo D. Joannis *Quorum remiſeritis peccata*, quam in reliquis, in quibus generatim ſermo eſt de quacunque facultate ſolvendi, ſive ligandi, a peccatis, vel cenſuris: quamobrem enucleatius expreſſam in illo præ iſtis accipit Confeſſionis inſtitutionem. Quod autem ***Ambroſius Pelargus, ut Polanus refert (Hiſt. Conc. Trid. lib. 4. pag. 359.), Tridentinis Patribus ſubjiceret, neminem Patrum intellexiſſe verba illa Accipite Spiritum Sanctum, de inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ***, quid inde? Si Tridentini Patres ex illo textu D. Joannis magis expreſſam intulerunt inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ, Pelargus ergo fallebatur. Quod ſi inſtitutionem Sacramenti Pœnitentiæ Proteſtantes non inferant ex verbis D. Joannis, levis quæſtio eſſet, dummodo ſaltem eam faterentur ex textibus D. Matthæi 16. 18. Sed peſſimum eorum malum eſt, quod claudunt oculos, ne eam videant nec in illo, neque in iſtis, unde in Triumpho *pag.* 252. ſubdis: ***Alia Sacramenta apertiſſima habent ſua inſtitutionis loca. Baptiſmus, & Euchariſtia præclariſſima habent verba quibus inſtituta fuerunt. Sed inſtitutio ſecretæ Confeſſionis nullo in textu clara perſpicitur. Non eſt Sacramenti ordinatio, &c.*** Cæcis & in meridie tenebræ; ſic tibi. Enimvero ſi perſpicua eſt Baptiſmi inſtitutio, quia Chriſtus dixit *bapti-*

zan-

zantes in nomine Patris &c., quare perſpicua non erit illa Confeſſionis, & poteſtas a peccatis ſolvendi, ſi apud D. Matthæum dixit *quæcunque alligaveritis &c. quæcunque ſolveritis &c.*, & apud D. Joannem *quorum remiſeritis peccata, remittuntur?* Quorundam varietas, ex uno potius, quam ex alio textu deſumentes inſtitutionem, nihil officit ejus veritati, quandoquidem circa textum ipſum a quo deſumi debeat inſtitutio, inter Doctores aliqua intercedit differentia: attamen de inſtitutione nullum remanet dubium.

19. Ergo cum Panigarola, conſtanti in hoc textu, videas dicacitate tua non poſſe reſiſtere, nec dilecto Calvino tuo ſuppetias ferre, alio te confers, tum in Apologia, tum in Triumpho, petens, *an Apoſtoli hac auctoritate a Chriſto in hoc textu ipſis collata uſi ſint? Si affirmetur; cum unum tantum miniſterii verbi exercitium habuerint Apoſtoli, ut in eorum Actis conſtat, ſequitur Calvini interpretationem in illum textum veritatem habere, nec aliter intelligi debere, quam de miniſterio verbi.* Hic ſermo tuus, quo integram paginam imples in Apologia tua *pag.* 331., & in Triumpho iterum jactas *pag.* 252., nihil habet virium ad faciendam fidem. Quæ hercle argumenti negativi vis eſſe poteſt, adverſus poſitivas rationes jam factas? Si ex verbis Chriſti probata manet Confeſſionis inſtitutio a Chriſto ſancita, cum poteſtate remittendi, non enuntiandi tantummodo remiſſionem, fas eſt oppugnare dicta, non prætexere ſilentium uſus in Actis Apoſtolicis. Quæ argumentandi ratio? *Non leguntur ab Apoſtolis Confeſſiones auditæ, aut requiſitæ a fidelibus*, non ergo Confeſſiones exceperunt unquam, nec exegerunt. Probandum prius erat, omnia Apoſtolorum acta ſcripta eſſe. Actorum D. Pauli potiorem partem habemus, quod D. Lucas ea deſcribere curavit, incidenter autem nonnulla de reliquis Apoſtolis; ſed ſingula quæ agerent illi, quo peragrarent, immo & ipſa loca, ubi deſcripta ſunt? Patres qui ab Apoſtolis ad nos uſque floruerunt, ſemper poteſtatem judiciariam in Sacerdotibus novæ legis agnoverunt, ex qua Confeſſionis neceſſitatem probarunt, quemadmodum per omnia ſecula oſtendunt Alexander Natalis *Sec.* 13. 14. *diſſert.* 14. §. 4., Gaſpar Juveninus *Comm. Hiſt. dogm. de Pœnit.*, plerique alii. A quo autem primi Patres hæc acceperunt, quam ab Apoſtolis, ita facientibus, & docentibus, quia ſic Chriſtus mandavit, & ſuam contulit auctoritatem? *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolica judicium præmiſit, ut quos in terris ligaverint, id eſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolica conditione ſententia in Cœlis quoque abſoluti ſint, aut ligati.* Hic de Judicio, de Confeſſione, de ſententia ſermo eſt: & D. Hilarii verba ſunt *in cap.* 18. *Matth.* Sed ad Apoſtolorum ſeculum proxime aſcendamus, & D. Irenæum audiamus D. Polycarpi coævum, diſcipuli D. Joannis Evangeliſtæ. Hic *lib.* 1. *adverſus hæreſ. cap.* 9. narrat: de quodam Marco Hæreſiarcha, quod cum mulieres quaſdam ad libidinem ſeduxerit, & contaminaverit, iſtæ reverſæ ad Eccleſiam dolentes, lapſum faſſæ ſunt cum omnibus circumſtantiis: *Hæ ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam, confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo velut cupidine, & inflammatas valde, illum ſe dilexiſſe.* Et narrato de aliis fœminis claneulum oppreſſis a Valentinianis *lib.* 1. *cap.* 6. ait quod ad Eccleſiam converſæ, *cum reliquo ſuo errore hoc quoque confeſſæ ſunt.* Quomodo enim verecundiam ſuam vicisſent confitendo occulta delicta, ſi Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor non id exegiſſet ut neceſſarium ad impetrandam veniam? Neque dicatur de publica Confeſſione hic loqui, quippe iſta occultis peccatis, ut ſunt ea ſupra indicata, non imponebatur. Poteſt etiam, ſi libet, Tertullianus audiri *lib. de Pœnit. cap.* 9., ubi habet: *Tantum revelat confeſſio delictorum, quantum*

tum diſſimulatio, exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio, contumacia. Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcentia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Confeſſio hæc non ſoli Deo facienda erat, cum ſubdat: *Pleroſque tamen hoc opus, ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre, præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis.* Confeſſio facta Deo ex pudore non ſuffugitur: erat igitur Confeſſio aperienda coram Eccleſiæ miniſtro. Neque de occultis peccatis erat; quippe, ex Tertulliano, qui ex pudore abſtinent confiteri peccata, dicuntur: *Velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum ſua erubeſcentia pereunt.* A quibus autem vetuſtiſſimi Scriptores iſti didicerunt Confeſſionem, niſi ab Apoſtolis? Quomodo illorum temporum Eccleſia hujuſmodi penſo fideles oneraſſet, ſi ab Apoſtolis impoſitum, & ſibi traditum non recepiſſet, velut Chriſti mandatum? ſi Apoſtoli non id frequentaſſent, nec Eccleſię ab ipſis fundatæ id ſuſcepiſſent?

20. Ais, *non legi D. Paulum exc[e]piſſe Confeſſiones.* Verum cum ipſe de ſe aſſerat (1. Cor. 1. 14. 16. 17.) non veniſſe baptizare, ſed prædicare, quemadmodum paucos aliquot baptizavit, *niſi Stephanę domum, & Criſpum, & Cajum*, ita credibile eſt nonniſi paucorum Confeſſiones excepiſſe. Nihilominus tacite indicavit Confeſſionem in verbis illis: *Probet autem ſeipſum homo* (1. Cor. 11. 28.), ubi docens quomodo fideles accedere debeant ad Euchariſtiæ ſumptionem, quemlibet hortatur ſe ipſum probare, & conſcientiam ſcrutari, an aliquo peccato maculetur, ne de illo pane manducet indigne; ſi vero inquinatum ſe videat, emundari curet. At quibus mediis? Scilicet illis a Chriſto inſtitutis, Pœnitentia, & Confeſſione. His aſſentitur D. Cyprianus *de lapſis*, qui pariter urget accedentes ad Euchariſtiam *ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminum, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis.* Inſtas pag. 332., *D. Paulum apprime deſcribere Paſtorum munera erga gregem, gregis debitum erga Paſtores, porro ſemper tacere Confeſſionem illam adeo a Monachis inſinuatam.* Calvinus quanquam neceſſariam neget Confeſſionem, non ab ea tamen adeo abhorret, quin utilem ſaltem eam judicet; immo *Lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 12.* interdum maxime utilem eſſe probat, & quod cum aliquis conſcientiæ patitur incitamenta, accedat ad Paſtorem ſuum, *ut ad ſe ſublevandum privata Confeſſione apud ſuum Paſtorem utatur*, atque id remedium vocat, *quod illi a Domino offertur.* Juxta Calvinum itaque utilis ſaltim interdum eſt Confeſſio. Attamen D. Paulus *Actor.* 20. 20., dum diſcederet a Sacerdotibus Epheſi, teſtatur: *Quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos.* Inſuper *ibid. v. 27.: Non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Nihilominus ſcripto non conſtat, inter utilia numeraſſe privatam Confeſſionem: immo nihil ſcriptum eſt de his quæ D. Paulus prædicaverit Epheſi, neque de utilibus, neque de neceſſariis. Epiſtolam quidem D. Pauli ad Epheſios habemus, conciones autem non habemus.

21. Audiamus Panigarolam, in eo quod de ipſo commemoras *pag.* 333.: *Adam quæſitus fuit a Deo ut voce confiteretur, quemadmodum etiam Cain.* Argumentum hoc probat, Deum quolibet tempore exegiſſe a peccatore Confeſſionem vocalem de peccato, nedum generatim, ſed ſpeciatim. D. Ambroſius *lib. 2. de Cain & Abel cap 9.*, D. Chryſoſtomus *Hom. 18. in Geneſ.*, id aſſerunt de confeſſione

Ada-

Digitized by Google

Adami, & Evæ: *Ut confeſſione dolerent, quod tranſgrediendo commiſerant*; & ante ipſos Tertullianus *lib. 2. adverſus Marcionem cap. 26.* notaverat, Deum exquiſiviſſe ab Adamo & Caino delictorum ſuorum confeſſionem: *Ut & ille haberet poteſtatem ex eadem arbitrii poteſtate ſponte negandi delicti, & hoc nomine gravandi* (ecce liberum arbitrium in homine lapſo), *atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quam negandorum, ut jam tunc initiaretur Evangelica doctrina: Ex ore tuo juſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis*. Eodem modo intelliguntur textus *Job.* 31. 33. etiam a D. Gregorio *lib.* 22. *Moral. cap.* 15. Ad hæc rides, ſubdens: *Confeſſio in veteri lege facienda, non Sacerdoti, ſed Deo fiebat: Confeſſio autem ſecreta in veteri Teſtamento in uſu non erat.* Si quod ex veteri Teſtamento profertur, figura eorum eſt quæ in novo debebant impleri, neceſſe non eſt ſimili omnino ratione haberi. Circumciſio figura erat Baptiſmi. Quanquam autem a quocunque adminiſtraretur, Calvinus tamen *Lib. 4. Inſtit. cap.* 15. §. 20. 21. & 22. non permittit, neque in extrema neceſſitate, Baptiſmum a laico conferri. Etſi igitur Confeſſio in veteri lege coram Sacerdote non haberetur, noſtra autem neceſſario Sacerdoti aperienda ſit, non ſequitur iſtam ab illa non repræſentari. Aptior Confeſſionis noſtræ figura legitur Levitici 13. & 14., ubi lepræ judicium ſolis Sacerdotibus reſervatum erat, quibus coram tactus a lepra ſtare debebat, & juxta eorum judicium vel abire, vel ſtare cum populo permittebatur; cui alluſit Chriſtus, cum leproſo ab ipſo mundato ait: *Vade, oſtende te Sacerdoti. Matth.* 8. 4. Nil hic me movent clamores tui, nempe *pag.* 333.: *Quid habet lepra cum peccato? Lepra paucorum, peccatum omnium eſt. Leproſus mandatum certum habebat ſe offerendi Sacerdoti: peccator praeceptum non habet confitendi Presbytero. Ibi oſtendere ſe Sacerdoti non ſanabat a lepra, hic confiteri Presbytero prætenditur medicina peccati &c.* Velis, nolis, illis textibus auctoritas abſolvendi repræſentatur, quod nedum a D. Hieronymo *in cap. 16. Matth.*, ſed a Chryſoſtomo *lib. 3. de Sacerd. cap.* 5. agnoſcitur: *Corporis lepram purgare, ſeu, ut verius dicam, non purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat. At vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Panigarola Confeſſionis figuram etiam eſſe aſſerit quod Chriſtus de Lazaro dixit *Joann.* 11. 4.: *Solvite illum, & ſinite abire*; Aſinam illam, & pullum Aſinæ, de quo *Matth.* 21. *v.* 2.: *Solvite, & adducite mihi.* Etſi ſcurræ more hæc omnia ſcurriliter rideas, D. Hieronymus tamen non ridet, qui in Jumento a diſcipulis ſoluto peccatorem agnoſcit a peccatis ſolutum. In Lazaro a vinculis ſoluto hominem a culpis liberatum ſignificari, oſtendit D. Irenæus *lib. 5. cap.* 13.: *Hoc ſymbolum ejus hominis, qui inligatus fuerat peccatis; & propter hoc ait Dominus: Solvite illum, & dimittite eum abire.* D. Ambroſius *lib. 2. de Pœnit. cap.* 7., & D. Auguſtinus *Tract. 49. in Joannem: Miniſtris hoc dixit Dominus: Solvite illum, & ſinite abire. Quid eſt ſolvite, & ſinite abire? Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in Cœlo. Et in Pſ. 101. conc. 2.: Quando ſolvitur? A quibus ſolvitur? Quæ ſolveritis inquit in terra, erunt ſoluta & in Cœlo. Merito per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt: ſuſcitari autem ipſe mortuus, non niſi intus clamante Domino poteſt.* Porro ex his figuris non rationes, ſed ſymbola tantum Confeſſionis deſumo, & lectori commemoro celebre Tertulliani dictum: *Figura non uſquequaque adæquabitur veritati.* Atque id ſatis, ut conſtet Panigarolam non loqui ut tu Thraſo facis.

22. *Confitemini alterutrum*, monet D. Jacobus 5. 16.; tu vero Doctores congeris, ut contendas laudatum textum non favere Sacramentali Confeſſioni, & ſubjicis *pag.* 334. *ſufficere*

re Confeſſionem ſoli Deo factam; ſi autem Paſtori etiam Confeſſio facienda ſit, id non fit ad remiſſionem obtinendam peccatorum, ſed ad ſolatium, & conſilium. Deus vult Confeſſionem noſtram mediis miniſtris ſuis ipſi a nobis fieri, & remiſſionem recipi: Deo aperta ſunt corda noſtra, atque ipſi ſoli notum eſt an ſincera, an ficta ſit fides noſtra; attamen ſi velimus participes fieri ſanguinis Chriſti, debemus miniſtris ejus ſubjici, ex eorum manibus Baptiſmum ſuſcepturi: quod ſi prætermittitur, nec remiſſio, nec fides noſtra recipitur, quia ex lege ordinaria ita ſtatutum eſt, cum præcepit Apoſtolis ut baptizarent. Eadem prorſus ratione, quanquam ipſi ſoli innoteſcat conſcientia noſtra, vult lege ordinaria miniſtris ſuis nos ſubjici, & ab ipſis ſuſcipi Sacramentum, quod impetret nobis a Deo remiſſionem; idcirco ipſis contulit poteſtatem, dicens: *Quorum remiſeritis peccata*; quia Deus vult veniam nobis dare, ſed mediis ab ipſo ſtatutis. In veteri lege confeſſio Deo fiebat; et nihilominus ſacrificia, & purificationes apponenda erant. Hebræis venientibus ad Chriſtum non ſufficiebat fides ad remiſſionem, ſed neceſſe erat Baptiſma. Qui ergo peccavit, ſat non ipſi erit fide confiteri, ſed vocis etiam diſtincta, & ſincera Confeſſio aperienda erit Miniſtro, qui a Deo poſitus eſt ad ipſum ſolvendum.

§. V.

Traditio Confeſſioni favet, & ipſius Confeſſionis neceſſitas.

23. Quod Panigarola a Calvino petit, ut ipſe proferat a quo, ſi non a Chriſto, ſit Confeſſio inſtituta, non in aliam viam declinare, ſed argumentum eſt per eandem viam vehementius urgere. Jam probaverat ſecretam Confeſſionem ex inſtitutione divina deſcendere, quod Calvinus ſectariis ſuis ſtipatus audet negare. Nonne porro obvia ſit hæc inſtantia: *Si Chriſtus non eam inſtituit*, ut vos dicitis, *quis ergo eam inſtituit?* Hactenus Panigarola ſuas exegit partes: a te modo, & a Calvino exſpecto veſtras. Si Calvinus *Lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 7.* Confeſſionem negat divinam eſſe inſtitutionem, aſſerit nihilominus vetuſtiſſimam eſſe traditionem: *Miror autem qua fronte auſi ſunt contendere Confeſſionem, de qua loquuntur, juris eſſe divini, cujus equidem vetuſtiſſimum eſſe uſum fatemur*; de quo perſpicua concedit haberi teſtimonia in hiſtoriis, & antiquis Scriptoribus. Ergo traditio ſumpta ex hiſtoriis, & ex antiquis Scriptoribus, ſecretæ Confeſſionis uſum probat vetuſtiſſimum: & Calvinus eſt qui loquitur, Magiſter tuus dixit, profecto vir fide dignus. Panigarola autem poſtulat unde exierit hæc traditio, ſi a Chriſto non deſcendit? Omnium Seculorum Patres, ut oſtendunt Bellarminus, Alexander, Juveninus, Bojle, Pater a S. Martha, aliique, de illa mentionem fecerunt. Si vero non eſt Chriſti dictatum, cujus erit? Si Panigarolæ, qui a Chriſto inſtitutionem oſtendit, fides non adhibeatur, a ſapienti Calvino ſaltim Auctor renuntietur. Inſtantiæ pondus vitare Picenine ſtudes, propterea ſubdis *pag. 335.: Vult Frater a Calvino ſcire quis ſecretam Confeſſionem inſtituerit, ſi a Deo non proceſſit, pene ac ſi digito indicare Calvinus teneretur hujus inventi Auctorem. Quærat Monachus inter traditiones, quandoquidem his delectatur, ejus originem.* Si Calvinus negat Chriſtum Auctorem, quis porro iſte ſit ſuum eſt oſtendere: quod ſi neſciat, indicium eſt nullum poſt Chriſtum habuiſſe Auctorem, ideoque rem ejus eſſe. Proferre, *Calvinum pleriſque inſignioribus Romæ ſcriptoribus oſtendere divinum non eſſe dictatum, ſed humanum commentum*, gerræ tuæ ſunt, ignarus quid certi reſpondeas. Probare fas eſt, non garrire. Quod ex noſtris quidam referant, *ex univerſali Eccleſiæ traditione* proceſſiſſe, etſi fortaſſis ita ſit, non me movent, quibus doctiores, & melioris notæ viros oppono, qui conſtanter aſſerunt eam a Chriſto inſtitutam, non mi-

Digitized by Google

minus ac Baptiſmum: quod & oſtendi. Etſi vero illis adhiberetur fides, nonne Calvini ſummum audaciæ genus adhuc eſſet, ſe ſolo velle ab Eccleſia exterminare, quod *ab univerſali Eccleſia traditione* ſancitum fuerat, illis etiam temporibus, quibus illibata, juxta opinionem ſuam, vigebat illius doctrina? Intelligit ne quid referat, Confeſſionem dimanaſſe ex univerſali Eccleſiæ traditione? Diſcat ex D. Auguſtino *lib. 2. de Bapt. contra Donat. cap. 7., lib. 5. cap. 23., & Epiſt. 118. cap. 1. nunc 93.*, a quo audiet, quod quærenti unde non rebaptizandi redeuntes ab hæreſi prodierit conſuetudo, ille reſpondet: *Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica conſuetudine venientem, ſicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum: & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita, & commendata creduntur.* Confeſſio igitur, ſi a Chriſto inſtituta non eſſet, *ſed a quadam univerſali Eccleſia traditione* deſcenderet, credenda eſſet ab Apoſtolis inſtituta, vel ab ipſis promulgata, ut verbis D. Thomæ utar *in 4. diſt. 17. q. 3. ar. 1. queſtiunc. 5. ad 2., & ar. 3. quæſtiunc. 1. ad 1.* Cujus autem mandato, niſi ipſius Chriſti?

24. Vetuſtiſſima igitur, non nova res eſt Confeſſio, & ejus uſus. Veruntamen ais cum tuo Calvino: *Illis temporibus libera erat; neque lex, neque neceſſitas imponebatur.* Antiquitus tamen in uſu erat publica Confeſſio, tum etiam ſecreta. Id fatetur Calvinus, in hoc etiam fide dignus. Demus præceptum Confeſſionis in verbo Dei non eſſe expreſſum; inficiari tamen nequit, Chriſtum Matth. *cap. 18.*, & Joann. *cap. 20.*, ſimul ac dedit Apoſtolis & Sacerdotibus cum Spiritu Sancto poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, tribunal erexiſſe, in quo, vice ſui, Sacerdotes ſederent Judices, cum poteſtate ligandi, ſolvendi, remittendi, retinendique peccata: quamobrem, ipſo facto, lex intelligebatur cuique ſtatuta, qui ſolutionem, & remiſſionem delictorum ſuorum aſsequi vellet, ut ſcilicet ad ipſos accederet, & propriæ conſcientiæ latebris ſincere, ac diſtincte revelatis, a Sacerdotis ſententia neceſsario penderet. Quando Chriſtus Apoſtolis dixit *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, in ipſos tranſtulit, delegavitque ordinariam abſolvendi poteſtatem, ſervata ſibi extraordinaria, necnon fidelibus omnibus præſcripſit debitum ad eos accedendi, ut conſcientiæ ipſorum cauſæ ordinario ritu expedirentur. Res eadem eſt de Baptiſmo; ſiquidem facile poterat Chriſtus viam ſalutis hominibus aperire, quin omnes cogeret a miniſtrorum manibus Baptiſmum ſuſcipere: & re vera abſque Baptiſmi lavacro quidam ſalvi facti ſunt; at extraordinarie factum eſt: medium tamen ordinarium eſt Sacramentum Baptiſmi. Ita peccatorum remiſſio, quanquam extraordinaria diſpenſatione non negetur conceſsa, & ſæpe concedi extra Confeſſionis actum, licet non abſque ejus voto, ordinaria tamen forma remiſſionis unice eſt ipſa actualis Confeſſio. Ad hæc. Qua Dei verbi pagina legitur, a Chriſto expreſse præceptum his qui fideles eſse velint, ut Baptiſmo tingantur? Verba illa Chriſti Joannis *cap. 3.: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, a te, & a Calvino de Baptiſmo negantur interpretari debere, ut oſtenſum eſt *Tom. I. Cap. 15.* §. 14. Non alibi igitur inferri poteſt præceptum de ſuſceptione Baptiſmi, niſi ex ejus inſtitutione, & ex poteſtate ordinis Apoſtolis commiſsa conferendi Baptiſmum. Porro etſi non habeatur expreſsum quod Chriſtus fidelibus ſuis præceperit Sacerdoti confiteri peccata ſua, ut remiſſionem obtinerent, ſatis tamen id mandaſse intelligitur ex ipſa poteſtate Apoſtolis collata ſolvendi peccata. Antiquitus conſuetudo erat, mulieres ſua etiam occulta peccata confiteri, quæque etiam dicere maxime erubeſcerent. Id patet ex facto quod Irenæus narrat de mulieribus illis, quæ a Marco hæretico corpore extermina-

tæ,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tæ, reverſæ ad Eccleſiam confeſsæ ſunt inflammatas valde illum ſe dilexiſse, *lib. 1. contra hæreſ. cap. 9.*, ſive *cap.* 13. Hujuſmodi ergo Confeſſionem fecerunt, quia ſic confiteri ex debito & lege ſciebant teneri: incredibile quippe videtur, mulieres, quas pudor maxime cogit, impudicum cor homini revelaſſe, nulla urgente lege. Neque Confeſſio hæc publica reputari poteſt, dum publica Confeſſio, & pœnitentia, non de occultis, ſed de notoriis peccatis imponeretur.

25. Ira accenſus clamas *pag.* 325., *legem non haberi antiquiorem de Confeſſione ſecreta, præ illa Innocentii III. in Lateranenſi IV. cap. Omnis utriuſque ſexus.* Idem Calvinus ſcripſerat *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 4. §. 7. Unanimiter tamen reſpondent noſtrates, legem ab Innocentio III. latam fuiſſe de Confeſſione quolibet anno ſaltim habenda, decernendo tempus quo divinum præceptum deberet impleri. Cardinalis Cajetanus, quem ſtulte putas tecum ſentire, ita ſcribit: *Ratio enim Eccleſiaſtici præcepti, non eſt præcipere Confeſſionem, ſed præceptam divino jure Confeſſionem determinare quo ad tempus executionis: & propterea ſub Eccleſiæ præcepto non alia comprehenditur Confeſſio, quam quę a Chriſto præcepta eſt.* Doctrina eſt D. Thomæ Magiſtri ſui. Præceptum igitur Confeſſionis diſtinguendum eſt a tempore executionis. Præceptum Confeſſionis a Chriſto eſt Auctore, & Inſtitutore, quemadmodum ab ipſo eſt præceptum Baptiſmi ſuſcipiendi. Hoc autem præceptum Eccleſia ſemper habuit, & eſt divini juris. Tempus autem executionis hujus divini præcepti, ſtatutum fuit in Lateranenſi IV. quod præceptum eſt Eccleſiaſticum; quemadmodum de Jejunio tecum dicebam, ſcilicet Jejunium a Deo præceptum eſſe, Jejunii vero tempus ſtatuere, ad Superiorem pertinere. Eodem Capite Synodi Lateranenſis, in quo ſancita fuit annua Confeſſio, ſtatuta pariter fuit annua Communio in Paſchate. Porro dices retro fuiſſe liberum cuique Communionem ſumere, neque hanc eſſe ex inſtitutione, & ordinatione divina, ſed tantum humana, quia illo Canone ſancitam vides? Si Confeſſio ſecreta antea libera erat, & in ſola Lateranenſi ex præcepto ordinata, quomodo fieri potuit, quod omnes Occidentales, & Orientales Eccleſiæ abſque contentione eam reciperent, & ipſæ ſchiſmaticæ adhærerent, quin ſaltim dolerent contra traditionem jugum imponi fidelibus, aperiendi homini penitiora proprii cordis arcana? Si nemine contradicente unanimiter id receptum fuit, non novum confitendi pręceptum, ſed nova ſancita fuit temporis præſcriptio; quippe Innocentius ipſe III. ante convocationem Lateranenſis Concilii, Indulgentias impartiens his, qui pro Terræ Sanctæ acquiſitione arma ſumerent, tanquam conditionem peccatorum Confeſſionem præſcripſit: *Omnibus*, verba ſunt Bullæ, *qui laborem iſtum in propriis perſonis ſubierint, & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, de quibus veraciter fuerunt cordi contriti, & ore confeſſi, veniam indulgemus.* Hinc ab omnibus ſucceſſive Pontificibus, a Conciliis impoſterum celebratis, confirmata ac probata fuit Confeſſionis neceſſitas, lato anathemate contra negantes. Nihilominus pertinaciter contendis, ante Lateranenſe nullum documentum circa neceſſitatem ſecretæ Confeſſionis haberi, ſicut habetur de Communione, de qua ais *neceſſitatem conſtare ex præcepto Chriſti, & Apoſtolorum ex Patrum ſententiis, ex Canonibus Conciliorum Synodo Lateranenſi antiquiorum; at non ita de ſecreta Confeſſione.* Nonne Chriſti pręceptum probavi circa Confeſſionem in ipſius inſtitutione contineri apud D. Joannem? Oſtende, ſi vales, rationem factam non tenere. Nonne conſuetudo patuit, & uſus in primitiva Eccleſia, non aliunde, quam ab Apoſtolis veniens? Origenes *Hom.* 2. *in Pſ.* 37. comparat peccatorem confiteri renitentem, illis qui crudis cibis gravati, ſtomachum exhaurire recuſantes, ſuffocari periclitantur. Tertullianus *de Pœnit. cap.* 9. de eodem dicit: *Velut illi qui in partibus*

Digitized by Google

bus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiam medentium vitant, & ita cum ſua erubeſcentia pereunt. D. Baſilius *in reg. brev.* neceſſarium tenet peccata aperire his, *quibus credita eſt myſteriorum diſpenſatio.* D. Joanes Chryſoſtomus ejus neceſſitatem oſtendit *Hom.* 30. *in Geneſ.*, & *Hom.* 3. *in Joann. de muliere Samaritana*, ubi hujus mulieris exemplo, quę Chriſto peccata ſua faſſa eſt, omnes ad imitationem hortatur, ſubdens, qui ea hic confiteri ex inſano pudore abſtinebit, in ultimo die omnibus revelari publica infamia ſuſtinebit. Ex his loquendi phraſibus, quis non intelligit hujuſmodi Patres non liberam, ſed neceſſariam retuliſſe peccatorum Confeſſionem? D. Gregorius, qui profecto cæcus non erat, *Homil.* 26. *in cap.* 20. *Joann.* in verbis illis Chriſti Lazaro præcipientis *veni foras*, figuratum agnoſcit generale pręceptum confitendi peccata: *Mortuo Lazaro nequaquam dicitur reviviſce, ſed veni foras; omnis quippe peccator, dum culpam ſuam intra conſcientiam abſcondit, introrſum latet, in ſuis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur veni foras, ac ſi aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis?* Quocirca eodem ſeculo VI. Joannes Jejunator Conſtantinopolitanus Patriarcha ſcripſit Pœnitentiale, editum inde a Joanne Morino, in quo Sacerdos Pœnitentem alloquitur: *Spiritualis fili ego Confeſſionem tuam primario, & præcipue non recipio, nec tibi abſolutionem concedo, ſed per me Deus.... cum ſecundum multam, quæ exprimi non poteſt, ejus miſericordiam ita dixit: Quæcunque ligaveritis, aut ſolveritis ſuper terram, erunt in Cælis illa quidem ligata, hæc vero ſoluta. Revela igitur, & declara coram Sanctis Angelis, nihilque me cela eorum, quæ a te clam facta ſunt, velut ſi Deo occulta cordis cognoſcentis confitereris.* Inde de peccatis omnibus, præſertim occultis, & de ſingulis circumſtantiis Pœnitentem interrogat: hoc autem ſeptingentis annis antiquius eſt ipſa Lateranenſi Synodo. Videantur etiam priora Concilia, Turonenſe ann. 813. *Can.* 22., ubi quaſdam regulas Sacerdoti præſcribit erga Pœnitentes, Cabilonenſe II. eodem anno celebratum *Can.* 32., Pariſienſe VI. ann. 829. *Can.* 32., Wormatienſe ann. 868. *Can.* 25., Moguntinum *Can.* 27. Hæc & alia plurima ipſo Lateranenſi vetuſtiora documenta ſunt circa Confeſſionis neceſſitatem.

26. Calamitas noſtra eſt habere adverſarium pervicacem, & erronem. Primo jam cum Calvino concedebas, Confeſſionem ſecretam eſſe vetuſtiſſimam, liberam licet, non neceſſariam: modo vero, a Panigarola audiens facta, quæ hanc veritatem commendant, conceſſa negas, ſive *ea facta intelligi de publica, non de ſecreta Confeſſione.* Apud Euſebium *lib.* 5. *cap.* 28. quidam Natalius deceptus, accepta pecunia, conſenſit ſe Epiſcopum ordinari partium Artemonis hæretici. Plurimis viſionibus a Deo monitus fuit recedere, ſed admonitionibus ſpretis, tandem nocte totam tam dure ab Angelis vapulavit, quod mane ægre ſurgens, cinere, & cilicio indutus, intimo dolore cordis ad Zephyrini Pontificis pedes cecidit, & Cleri, ac Laicorum adſtantium genua amplectens, orabat Eccleſiæ pietatem, & miſericordiam ſibi implorabat: nihilominus, licet precibus inſtaret, & verberum cicatrices detegeret, *vix tandem*, concludit Euſebius, *in communionem Eccleſiæ receptus fuit.* Hujus Confeſſionem publicam fuiſſe ex facto patet: hanc tamen canonicam, & ab Eccleſia præſcriptam, non vero Sacramentalem fuiſſe, non admittimus. Peccatorum Confeſſio juxta præceptum Chriſti ſecreta valet, publice tamen facta tenet, nec abſolutionis, & Confeſſionis publica manifeſtatio impedit Sacramenti validitatem. Confeſſio Natalii publica fuit, ſed non ex præcepto publica, qualis canonica Confeſſio, quæ peccatorem publicum inter pœnitentes ſtare cer-

to tempore præſcribebat; Natalius vero, licet difficulter, attamen ad Eccleſiæ communionem ſtatim receptus fuit: quare ejus Confeſſio non canonica, ſed Sacramentalis fuit. Idem aſſero de Confeſſione, quam Euſebius Papa a Philippo Cæſare expopoſcit, qui cum juxta Zephyrini decretum de Communione paſchali annuatim a fidelibus habenda ad Eccleſiam accederet participaturus, ut Euſebius Cæſarienſis *lib. 6. Hiſt. cap.* 34. narrat, Pontifex ipſum ſciens multis criminibus irretitum, teſtatus eſt ipſum non admiſſurus nisi Confeſſione facta ſcelerum: *Sed Epiſcopum, qui tunc Eccleſiæ praerat, non prius aditum permiſiſſe, quam Confeſſionem ſcelerum feciſſet, iiſque qui humanitus lapſi fuerant, & in pœnitentium ordine ſtabant, ſe ſe adjunxiſſet.* Quod cum religioſe, ac modeſte Imperator impleverit, receptus fuit: neque narratur hic, Euſebium publicam a Philippo exegiſſe Confeſſionem, ſed quod ſe ſe adjungeret his *qui humanitus lapſi fuerant*, vel, ut alia verſio legit, *qui peccatorum vinculis tenebantur adſtricti.* Confeſſio igitur requiſita, cum talis fuerit, qua peccata ipſi remitterentur; non publica, aut canonica, ſed Sacramentalis erat: hi autem qui Sacramentaliter confiteri debebant, quod ab aliis & ipſi ſejuncti ſtarent, publicæ pœnitentiæ ſigna exhibentes, diſciplina erat illorum temporum: ex quo infertur, veteres Chriſtianos communicantes in Paſchate, peccatorum Confeſſionem debuiſſe præmittere; cum autem nemo ad Communionem admitteretur, quin prius peccata ſua confeſſus eſſet, ſignum eſt, dictum illud D. Pauli *probet autem ſeipſum homo* antequam communicet, ab antiquis intellectum fuiſse de Confeſſione peccatorum: quorum nihil in præſens Eccleſiæ Proteſtantium retinent, abhorrentes tum a privata, tum a publica Confeſſione.

27. Prætendis *pag.* 335., *Confeſſionem ab antiquis Exomologeſim dictam, ut D. Cyprianus docet lib.* 1. *Ep.* 3., *& lib.* 3. *Ep.* 17., publicam fuiſſe: ego autem aſſero & ſecretam fuiſſe; illam pro publicis, iſtam pro occultis peccatis. De illa S. Martyr agit locis a te citatis, de iſta *ſerm.* 5. *de Lapſis*, in quo Cyprianus ipſe, poſtquam dixerat: *Videt corda, & pectora ſingulorum;* item: *Judicaturus non tantum de factis, ſed & de verbis & cogitationibus noſtris;* item: *Omnium mentes, voluptateſque congeſtas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur*, addit: *Quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti: quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt &c.* Et mox: *Confiteantur ſinguli, quaſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti Confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio, & remiſſio facta per Sacerdotes apud Dominum grata eſt.* Sic Cyprianus in III. Seculo, nec [illegible] loqui poterat pro ſecreta Confeſſione. Loquitur hic etiam de peccatorum Confeſſione ſoli Deo facta, de *exomologeſi* dolore confecta, ſatisfactione, abſolutione, & remiſſione Sacerdotis; cui propterea nihil deeſt, ut ſit ſecreta, & Sacramentalis, idcirco neceſſaria temporibus uſque Cypriani. Attendatur eadem periodo multorum teſtificatio, quorum ſingula a Proteſtantibus negantur: *Pœnitenti, operanti, roganti, poteſt clementer ignoſcere* (en remiſſio peccatorum concredita non ſoli fidei, ſed Pœnitentiæ, operibus, & orationibus) *poteſt in acceptum referre quidquid pro tali ut & petierint Martyres* (en Martyrum interceſſio), *& fecerint Sacerdotes* (ecce tibi Sacerdotum auctoritas), *vel ſi quis plus eum ſuis ſatisfactionibus moverit, ſi ejus iram, ſi indignantis offenſam juſta deprecatione placaverit.* Ecce tibi ſatisfactiones noſtræ ad habendum Deum placatum. Id unum ſufficit, ad quempiam ſuadendum de veritate, & vetuſtate ſecretæ Confeſſionis, aliorumque Catholicorum dogmatum, tanti viri auctoritas

cto-

ctoritate commendata. Mitto tibi Serapionis factum (*Euſeb. lib. 6. Hiſt. cap. 44.*), & ad ea me refero quę *pag.* 436. aſſeris, nimirum *privatam* *Confeſſionem uſum habuiſſe in caſibus inevitabilibus: Eccleſia autem confiteri ſolitos dumtaxat eos fuiſſe, qui enormia commiſiſſent delicta*; quæ falſiſſima eſſe Cyprianus jam evicit, qui ſpontaneam præſcribit Confeſſionem cujuſcunque peccati Sacerdoti fieri, ut a Deo & ab Eccleſia impetretur remiſſio. Quocirca ad rem non faciunt Confeſſiones *Sidonii, & Celerini, qui publice faſſi ſunt apoſtaſiam ſuam, repudiantes coram Eccleſia mala facta Novati*, apud Euſebium *lib. 6. Hiſt. cap. 43.*, quemadmodum nec *illa Theodoſii Imperatoris, qui a D. Ambroſio excommunicatus, publicam Confeſſionem fecit in Eccleſia, precibus, & lacrymis* (apud Rufinum *lib. 2. Hiſt. cap. 18.*). Confeſſiones iſtæ publicæ fuerunt, & canonicæ, & inſanum eſt inferre: In Eccleſia veteri in uſu erat publica Confeſſio; ergo privata, & Sacramentalis Confeſſio nulla erat. Immo ſi publica uſum obtinuerat, cur non & ſecreta? Teneo utramque conſuetam fuiſſe. Tu vero quomodo pſeudo-Eccleſiam tuam defendis, quæ nullam recipit Confeſſionem, ſive privatam, ſive publicam? Si privatam rejicis, quare publicam, quam commendas, non recipis?

28. Petis *pag.* 336., *an Mediolanenſis Epiſcopus poſſet Cæſarem excommunicare? Quid Romanus Epiſcopus habebat ſupra Mediolanenſem? Numquid hodie Mediolanenſis Epiſcopus auctoritatem haberet interdicta intentandi in Imperatorem?* Hæ ſunt familiares gerræ tuæ, qui vel ignoras, vel ignorare diſſimulas, Epiſcopum interdicere poſſe ingreſſum in Eccleſiam ſuam, & anathemate irretire publicum quempiam peccatorem, etſi Imperator ſit, cum ad ovile proprii paſtoris pertineat. Theodoſius D. Ambroſio obtemperavit, & ejus veritus auctoritatem, pœnitentiam egit, & ex corde illam deprompſit ſententiam, tandem dixiſſe *quid eſſet diſcriminis inter Sacerdotem, ac Principem. Veritatis magiſtrum vix tandem inveni. Unum enim Ambroſium novi, qui Epiſcopus dici mereretur.* Ita Theodoſius Nectario Conſtantinopolitano, apud Theodoretum *lib. 5. Hiſt. cap. 18.*

§. V I.

Nectarii factum expenditur, & quædam Joannis Chryſoſtomi dicta.

29. NEctarium non nominavi perperam, quippe hujus auctoritate contra neceſſitatem Confeſſionis Calvinus abutitur. Ergo iſte, juxta Picenini cantilenas *pag.* 336., *Lib. 3. Inſtit. cap 4. §. 7. ait ex Sozomeno Nectarium Confeſſionem abrogaſſe, quia dum mulier quędam confiteretur, a Confeſſario violata fuit.* Male utique ſycophanta incipis, quia nec Sozomenus, nec Socrates, nec Calvinus ipſe, unquam retulerunt, mulierem illam a Confeſſario fuiſſe oppreſſam, bene vero a Diacono: *Donec matrona quædam confitentem ſimulans, ea ſpecie conſuetudinem quam habebat cum Diacono prætexuiſſe deprehenſa eſſet.* Ita Calvinus. Res fuit, quod matrona a Confeſſario adſtricta manere in Eccleſia in jejuniis, & orationibus, peccavit cum Diacono, quamobrem factum eſt murmur in populo, & Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Eudemonis Presbyteri conſilio, Confeſſarium, ſive Pœnitentiarium ſuſtulit: atque in hoc una conveniunt Socrates, & Sozomenus. Hic Picenine tripudias, atque addis, *has de cauſa Nectarium Epiſcopum laudem ſibi meruiſſe, & ab aliis etiam fuiſſe imitatum: inde Calvinus infert, Confeſſionem ex Dei præcepto non fuiſſe, ſiquidem planſu eam abrogavit Nectarius.* Ad Panigarolam deinde converſus, interrogas: *Quomodo iſtum hunc fugiet adverſarius? Vellet Sozomeni hiſtoriam rejicere, ſed corde non audit. Quid reſpondet Frater?* Cum autem Panigarola neget concedere Confeſſionem a Nectario fuiſſe abrogatam, non ceſſas plurimis ineptiis oppoſitum ſuadere. Nolo verita-

tem ipſam facti negare, nec Sozomenum & Socratem, utpote Novatianos Sacramenti Pœnitentiæ hoſtes, tanquam malę fidei auctores traducere. Tantum dico, narrationem in circumſtantiis ſuis certam non eſſe: quod Sozomenus ipſe fatetur, dum poſtquam retulit, quod Nectarius *Preſbyterum illum, qui prapoſitus erat Pœnitentibus, primus ex Eccleſia ſuſtulit*, modum, & cauſam narrare inſtituens, ait: *Quid autem hoc ſit, & unde originem ſumpſerit, & quam ob cauſam ſublatum ſit, alii quidem aliter fortaſſe narrant. Ego vero ea dicam, qua ſentio.* Ex his oppido falleret Calvini ſermo, & tuus, incerto facto hærens ex confeſſione ipſius hiſtorici narrantis. At factum plane certum ſit.

30. Nectarius itaque, juxta Calvinum, privatam Confeſſionem abrogavit. Uſu ergo iſta habebatur illo in ſeculo. Quodque ita ſit, teſtimonium præbet Sozomenus ipſe *lib. 7. cap. 16.*: *Cum in nullo penitus peccare divinioris cujuſdam naturę ſit, & humanæ pręſtantioris; pęnitentibus vero, etiam ſi ſępius deliquerint, veniam dare Deus pręceperit* (en divinum præceptum de remiſſione danda pœnitentibus); *cumque in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat* (ecce neceſſitas confitendi peccata), *grave ac moleſtum ab initio jure merito viſum eſt, Sacerdotibus, tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſię multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Preſbyteris aliquem, qui vitę integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio prafecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœna loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſe ipſis pœnas criminum exacturos.* Si Sacerdos cuique confitenti pœnas ad delicti menſuram indicebat, evidens ſane, peccata non utcunque, & generatim, ſed diſtincte ſingula revelari: quod etiam probat Confeſſio illius mulieris iterato confitentis Pœnitentiario, primo de peccatis ſuis, pro quibus in jejuniis, & orationibus in Eccleſia manere compulſa fuit: hanc autem particularem fuiſſe Confeſſionem Socrates aſſerit *lib. 5. Hiſt. cap. 19.*: *Mulier . . . delicta poſt baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat*: ſecundo dum ſe accuſavit oppreſſam: *Progreſſu temporis mulier aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſia videlicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe.* Quę omnia indicant, in illo ſeculo, ac perpetuo, uſque ab initio, creditum fuiſſe, remiſſionem peccatorum, ex Dei præcepto, non impetrari, niſi media Confeſſione ſecreto facta Sacerdoti, qui pro unoquoque delicto propriam pœnam indicens, abſolvebat inde pœnitentes, a ſe ipſis pœnas criminum poſtea exacturos. Quid porro his deeſt, ut IV. Seculi Confeſſio par eſſet Confeſſioni modornæ Eccleſiæ Romanæ? Res eſt inquirere, an ſublato per Nectarium Pœnitentiario, omnino fuerit ſecreta Confeſſio abrogata. Quippe hoc nobile ratiocinium adverſus Panigarolam Picenine inſtituis: *Nectarius, quem multi Epiſcopi imitati ſunt, ſuſtulit Confeſſionem; ergo Confeſſio ex Dei pracepto non erat.* Ego vero Confeſſionem diſtinguo ab ipſo Pœnitentiario, qui miniſter præficitur Confeſſionis, ſicut ipſam ſubſtantiam Confeſſionis a ritu eam adminiſtrandi; inde aſſero, Confeſſionem peccatorum præceptum Dei eſſe, qui, ut ſcribit Sozomenus, pœnitentibus, etiamſi poſt Baptiſmum ſæpius deliquerint, veniam dare præcepit, ita quod in venia petenda peccatum neceſſario confiteri oporteat. Pœnitentiarius autem, qui tanquam miniſter præficitur, ex Eccleſiaſtica inſtitutione deligitur, ut tradit Socrates, quia, ex quo Novatiani ab Eccleſia ſeceſſerunt, communicare renitentes cum lapſis in perſecutione Decii, *ex illo tempore Epiſcopi Pœnitentiarium Preſbyterum albo Eccleſiaſtico adjecerunt, ut qui poſt baptiſmum lapſi eſſent, coram Preſbytero ad eam rem conſtituto delicta ſua confiterentur.* Confeſſionis ſubſtantia ex Dei præcepto originem habet,

bet, ritus vero ab Eccleſia præſcribitur. Hinc ſecreta Confeſſio fit, non publica; & Sozomenus, qui aſſerit: *Grave ac moleſtum jure merito viſum eſt, Sacerdotibus, tanquam in theatro... crimina ſua evulgare*, referens ritum quem Eccleſia Romana in Confeſſione frequentabat, diverſum quodammodo a ritu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ illum deſcribit. Præterea noto, Pœnitentiarium illum, etſi delinquentium Confeſſiones ſecreto exciperet, ſpectatiſſimum tamen virum eſſe debuiſſe: *Qui vitę integritate, & taciturnitate, ac prudentia polleret*. Ita Sozomenus. Verum tamen peccata quędam pœnis etiam publicis luenda mandabat, quod ex ſententia matronæ illi indicta conſtat, de qua Sozomenus ait in Eccleſia manſiſſe, ut injunctam pœnam expleret. Hinc ſcandalum Diaconi accidit. Quibus præmiſſis, eruitur, quod Nectarius, removendo Pœnitentiarium, ritum Eccleſiæ ſuæ abrogavit, non idcirco tamen Sacramentalem Confeſſionem ſuſtulit, quæ erat ex Dei præcepto. Id Panigarola intendit.

31. Inſtas tamen *pag.* 337., *Nectarium Confeſſionem abrogaſſe, decernendo, ut Sozomenus narrat, quempiam juxta conſcientiam ſuam poſſe myſteriis communicare. Hoc Fratri videtur, quod quiſpiam, juxta conſcientiam ſuam, Confeſſarium, ut antea mos erat, ſibi deligeret, acceſſurus ad Communionem. At Hiſtoricus nullam mentionem facit de Confeſſario eligendo; hoc itaque eſt Fratris falſum commentum*. Item: *Nectar ut conſcientiæ cujuſque tribunal opponebat tribunali Confeſſionis, & indicare volebat, quemlibet communicantem, quin alteri confiteretur, probare debere conſcientiam ſuam & ſic accedere ad ſacram menſam*. Hæ ſunt tricæ, & technæ tuæ, quæ illico produnt inſcitiam ſermonis tui; quippe uſus te docuit: Nectarium ſuſtuliſſe peccatorum Confeſſionem, ſi Preſbyterum Pœnitentiarium unice prohibuit? *Ut Pœnitentiarium quidem Preſbyterum expungeret*, ait Socrates *lib.* 5. *Hiſt. cap.* 19., *Preſbyterum qui agenda pœnitentia præpoſitus erat abolevit*, Sozomenus *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 16. Sozomenus, & Socrates non referunt, ab Epiſcopo ſublatum Preſbyterum qui Confeſſiones excipiebat, ſed Pœnitentiarium, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat. Nectarius igitur non a debito confitendi fideles liberavit, ſed a debito accedendi ad Pœnitentiarium; neque tribunal conſcientiæ oppoſuit Confeſſioni, ſed tribunali Pœnitentiarii, qui publicas pœnitentias pro occultis criminibus imponebat: quamobrem conſuetudinem innovavit, quæ ante perſecutionem Decii invaluerat. Tum vel Epiſcopo, vel Sacerdotibus ab Epiſcopo delegatis, delinquentes ſecreto confitebantur, & tam Confeſſio, quam pœnitentia ſecreta erat, præſertim ſi peccata vel Idololatrię, vel publicæ offenſionis non eſſent. Novatianę autem hæreſis cauſa poſitus fuit Pœnitentiarius, qui quanquam ſecretas audiret Confeſſiones, interdum tamen pœnas aliquas publicas injungebat; hic a Nectario ſublatus, & ſemotus fuit, Eudemonis conſilio, vel inſtigatione, dum fortaſſe Novatianis nimium deferret. Si hæc dicta Picenine non accipis, oſtendis te non legiſſe attente Sozomenum, & Socratem; quamobrem in Triumpho *pag.* 153. aſſeris, *Nectarium Confeſſionem abrogaſſe, quemadmodum clare patet in Socrate, & Sozomeno, quibus adſtipulatur Nicephorus lib.* 12. *Hiſt. cap.* 28., *& Morerius Dict. tom.* 4. *litt. N., qui fatetur paulatim Confeſſionem fuiſſe ſublatam*. Ego vero iterum dico, non Confeſſionem a Nectario ſublatam, quam Chriſtus ſtatuerat, & primitivæ Eccleſiæ Sacerdotes miniſtrabant, ſed Pœnitentiarium illum tantummodo ſuſtuliſſe: cujus muneris erat ſecretas Confeſſiones excipere, ipſis tamen publicam interdum præſcribendo ſatisfactionem; cujus occaſione Diaconi facinus ſubortum erat: Pœnitentiarius quippe, inter alias pœnas, illam etiam, ſi ita expedire videbatur, infligere ſolitus erat, quod pœnitens quædam ex perpetratis delictis in theatro Eccleſiæ dolenter ape-

riret; ſic autem mulieri illi a Diacono ſecundum corpus exterminarę indixerat, ut ſcilicet quædam delicta ſua coram Eccleſia publice fateretur, præter tamen malam cum Diacono conſuetudinem. At mulier, vel ex dolore, vel ex ſimplicitate inconſiderata, hanc etiam publico evulgavit: hinc offenſio accidit, & murmur in Eccleſia. Ita narrat Socrates: *Mulier longius in confitendo progreſſa, alterius culpa ſe ipſam inſimulat. Docet, Diaconum Eccleſia cum ipſa obdormiviſſe: ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Eccleſia ejectus eſt, tumultus inde in populi multitudine excitatus eſt &c.* Nectarius itaque prohibuit quod Eccleſiæ offenſioni fuerat, nimirum non Sacramentalem ſecretam Confeſſionem, ſed occultorum publicam, quæ a Pœnitentiario infligi in pœnam conſueverat.

32. Nicephorus narrationem Sozomeni unice exſcripſit; hinc & ipſe refert a Nectario inhibitum, *ne poſtea in Eccleſia Pœnitentiarius eſſet*, non quod Confeſſio non eſſet: quam ſi ab Eccleſia omnino abrogaſset, ab aliquo ſane indicaretur; at e contra Hiſtorici omnes, licet in quibuſdam circumſtantiis varii, in hoc uno conveniunt, ſcilicet Nectarium, ob ſubortum ſcandalum, Pœnitentiarium ſuſtuliſse per canones inſtitutum. Nihilominus in Triumpho *pag.* 259., velis remiſque contendis ſancitum *a Nectario, quempiam pro ſua conſcientia, prout ſibi ſtare videtur, communicare poſſe myſteriis: nec quemquam ad confitendum cogi, immo e contra communicantem propria conſcientia committi, quod perſpicue opponitur judicio in Confeſſione lato.* Sancitum minime fuit, quempiam propriæ conſcientiæ dimitti quo ad præceptum Confeſſionis, ſed quo ad exactionem pœnæ ſatisfactorię; videlicet cum antea nemo ſacris myſteriis communicare poſſet, niſi præmiſsa ſecreta Confeſsione, & ſimul abſolutis quibuſdam publicis pœnis pro occultis criminibus, impoſterum cuique liberum foret, poſt ſecretam Confeſſionem ad Euchariſtiam accedere pro ſua conſcientia. Quocirca Nectarius quod publicum erat abolevit, non quod ſecretum. Id ex Sozomeno, & Nicephoro deducitur, dum de Nectario conqueruntur anſam præbuiſse, ne aliena peccata redarguantur: quod indicat publicam Confeſſionem ſuſtuliſse, non ſecretam, illam ſcilicet a canonibus ſtatutam Novatianorum cauſa, non illam quæ, ut Sozomenus ait, *ab initio ſecreta*, juxta Chriſti præceptum ſancita erat. Quod Morerius, ſive ejus interpolatores inde aſſerant, paulatim confitendi morem obſolevifse, fortaſse accidit, non quod Nectarii mens in hoc tenderet, ſed quia familiarem hanc calamitatem habet remiſsio diſciplinæ, ut a permiſso, in vetitum decidat facilius. Porro illis temporibus id potuit contingere, dum Novatiano errore totus Oriens fœdatus, publica Confeſſione ſublata, minus arduum erat Novatianis populo ſuadere, ut ſecretam Confeſſionem negligeret. Ignoro tamen qua ratione Morerius aſserat, paulatim confitendi morem obſoleviſse, ſi de uſu Sacramentalis, & ſecretæ Confeſſionis loqui intelligat, quippe Socrates, & Sozomenus, mala quæ irrepſerunt ex facto Nectarii referentes, hanc ſecretam Confeſsionis jacturam non commemorant. Inſuper, cum ſexto ſeculo conſtet in Eccleſia Conſtantinopolitana ſecretę Confeſsionis conſuetudinem perſeveraſſe, ut deducitur, ex libro Pœnitentiario Joannis Jejunatoris, proferendus erat Epiſcopus & canon eam interdicens, ſi ſub Nectario id accidiſset: quę cum non appareant, plane conſtat ſecretam Confeſſionem veterem conſuetudinem ſuam retinuiſse.

33. Quoniam autem in facto Nectarii Proteſtantes omnes ſibi plaudunt, Nectarii perſonam perſcrutemur, & laudes quas ex hoc facto ſibi retulit. In Triumpho *pag.* 253. ais, *a Nicolao Papa ipſum nuncupari hæreticorum oppugnatorem, Eccleſia propugnatorem.* Si Nicolaus in VIII. Synodo Act. 4. hanc illi laudem tribuit, velut pio, ac zelanti viro, animadvertendum tamen, Epi-

ſco-

Digitized by Google

ſcopum creatum, pietate quidem rexiſſe, ſed cum doctrina & conſtantia minor eſſet, quam paſtoralis officii ſui ratio peteret, hęreticis occaſionem præbuit vexandi gregem ſuum; modica autem experientia ſua ac ſcientia, hęrentem diu illum atque ancipitem tenuit, quid pro ſcandalo matronæ oppreſſæ remedii apponeret: *Nectarius vero, cum diu, multumque dubitaſſet, quidnam in hoc negotio agendum eſſet .... cumque nonnulli conſilium ei dediſſent.* Si ab Epiſcopis imitatus fuit, tamen, juxta Socratem, & Sozomenum, alii, & præſertim Occidentales, Pœnitentiarium retinuerunt. Circa vero effectus conſequentes, legantur Socrates, & Sozomenus, factum plene reprobantes; immo Socrates, factum narraſſe affirmans juxta relationem Eudemonis, qui hæc conſuluit, iſtum ſic redarguiſſe teſtatur: *Et initio quidem Eudemoni iſta dixi: Conſilium tuum, o Presbyter, utrum Eccleſię profuerit, an non, Deus viderit. Ceterum anſam ex eo ſingulis datam eſſe video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant. &c.* Sozomenus aſſerit, ex quo ſublatus fuit Pœnitentiarius, cœpiſſe homines diſſolute vivere, qui antea pudore peccata confitendi Pœnitentiario coercebantur. Quid porro tam late Proteſtantes hoc factum commendant, quod illi, qui primo narrant, probare detrectant, immo effectus inde peſſimos exaggerant qui ex hac mala cauſa oborti inde ſunt? Etſi Nectarius, quod tamen falſum eſt, decreto ſuo abrogaſset Confeſſionem ſecretam, factum hoc ſingulare, quod vix executioni mandatum, a prudentibus vituperari meruit, Proteſtantibus exceptis, quodque graviſſima intulit mala, tantæ auctoritatis non eſt, ut inferri valeat, Confeſſionem ſecretam non eſse ex Dei præcepto. Illam autem efficaciam habet hoc argumentum; *Nectarius abrogavit ſecretam Confeſſionem; ergo non eſt ex Divina inſtitutione*, quam habet hoc alterum: *Lutherus, Calvinus, & Proteſtantes Confeſſionem exterminarunt ab Eccleſiis ſuis; ergo Confeſſio non eſt a Deo præcepta.* Male Nectarius, ſicut peſſime egit Lutherus, quanquam eorum intentio, & finis omnino in oppoſitum tenderent. Si vero quidam hoc imitati ſint, non eſt attendendum, quia malum dum imitatur, non immutatur.

34. Vociferaris *pag.* 337., *D. Joannem Chryſoſtomum, Nectarii ſucceſſorem, ſexcentis locis ſecretam Confeſſionem oppugnare.* Sexcentis? Unus dumtaxat valeret, ſed perſpicuus. Omnes textus hujus Sancti, Confesſioni favent. Non prætereamus quæ ex ipſo carpis, duce tamen Calvino *Lib.* 3. *Inſt. c.* 4. §. 8. Primus eſt *Homil.* 2. *in Pſ.* 50., ubi ita loquens Chryſoſtomus introducitur: *Non jubeo conſiteri ſervo tuo, qui redarguit. Dic Deo qui ſanat. Neceſſe non eſt confiteri coram teſtibus. Recogita cogitationibus delicta tua. Sit ſine teſtibus hoc judicium. Deus ſolus te videat confitentem. Non te traho in theatrum conſervorum tuorum. Non te cogo manifeſtare hominibus peccata tua. Revela coram Deo conſcientiam tuam, oſtende Domino, Medico praſtantiſſimo, vulnera tua. Dic mihi in abſcondito peccatum tuum.* Hæc ſunt chimærica illa *ſexcentum* loca, quibus, a Calvino depromptis, jactas ex Chryſoſtomo Confesſionem peſſundare: cum D. Chryſoſtomus prælaudato loco tractet de aſſiduo dolore a Chriſtiano habendo de peccatis ſuis, exemplo Davidis, cujus pœnitentialem Pſalmum exponit, agens de conſcientiæ ſcrutinio, quod quilibet facere tenetur, addens *Hom.* 2. *in Pſ.* 50.: *Quando accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris, antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium codicem conſcientiam tuam, & reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo, ſive in facto, vel in cogitatione peccaſti ... Quando in lectulum tuum veneris ... dicito in corde tuo, & in anima tua: Expendimus diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali operatè ſumus?* Nos idipſum Chriſtifidelibus ſuademus: nec eos conſtringimus illico confiteri, ut remiſ-

remiſſionem aſſequantur, non ignorantes, ad obtinendam a Deo juſtitiam, ſufficere contritionem perfectam cum voto confitendi. Propterea S. Doctor non ibi mentionem fecit de Confeſſione Sacerdoti facienda, non quod non eſse neceſsariam abſolute reputaret, ſed ad intentum de quo tum ſermonem habebat neceſsariam non eſse exiſtimavit, tum etiam quia de quotidianis peccatis, quæ plerumque venialia ſunt, loquebatur, quorum reatus Confeſſione ſoli Deo facta relaxatur. Idem dicimus ad *ſexcenta* illa loca a te compoſita, videlicet D. Joannem Chryſoſtomum *Serm. de Pœnit. & Confeſſ.. Homil. de incomprehenſ. Dei natura. Hom. de Lazaro*, contritionem inſinuare, & dolorem, quem homo elicere continuo debet de quotidianis erratis: quod ſane nullum exigit teſtem, cum ſatis ſit a Deo videri, cui conſcientia revelatur. Dicens autem in theatrum non trahere pœnitentem, ſecretam Confeſſionem non excludit, ſed publicam, quæ multis adſtantibus, ſummo pudore, evulgabatur: atque hic intellectus eſt, hæc mens Chryſoſtomi, qui tam perſpicue *in lib. 2. de Sacerdotio* ſecretam Confeſſionem aſſerit, ut de ipſo nequeat dubitari: *Quamobrem* (ait ille) *multa quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi ipſi perſuadeant, Sacerdotum curationibus ſe ſe ſubmittere oportere: neque id ſolum, ſed etiam ut curationis, ac medicinæ nomine gratiam illis habeant.* Et infra: *Neque enim temere ad delictorum modum oportet & mulctam ipſam adhibere, ſed tanquam conjecturis explorandus eſt animus, ne qua fiat, ut dum conſuere vis quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem facias &c.* Sequitur inde, diligentiam explicans Paſtoribus neceſsariam in medendis, corrigendiſque peccatis populorum, loquendo de internis, quæ *a principio haud facile ſe ſe homini produnt*, & de illis ex quibus fiunt homines *infirmi, ac remiſſi, & magna ex parte mundi hujus deliciis illecebriſque illaqueati*; quæ mala omnia ad Paſtorem pertinet curare, ex quo dictum fuit Petro: *Paſce oves meas.* Quomodo autem munus hoc explere Paſtor poſset, ſi peccata ſua Paſtori manifeſtare Chriſtianus non teneretur, quemadmodum infirmi faciunt vulnera ſua detegentes medico? Concilietur ergo Chryſoſtomus Chryſoſtomo, nimirum, cum viſus eſt aſserere, ſatis eſse peccatum Deo confiteri, non ideo excludit confiteri Sacerdoti, cujus curationi oportet ſubmitti; quemadmodum cum *Homil. 20. in Matth.* ait, ad impetrandam a Deo veniam ſufficere inimico ignoſcere, non intendit excludere neceſſitatem privatæ Confeſſionis.

35. Iterum Nectarius me movet ſignare veſtigia tua, qui ais *pag. 338.*: *Ante Novatum, & poſtquam novator hic errorem ſuum evulgavit, quiveris men aliquod perpetraſſet, & conſcientia ſtimulis ſolicitaretur, ad Paſtorem aliquem ut confiteretur accedebat. Hoc laudabile eſt, & juxta conſuetudinem quam habent reformatæ Eccleſiæ. Paſtor non abſolvebat crimen ut Judex in tribunali, imo referibat Eccleſiæ, & Clero. Hic vero mandabat uſque ad definitum tempus a Communione recedere, neve Sacramento participaret, inter Pœnitentes relegatus, & tandem plena Confeſſione delictorum ſuorum coram Eccleſia recitata, pacem impetrabat.* Sic magnifice loqueris. Non tamen recte; ſiquidem non de quolibet peccato, nec cum quolibet peccatore ritus hic ſervabatur: in vero, ſi ita capias, male capis, ignarus veteris diſciplinæ. Sozomenus *lib. 7. cap. 16.*, poſtquam ſtatuit Deum præcepiſſe pœnitentibus veniam dare, neceſſarium autem eſſe ad impetrandam hanc veniam peccata confiteri, ſubdit, grave, ac moleſtum ab initio viſum eſſe, Sacerdotibus in theatro Eccleſiæ aliena peccata evulgari. Quocirca ad hoc munus deſignatum fuiſſe ex Presbyteris aliquem ſpectatiſſimum, vitæ integritate, prudentia, & taciturnitate ornatum, ut omnium qui confiteri vellent Confeſſiones exciperet: *Ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos,*

aut

aut luere oporteret, pœnę loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſe ipſis pœnas criminum exacturos. Hujuſmodi Sacerdos ante Novatum Confeſſiones peccatorum audiebat, ſecreti fidelis cuſtos, non delator ad Eccleſiam: pœnas indicebat, non ad Clerum pęnitentes mittebat, atque ipſe ſe abſolvebat. Porro iſta cum cantilenis tuis non conveniunt; nec mirum: mendacium quippe non accommodatur veritati. Pone quam Novatus errorem ſuum effudit, Presbyter eodem ſecreto, eodemque abſolvendi ritu perſeveravit, donec a Nectario ſemotus fuit: magiſque neceſſaria erat iſtiuſmodi Presbyteri opera poſt perſecutionem Decii, in qua cum plurimi Idolis thus adoleviſſent, & Eccleſia maxime turbata eſſet, delinquentes ad ipſum veniebant, crimina ſua confitentes; quibus pro qualitate criminum pęnas infligebat. In ſumma liquido conſtat, tum omnia confitendi peccata, tum ea abſolvendi praxim perpetuo ſervatam, quam unice Novatiani rejiciebant. Quæſtio tantum eſt, an de quibuſdam publicis peccatis antea, vel poſt executionem pœnæ abſolutio impartiretur; quidam enim arbitrantur, etiam coram Deo hujuſmodi peccatoribus abſolutionem dilatam fuiſſe poſt conſummationem pœnæ, quidam vero cenſent, audita a Paſtore qualiſcunque ſceleris, etiam publici, Confeſſione, pœnitentem a culpa dimitti; illam autem abſolutionem, poſt publicam ſatisfactionem impertiri ſolitam, canonicam eſſe, & a pœna, non a culpa pœnitentem ſolvere, Eccleſiæ ipſum, non Deo, cui jam reconciliatus erat, reſtituere. Quapropter de hac abſolutione, prout Romæ miniſtrari conſueverat, Sozomenus ſcribit: *Ubi vero præſtitutus dies advenit, tanquam quodam debito perſoluto, a pęna commiſſi ſceleris liberatur, & reliquo Eccleſię populo ſociatur*.

36. Perſpicuum itaque eſt, Eccleſiam Catholicam illis temporibus Confeſſiones audiviſſe, abſolvendo pœnitentes ante, vel poſt conſummationem pœnæ. Novatiani pœnam injungebant, ſed abſolutionem a Deo impetrandam dimittebant, Eccleſiam omnis ſolvendi auctoritatis expertem eſſe effutientes. Novatus non modo pacem negabat his qui in perſecutione a Chriſto defecerant, ſed negabat ullam in Eccleſia extare ſolvendi poteſtatem. Socrates ſic de ipſo loquitur *lib. 4 Hiſt. cap. 23. & 28.: Deinde* (Novatus) *omnibus Eccleſiis ubique ſcripſit litteras, uti eos, qui ſimulacris immolaſſent, minime ad myſteria admitterent, ſed hortarentur ad pęnitentiam, remiſſionemque permitterent Deo, qui poteſt, & habet auctoritatem remittendi peccata*. Inde fatetur, Novatianos negare Eccleſię omnem poteſtatem remittendi qualecunque peccatum lethale: quod etiam colligitur ex colloquio Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi cum Aſclepiade Epiſcopo Novatiano, quorum primus cum conſentiret a communione ſegregandos eos quidem, qui immolaſſent Idolis, non autem leviter delinquentes, Aſclepiades apud Socratem ſic reſpondit *lib. 7. Hiſt. cap. 25.: Præter idolis ſacrificandi peccatum, ſunt alia peccata ad mortem, uti in ſacris litteris perſpicuum eſt, ob qua vos ſolum Clericos, nos laicos etiam communione excludimus, poteſtate ſoli Deo illis ignoſcendi relicta*. Idem refert D. Epiphanius *hæreſ. 59.* Novatiani ergo Eccleſiæ negabant poteſtatem ſolvendi a peccatis, ſoli Deo eam permittentes, quare Proteſtantes dum aſſerunt non Eccleſiam, ſed Deum ſolum peccata dimittere, Novatiano ore loquuntur. Nec valet ab ipſis fateri in Eccleſia poteſtatem denuntiandi remiſſionem a Deo, quippe tum a Novato etiam hæc admittebatur, qui Sacerdotibus ſuis inſinuabat, quod *hortarentur ad pœnitentiam, remiſſionemque permitterent Deo*. Diſtant ergo a Novatianis Proteſtantes, quod illi pacem lapſis & peccatoribus criminoſis non permittebant, quam iſti permittunt; conveniunt autem, quod utrique remiſſionis peccatorum poteſtatem Eccleſiæ negent. Immo quid gravius in Proteſtantibus animadverto; nempe Novatiani, quanquam de Idololatria, aliiſque ſcele-

ri-

ribus, & lethalibus culpis reos Eccleſiam abſolvendi poteſtatem non habere decernerent, parva tamen, leviaque peccata remittere poſſe non negabant: quod Proteſtantes faciunt, abrogantes ab Eccleſia quamcunque poteſtatem ad quęcunque remittenda peccata. Illi apud D. Ambroſium dicebant (*lib. 1. de Pœnit. cap. 2.*) *ſe, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus*; at Proteſtantes aſſerere non verentur, de quovis peccato nullam eſſe in Eccleſia poteſtatem. Novatiani, ſicut iſtis priores Montaniſtæ, diſcernebant inter graviora peccata, & irremiſſibilia, & minus gravia, ac remiſſibilia: & illa remitti nulla Eccleſiæ auctoritate poſſe contendebant, ab iſtis tamen re vera pęnitentes abſolvebant. Ergo Confeſſionis uſum habebant. Etenim ſi quædam peccata erant, quæ Sacerdos abſolvere poterat ex poteſtate Eccleſię, quędam vero non, oportebat ſane Presbyterum a pœnitentibus conſcium fieri peccatorum, ut agnoſceret quę ſub poteſtate Eccleſię caderent, quę vero non; quamobrem conſtans uſus, & neceſsitas Confeſsionis probata manet, tum apud Catholicos, tum apud hęreticos priorum temporum. Videatur Morinus *de Adminiſtr. Sacr. Pœnit. lib. 2. cap. 3. & 4.*

3. Theologos noſtros audes Picenine redarguere, quod Nectarii factum referentes, non cohæreant. Verum hiſtoricos ipſos Socratem, & Sozomenum potius debes reprehendere, qui varie, & obſcure id narrantes, immo & dubie, ut teſtatur Sozomenus, cauſam prabuerunt rationabiliter de ipſo dubitandi, vel varie differendi, immo etiam ipſum negandi. Moterius, tam magnifice a te commendatus, ait, certa fide dignos non eſſe duos illos hiſtoricos in ſua narratione. In ipſa varietate tamen ſtat præceptum Confeſſionis Sacramentalis a Chriſto impoſitum; tum Nectarium non eam abrogaſſe, vel ſi id feciſſet, male ſe geſſiſſe, & erraſſe. Ita Sotus *in 4. Sent. diſt. 18. quęſt. 1. art. 1.*, de quo tibi tam incondite plaudis. Ait Sotus edictum Nectarii brevi obſervatum; quia etſi D. Joannes Chryſoſtomus, tunc adoleſcens, forte ſcandalum hoc diſsimulaverit, Epiſcopus tamen omni conatu Confeſsionem inſtauravit, ut videre eſt in libris ejus *de Sacerdotio*, ubi *lib. 3. cap. 5.* ſummis encomiis poteſtatem extollit Sacerdotibus conceſſam remittendi peccata: *Quorumcunque enim, ait, peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit. Ceterum video ipſam eandem omnifariam poteſtatem a Filio ipſis traditam.* Ex his autem libris, tanquam tutioribus mentis ſuæ teſtibus, quia in Epiſcopatu ab ipſo exaratis, præ ceteris ſumendum eſt judicium. Ita Sotus, ſuaſus præfatos libros a Chryſoſtomo elucubratos fuiſſe jam Epiſcopo, quod negant alii. Inde refert alios textus inclyti illius Epiſcopi pro Confeſsione, ad eos reponens qui in oppoſitum astruebantur. Si Canus *Relect. de Pęnit. part. 5. ad 6.* in ea opinione fuit, Nectarium ſcilicet abrogaſſe ſecretam Confeſsionem, fatetur tamen Sacramentum eſſe a Chriſto inſtitutum, ad ſalutem neceſſarium; & pro putido hæretico habet illud negantem. Scite explicat Nectarii factum *Joannes Nexelius* in voto ſuo ad Concilium Tridentinum dum ex contextu Sozomeni oſtendit, Nectarium non eliminaſſe ſecretam Confeſsionem, ſed illam dumtaxat, quæ publice fiebat quorundam delictorum; quæ ex condicto Pœnitentiarii in theatro Eccleſiæ evulgabantur, ex qua ſcandalum venit. Pręterire autem poteras ſapientes convocare, qui judicarent quæ ſit *Romanorum Gigantium convenientia*, ex quo opinionum diſcordia tibi occurrat in relatione facti: pene ac ſi diverſitas in modo, falſitatem arguat expoſitionis. Si valeret hæc regula, facile foret Proteſtantes de falſitate redarguere, dum Confeſsionem contendunt negare; etenim Calvinus *Lib. 3. Inſtit. cap. 4. §. 7.* vetuſtiſsimum fatetur ejus uſum, quem deinde ſubdit a Nectario ſublatum.

Dal-

Dallæus negat ſecretam Confeſsionem unquam fieri conſueviſſe; quocirca Nectarium eam tollere non potuiſse. Si ſana res eſset hujuſmodi ineptiis attendere, apertiſsime oſtenderem in hoc etiam Proteſtantes præ noſtris magis diſsentire; verum ſat eſt oſtendiſſe, Confeſsionem a Chriſto ſtatutam, & præceptam, partem eſse Sacramenti Pœnitentiæ, & omnibus ſeculis in uſu fuiſse: tum quod Nectarius non eam abſtulit, & ſi ſuſtuliſset, erraſſet, ut fatentur ipſi hiſtorici coævi id referentes. Quapropter ſtultiſsimum eſt aſserere, Neetarium Confeſſionem abrogaſse, atque idcirco Dei præceptum non eſse, nec Sacramenti partem; enimvero etiam Cyprianus, adhærentibus plurimis Epiſcopis, invalidum ſtatuit hæreticorum Baptiſma, neque verro inferri valet, oppoſitum fuiſse humanum inventum.

38. Ad hæc ſubdis: *Si Confeſſio propter unum ſcandalum abrogata fuit, quid Reformatos condemnare, qui attentis tot ſubortis ſcandalis eam ablegarunt?* Si Nectarii factum a Socrate, tametſi Novatiano, tum etiam a Sozomeno damnatum fuit, pejus a nobis habendum Lutheri, & ſuorum factum, qui Confeſsionem exterminarunt, non ex ullo ſuborto ſcandalo, ſed ut licentius viverent. Ob unum quod accidit ſcandalum ſub Nectario Epiſcopo, non ex ipſa Confeſsione, ſed ejus occaſione, prudens ne, & optima res fuit rejicere Pœnitentiarium, & Pœnitentiam? Ex ipſa prædicatione non [illegible] ſcandala, immo ipſo Baptiſmo plurimi abuſi ſunt, idcirco ne tollenda prædicatio, exterminandum Baptiſma? Quę ſcandala inter Lutheranos, & Zuinglianos, cauſa Cęnæ? Ad ea igitur vitanda, melius illam abolere? Quæſo, quæ ſunt hęc ſcandala ex Confeſſione? Plurima enimvero ex ejus abrogatione evenerunt. Et ſublato per Nectarium Pęnitentiario, ſive, ut contendis, ipſa Confeſsione, nonne Socrates & Sozomenus teſtantur, pejora in Conſtantinopolitano populo accidiſſe mala? *Ex eo tempore* (Sozomenus *lib. 2. Hiſt. cap. 16.*) *id firmum ac ſtabile permanſit vetuſtate, eique adjuncta gravitate, jam tum, ut opinor, in laxam, ac diſſolutam vivendi rationem paulatim delapſa. Nam antea, ut equidem exiſtimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta enuntiabant, tum ob ſeveritatem judicum, qui ad id erant conſtituti.* Subjicit, quod ob ſcandalorum frequentiam, & gravitatem, Theodoſius coactus fuit legem condere ad tuendam Eccleſiæ dignitatem, & decorem, ne admitterentur fœminæ ad ſacrum miniſterium, quæ filios non haberent, & maturam ſexaginta annorum ætatem: quæ vero crinibus tonſæ eſſent, ab Eccleſia longe arcerentur, ſub pœna privationis Sacerdotii, Epiſcopis qui eas admiſiſſent. Confeſſione ſublata a Luthero, quæ exinde mala non prodierunt? Virgines Deo ſacræ ab Aſceteriis raptæ, furta, rapinæ, adulteria, totque alia monſtra, ob quæ, ut Sotus ocularis teſtis refert *in 4. diſt. 18 qu. 1. ar. 1.*, Norimbergæ datus eſt libellus ſupplex ad Carolum V., quo ab Imperatore illius Urbis cives rogabant auricularem reſtitui Confeſſionem, experientia edocti, impiorum Rempublicam, poſt ſublatam Confeſſionem, hujuſmodi vitiis redundare, quæ antea nec nominabantur. Hæc pars illa ſcelerum, quæ non ex uſu, ſed ex abrogatione Confeſſionis confluebat.

39. Memorandum profers *pag. 339.*, nimitum *Concilium Tridentinum ſancire unicuique neceſſarium eſſe volenti ad ſacrum altare accedere primum confiteri*; hinc miraris. *Sanctum Paulum hanc lectionem Corinthiis non præſcripſiſſe (1. Cor. 11. 28.), dumtaxat vero dixiſſe: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Inde clamas: *Quid? Doctor Gentium non noverat tanta neceſſitatis eſſe iſtam Confeſſionem? Quid cum Paulo Segneri Sanctus non ait confitendum eſſe, antequam de ſacro pane edant?* Jam dictum, in illis verbis *probet autem ſeipſum homo*, ſubintelligi Confeſſionem; ſiquidem homo ſcrutinio ſui ſe probans, emun-

dari debet mediis a Chriſto inſtitutis. Neque D. Paulus ait, quod homo ſeipſum probet, & ſi noxius ſit, pœniteat, & Deo confiteatur. Ergo ut quis ad menſam ſacram accedat, ſcrutinio conſcientiæ facto, neceſſaria non erit expurgatio criminis, media contritione, vel confitendo Deo, vel ſaltem fide? In illis D. Pauli verbis *probet ſeipſum homo*, veteres ſubindicatam intellexerunt Confeſsionem peccatorum; hinc D. Cyprianus *ſerm. de Lapſis.* contra quoſdam iraſcitur, qui ad Euchariſtiam accedebant *ante expiata delicta, ante exomologeſim factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio, & manu Sacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem putant eſſe.* Hæc nempe D. Cyprianus, expendens D. Pauli verba. Non me latet, D. Joannem Chryſoſtomum *Homil. 8. de Pœnit.* ſcribere: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit, intus in conſcientia, adſtante nemine, preter eum qui cuncta videt, Deum, qui & ſcrutatur, & de peccatis judicat &c.* Et inſuper *Hom. 28. in 1. ad Cor.*, exponens D. Pauli verba, ait: *Non jubet ut alter alteri probetur, ſed ipſe ſibi, non publicum faciens judicium, & ſine teſte argumentum.* Verum qui non utrumque amiſit oculum, ut tu miſer feciſti, profecto videt, D. Chryſoſtomum utrinque excludere publicam Confeſſionem coram teſtibus, quam certe non jubet Apoſtolus, ſed tantum ſecretam, in qua ſolus intereſt Sacerdos, & pœnitens. In hoc dici vere poteſt, adſtare neminem, præter Deum: Sacerdos quippe Dei vices tenet, & ſecretum tam religioſum, tam ſacrum eſt, quod proprie dici valeat ſoli Deo notum. Age tamen, ſit quod Chryſoſtomus non conſuleret peccata Sacerdoti actu confiteri ante ſuſceptionem Euchariſtiæ: quid inde evinceres? Confiteri peccata ex divina inſtitutione procedit, nullum tamen a Deo præceptum habemus præmittendi actualem Confeſſionem Euchariſtiæ ſumptioni, quaſi ſatis eſſe nequeat corde contrito confiteri Deo peccatum. Tridentinum Concilium, dum præcipit fidelibus confiteri ante ſumptionem Euchariſtiæ, atque id infert ex verbis Apoſtoli, de hoc non loquitur velut ex divino præcepto, ſed ex conſuetudine Eccleſiæ; quapropter relatis Divi Pauli verbis *probet autem ſeipſum homo*, ſubdit *Seſſ. 13. cap. 7.*: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Hujuſmodi autem conſuetudo forte non ita invaluerat in Oriente temporibus Chryſoſtomi, & fortaſſis etiam Confeſsio occultorum criminum illis temporibus in uſu frequenti non erat, quemadmodum etiam in præſens Græci raro confitentur. Hac ratione textus etiam Chryſoſtomi explicari poſſunt, quibus videtur aſſerere ſolam Confeſſionem Deo factam ſufficere, ſignificare volens, quod quanquam neceſſarium ſit vulnera propria Sacerdoti aperire, ut per ipſum ſanentur (quare *lib. 2. de Sacerdotio cap. 7.* legitur: *Quamobrem multa quidem arte opus eſt, ut qui laborant Chriſtiani, ultro ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſubmittere oportere*), non id tamen fieri qualibet circumſtantia opus eſse, ut a Deo obtineatur remiſſio: unde diſtinguere oportet inter ſubſtantiam Confeſſionis, & tempus, ceteraſque circumſtantias. Peccata confiteri Sacerdoti, eſt divinum præceptum; unde qui ſarcina peccatorum lethalium gravatus confiteri noluit, ſaltim in articulo mortis, dum potuerit, nulla ipſi omnino ſalus ſperanda fuit. Quale ad ſalutem medium magis neceſſarium, quam Baptiſmus? & tamen primis ſeculis per annos plurimos differri conſueverat, aliquando etiam uſque ad mortem. Porro quid mirum, priſcis temporibus in Oriente Confeſſiones fuiſse dilatas? Nec propterea quid novi Tridentinum Concilium ſtatuit, ut ſupponis,

ſe-

Digitized by Google

ſecretam auricularem præſcribendo Confeſſionem ante Euchariſtiam; ſed ad Eccleſiæ conſuetudinem reſpexit, cujus teſtes ſunt Cyprianus, Tertullianus, Origenes, aliique: nec officeret ſi quidam Patrum aliter ſenſiſſent; etenim ipſe Chryſoſtomus *Hom.* 30. *in Matth.*, agens de præparatione ad Paſcha, ait: *Quia in magnam hanc hebdomadam pervenimus Dei gratia, nunc maxime & jejunii curſus intendendus eſt, & magis continuanda ſunt preces, faciendaque diligens, & pura Confeſſio peccatorum*. Sed ad alia mendacia tua expendenda deſcendamus.

§. VII.

Palpabilia quædam Picenini mendacia aperiuntur.

40. Iterum in Apologia garris: *Si Confeſſio ſancita fuit ab Innocentio III., quomodo a multis ſeculis in uſu erat?* In Triumpho autem *pag.* 254. ſic de more *ex tripode* oracula pandis: *Nego cum Calvino, & inter cetera aſſero, nullam haberi vetuſtiorem ſecreta Confeſſionis legem, præ illa Innocentii III. in Lateranenſi. Si autem eam ipſi habeant, cur non exhibent?* Quando Chriſtus Apoſtolis poteſtatem contulit remittendi peccata, ipſis fidelium conſcientias ſubjecit, quibus impoſuit ſe ſe conſtituere, ut ſolverentur, vel ligarentur. Ab Apoſtolis uſque nunc ſucceſſiva traditio me docet, quolibet ſeculo ſecretam Confeſſionem uſu retentam: quod facile videre potes, percurrendo omnium ſeculorum Patres, apud Bellarminum, Natalem Alexandrum *Sec.* 13. & 14. *Hiſt. Eccleſ. diſſert.* 14., Gaſparum Juveninum *Comment. hiſt. & dogm. de Sacr. Pœnit. q.* 5. *cap.* 1. *ar.* 2., Jacobum Boile in ſua *Hiſt. Confeſſionis auricularis*, Dionyſium a S. Martha in libro ſuo gallice edito, cujus titulus *Traité de la Confeſſion contre les erreurs des Calviniſtes*. Ante Innocentium III., a quo ſtatutum fuit tempus Confeſſionis faciendæ, neminem comperio eam præcepiſſe; ergo ex Apoſtolica traditione deſcendit, & cum ipſa Eccleſia ejus uſus invaluit, quandoquidem, juxta D. Auguſtini regulam ſæpe inſinuatam „ quod in Eccleſia univerſa „ ſi ſemper retentum fuit, nec in „ Conciliis poſteriorum invenitur „ præſcriptum, nonniſi ab Apoſtolis „ traditum, & commendatum credi„ tur „. Porro Sozomenus, a te, & a me citatus, *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 16. ſcribit: *Pœnitentibus vero, etiam ſi ſæpius deliquerint, veniam dare Deus preceperit, cumque in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat, grave ac moleſtum ab initio viſum eſt, Sacerdotibus, tanquam in theatro ... crimina ſua evulgare. Itaque ex Preſbyteris aliquem, qui vita integritate ſpectatiſſimus eſſet, & taciturnitate, ac prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœna loco indicens, abſolvebat pœnitentes.* Nunquid id non eſt ab initio injunctam fuiſſe ſecretam Confeſſionem? Quæ a Nectario Byzantii abrogata fuit, in Occidente, & præſertim Romæ perſeveravit, vario licet ritu quo ad modum pœnitentiæ exequendæ: ſi autem quæ a Nectario ſublata, ut prætendis, ſecreta fuit, ſequitur quod quæ Romæ, & in Occidentalibus Eccleſiis perſeveravit, ſecreta fuerit, quæque ab Innocentio III. ſemel in Anno abſolvenda ſancita fuit, illa ſit, quæ antiquitus ex conſilio Sacerdotum Romę in uſu erat, variata licet diſciplina circa pœnitentias.

41. Veterem hanc legem peccata confitendi in Romana Eccleſia confirmant, præter Sozomenum, tres Summi Pontifices, Innocentius I. Seculo IV., S. Leo Sec. V., D. Gregorius Sec. VI. Innocentius I. *Epiſt. ad Decentium cap.* 7. ſic habet: *Ceterum de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut adtendat ad Confeſſionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis actum, jubere dimitti, cum viderit* con-

congruam ſatisfactionem. Innocentius de ſecreta hìc Confeſſione loquitur: publica quippe erat de criminibus notoriis, & ſcandaloſis; neque opus erat Sacerdotis adeo intenti ad ea pendenda: præterquamquod publica exomologeſis non ſoli Sacerdoti, ſed tota audiente multitudine fiebat. D. Leonis temporibus tantus erat fidelium ardor publice confitendi peccata, etiam occulta, ut S. Pontifex ad id ſubmovendum ita ſcripſit *Epiſt* 80. *ad Epiſcopos Campaniæ cap.* 3.: *Illam, contra Apoſtolicam regulam, præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri, ne videlicet de ſingulorum peccatorum genere libello ſcripta profeſſio publicetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari Confeſſione ſecreta ... Sufficit enim illa Confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. Si Sanctus Leo hìc aſſerit, contra Apoſtolicam regulam præſumere, qui de occultis publice confitetur; qui ſecreto id faciat, Apoſtolicam, & antiquam regulam tenere perhibetur. Legatur etiam *Epiſt*. 82., ubi ait: *Mediator Dei, & hominum Chriſtus Jeſus, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri Confeſſione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent*. S. Leo peccatorum Confeſſionem a ſatisfactione diſtinguit, non autem publica peccata ab occultis diſcernit. De D. Gregorio jam ſupra retuli §. 5. num. 25., & ex eo quod Lazaro ut e ſepulcro egrederetur Chriſtus præceperit, peccatorem per Confeſſionis januam ex habitaculis egredi impietatis Chriſti præcepto ſollicitatum agnoſcit. Neve dubium ſit de publico peccatore ſermonem fieri, ſubdit: *Lazaro ergo dicitur veni foras, ac ſi cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? Foras jam per Confeſſionem egredere ... venientem vero foras ſolvant diſcipuli &c.* P. Semery Picenine perſtringis, quod melius nequeas tu & Calvinus de mendacio redargui, quam ſi pro ſecreta Confeſſione lex Innocentio III. antiquior valeat oſtendi: quæ cum jam evidenter modo exhibita fuerit, cetera lector habet.

42. D. Auguſtinum *pag.* 339. introducis *lib.* 10. *Confeſs. cap.* 3. ſic interloquentem: *Quid ego cum hominibus habeo, ut meas audiant Confeſſiones, quaſi poſſent infirmitatibus meis mederi?* Dum hæc ex tredecim Libris Confeſſionum D. Auguſtini profers, ſane te ſuaſum oſtendis, inibi de Sacramentali Confeſſione, de qua in præſens agimus, ab ipſo tractari. D. Auguſtinus quorundam curioſitatem redarguit, qui aliena jam remiſſa peccata ſciſcitantur audire, quin propria unquam attendant corrigere; unde ſubdit „ Curioſum eſt hoc genus hominum inveſtigandi aliena, ſed incurioſum corrigendi propria „. Si vero D. Auguſtini mentem audire circa Confeſſionem Sacerdoti aperiendam ſatagebas, deſcriptam hanc legere debebas in homiliis, *nunc ſerm.* 351.: *Quiſquis ergo poſt Baptiſmum aliquorum priſtinorum malorum opere obligatus teneatur .... implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipſas claves Eccleſiæ, quibus ſolvatur in terra, ut ſit ſolutus in Cœlo, & audet ſibi poſt hanc vitam, quia tantum Chriſtianus dicitur, ſalutem aliquam polliceri, nec veridico illo Dominicæ vocis tonitruo contremiſcit: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine ... ipſe intrabit in regnum Cœlorum*. Ecce refugium ad claves Eccleſię, ad ſolvenda peccata poſt Baptiſmum, omnino neceſſarium ad ſalutem. Deinde explicans qui modus ſervandus ſit, proſequitur: *Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem a Domino judicetur, & cum ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen*

men

men medicina, ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius ... a præpoſitis Sacramentorum accipiat ſatisfactionis ſua modum ... ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſia videns, Antiſtiti in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam: non recuſet ... Quid enim eſt infelicius, quid perverſius, quam de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere? Hìc D. Auguſtinus peccatori pœnitentiam agere volenti præcipit Antiſtitibus ſiſti, qui claves Eccleſiæ tenent, ab ipſis pœnitentiæ modum pro delictis ſuis accipere, & publicam etiam ſatisfactionem non recuſare. Supponebat igitur individuam fieri peccatorum Confeſſionem, ſi de congrua ſatisfactione judicium proferendum eſſe dictabat: hunc autem ad claves recurſum, & hujuſmodi Confeſſionis penſum præſcribens volentibus ad ſacram menſam accedere, ſubdit: *Nemo arbitretur fratres propterea ſe conſilium ſalutiferę hujus pœnitentia debere contemnere, quia multos forte advertit, & novit ad Sacramenta altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. Multi enim corriguntur ut Petrus: multi tolerantur ut Judas: multi neſciuntur, donec veniat Dominus.* Loquebatur itaque de peccatis etiam occultis, ſiquidem publica, & ſcandaloſa, permiſsa non eſſent deferri ad Sacramenta altaris. Et infra, opponens ſibi D. Pauli verba *Rom.* 14. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum*, reſpondet: *Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſia, ſive ultro confeſſum, ſive accuſatum, & convictum &c.* Hìc ſermo eſt de judicio, & ſententia ſecreta, & etiam publica, ut ex verbis S. Doctoris deducitur. Etſi vero de confeſſione, & publico judicio tantum ſermo eſſet, hoc ſaltim debet admitti, Chriſtianos priorum temporum, præmiſſo conſcientiæ examine; ad Antiſtites acceſſiſſe tanquam ad Eccleſiæ miniſtros, &, ut ſolverentur, confeſſos fuiſse peccata ſua, atque a miniſtris vel remiſſionis, vel retentionis ſententiam attendiſse, quæcunque iſta fuerit, ſive publica, ſive privata. Cum Chriſtus confiteri præcepit, collata Sacerdotibus ſolvendi poteſtate: *Quorum remiſeritis peccata &c.*, non id fieri mandavit aut private, aut publice. Peccata eſſe confitenda, præceptum eſt Chriſti; private autem, aut publice confitenda eſſe, ritus eſt ex conſuetudine, & diſciplina Eccleſiæ præſcriptus. Mos erat publice confiteri, vel ſaltim publice ſatisfacere, ut patet ex Nectarii facto, & ex Epiſtola D. Leonis: modo vero Confeſsio ſecretiſſima frequentatur. Hic eſt ſenſus *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5.: *Ceterum quo ad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, in aliorum exemplum, tum ob Eccleſia offenſa ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit; non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulto humana aliqua lege pręciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent Confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus, magno, unanimique conſenſu, ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia Sancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata &c.* Hæc te Picenine jugulant; ſiquidem non te juvat ad antiquos recurrere, interdum publicam recipientes Confeſſionem, ut deinde inferas Sacramentalem non fuiſſe, nec eandem de qua in præſens agitur.

43. Concilium Tridentinum damnat aſſerentes Sacramentalis Confeſſionis, etiam ſecretæ, ante Innocentium III. praxim, & uſum non extitiſſe. Ait enim *Seſſ.* 14. *cap.* 5.: *Manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Conci-*

ci-

cilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe dicere non verentur: neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut praeceptum Confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Hinc Semery proferre didicit, a te, & a Calvino tuo ſtatuti temporis, ſcilicet ſemel ſaltim in anno, rationem confundi cum ipſo abſoluto Confeſsionis præcepto. Antiqua autem confitendi conſuetudo jam ſupra probata fuit, nec acta agere debeo. Equidem præterire non debeo ad ea dicere, quæ Triumphi *pag.* 255. exaggeras, nempe: *Roma hæreticus habetur, qui definitiones per generalia Concilia ſancitas non recipit, qui eorum decretis contradicit. Porro ante Lateranenſe Concilium hæreticus non erat, qui ſecreta Confeſſionis neceſſitatem negaſſet. Id fatentur Thomas, Bonaventura, Antoninus, Doctores conſpicui, & Romæ Sancti. Conſtat igitur, ut infallibile conſequens, novitas Lateranenſis decreti, nec ullum Concilium antiquius decreviſſe neceſſitatem ſecretę Confeſſionis.* Ineptiſsimum ratiocinium; quippe quod abſonum item non eſt aſſerere, ſi ante Nicænam Synodum quis cum Ario conſubſtantialem Patri Filium negaſſet, vel cum Sabellio realem Perſonarum Trinitatem: ſive ante Epheſinam, cum Neſtorio, unionem ſubſtantialem Verbi cum humanitate. ſive ante Conſtantinopolitanam, cum Eutychete, quis nonniſi unam naturam in Chriſto agnoviſſet, vel unam operationem cum Monothelitis; habuiſſet tamen animi docilitatem retractandi opinionem ſuam, & ſequendi definitiones Eccleſiæ, re vera quidem, & in ſubſtantia hæreticus fuiſſet, non tamen ut hæreticus formalis haberi, aut proſcribi debuiſſet. Nunquid vero ex his inferendum, illorum Conciliorum ſanctiones novitates fuiſſe? Non id certe conſenties, & merito. Etenim verum quidem eſſet, nullum Concilium illis antiquius hujuſmodi articulos palam ſtatuiſſe, & decreta illa nova eſse; non propterea tamen articulos illos antea ad fidem non ſpectaſſe, nec a Deo fuiſse revelatos, & fide tenendos, quemadmodum melior, & major veterum pars eos profitebatur. Ita & ego. Ante Lateranenſe Concilium ſi quis annuæ Sacramentalis Confeſsionis neceſſitatem negaſſet, diſpoſitus tamen oppoſitum fateri, ſemel ac ab Eccleſia doceretur, re vera hæreticus fuiſset, non tamen ut hęreticus habendus, & proſcribendus, quemadmodum docent D. Thomas, & pręlaudati Doctores. Nec ideo ſequitur, decretum Lateranenſis quidquam innovaſse, bene vero quod nullum pręcedens Concilium annuę Confeſsionis neceſsitatem pręſcripſerit, ac proinde novum eſse decretum, non novam eſse rem decreti. Formalis hęreticus eſt, omnino proſcribendus, qui poſt Eccleſię ſanctionem pertinax eſt in errore ſuo. Porro quemadmodum hujuſmodi habiti ſunt poſt Synodalia decreta Ariani, Sabelliani, Neſtoriani, Eutychiani, Monothelitę, ſic poſt decreta Lateranenſis, & Tridentinę, quę annuę Sacramentalis Confeſsionis neceſsitatem præſcripſerunt, hęretici formales, & omnino vitandi ſunt Calviniſtę, Lutherani, aliique, qui pertinaciter reſiſtunt Eccleſię definitioni. Sententia a Chriſto lata eſt *Matth.* 18. 17.: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.*

44. Æquiſsima eſt laus, quę *pag.* 339. Confeſsioni a te tribuitur; ſed non per ironiam, ut nefarie eam pronuntias: *Atheiſmum extinguit, reſtituere facit ablatum, charitatem inſinuat, pacem inſerit &c.* Quocirca merito aſſeris, Patrem Segneri *cap.* 26. *eloquentiam ſuam adhibere in ejus laudibus, nimirum quod illa ſit, quæ intra æquitatis fines hominem cogit, fidelis cuſtos legum. lavacrum paratum ad omnes ſanandos languores; cui oraculum ipſum Zachariæ accommodatur* 13. 1.: *Erit fons patens domui David .... in ablutionem peccatoris. & menſtruatæ*; *nec minora pandit Paniga-*

garola. Enimvero commendari ſatis nequit, quin meliora ex ipſa proveniant bona. Quod Reipublicæ Judex & judicium, quod humano corpori Medicus & medicina, id facit animæ Confeſſarius & Confeſsio. Hæc eſt phraſis, qua circa Confeſsionem utuntur Patres. Nec valet garrire: *Si ita, cur non citius præſcripta fuit? Cur in veteri Teſtamento, ubi major urgebat neceſſitas, a Deo non introducta?* Siquidem Chriſti adventus, paſsio, & mors, tum ſanguis ejus, & Sacrificium, omnino neceſſaria erant, & toti Orbi ſalutifera: Chriſtus quippe eſt ſalus, & redemptio noſtra. Porro ſic tecum delirabo: Quid tam diu dilata Incarnatio Chriſti? Quid quatuor mille annis Mundum Meſsia privare? Heu nos miſeri, legem ne audemus Deo præſcribere? Abſque Confeſsione voluit Iſraelem, quemadmodum abſque Baptiſmo, quia utrumque ſtatutum erat novę legis Sacramentum. Neque tamen abſque ſpecie quadam remedii Iſraelem omnino dimiſit, expiationes, & Sacrificia pro peccatis actualibus, ipſi conſtituens; quę quanquam animam a ſordibus peccati non extergerent (quippe, ut ait D. Paulus *Hebr.* 10. 4.: *Impoſſibile eſt per ſanguinem taurorum, & hircorum auferri peccata*), ſed ſolam legalem præſtarent munditiem, nihilominus peccator, ſi per illa ſigna fiduciam excitaret in ſanguinem Agni, qui in Cruce immolandus erat, animam etiam ab interna peccati pollutione reparabat. Novę legis acceſſio ſuper antiquam, eſt habere Sacramenta, quibus internæ, & externę ſordes expurgantur. Subdis in Triumpho, *Hebræos Chriſtum habuiſſe in figuris. Nativitas Redemptoris, Spiritus Sancti miſſio, privilegia ſunt novi Teſtamenti. Confeſſio non privilegium eſt, ſed jugum.* Sed tibi, qui objiciebas, ſi Confeſsio tantę ſit utilitatis, cur Iſraelitę ipſa fuerint privati? directe P. Semery reſpondebat, ſi adventus Chriſti re vera eſt tantę utilitatis, cur tot ſeculis Deus Mundo hoc beneficium diſtulit? Si autem concedas hoc eſſe novi Teſtamenti privilegium, item ajo talem eſſe Confeſsionem.

45. Verumtamen in Triumpho *pag.* 256. eam deſpicis *ut importabile jugum, Eccleſia Chriſti indecentius, quam ipſa ſit publica Confeſſio, quæ dumtaxat revelare præcipit enormia crimina, & ſcandaloſa.* Quod *importabile jugum* tibi videatur, palpabile ſignum eſt effrenatę licentię cordis tui, nauſeantis remedium quod peccandi cohibet laxitatem. Proteſtantes Confeſsionem vocant *grave, & importabile jugum*, quod vivere velint, quin de flagitiis, praviſque moribus ſuis rationem reddere teneantur. At *jugum* non eſt pręceptum Confeſſionis; vel ſi *jugum*, leve eſt, & ſuave, quia a Chriſto impoſitum. Durum ne eſſet pręceptum Medici morbum omnem ſanantis, tantum ipſi manifeſtata ejus natura, qualitate, & circumſtantiis? Chriſtus Apoſtolis dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ... Quęcunque ſolveritis ſuper ram, erunt ſoluta & in Cęlo.* Hìc promittitur ęgritudini animę ſanatio, ſed infirmi neceſſaria eſt Confeſsio, ut Medicus videat quę ſit opportuna curatio. Si Chriſtus poteſtatem dedit Apoſtolis remittendi, & retinendi, ſolvendi, & ligandi; quę diſcretio eſſe poſset inter peccata remittenda, & retinenda, inter ſolvenda, & liganda, ſi nulla fieret occultę conſcientię revelatio? Si pertinax quiſpiam renuit, & abſtinet confiteri, non ideo *grave jugum* dicenda Confeſsio, aut *grave jugum* dicenda erit ipſa Evangelicę legis impoſitio. Sed paucis: Eja Picenine, ſi ferre nequeas ſecretę Confeſſionis jugum, tanquam nimium grave, aſsume illud publicę, quod levius tibi videtur, & ab Eccleſia antiqua fateris uſitatum. Si ſecreta non placeat, quam vocas Innocentii III. inventum, non diſpliceat publica, quam agnoſcis uſu frequentatam, & uſque ab initio Eccleſię pręceptam. Chriſti mandatum eſt confiteri: quod fiat publice, non vetat. Zelo ardes, pręedicans Apol. *pag.* 340., *hanc magis valere ad cohibendum hominem intra ęquitatis fines,*

&

& male Eccleſiam eam abrogaſſe. Hanc ergo amplectere, hanc reſtitue, ſed qualem vetus Eccleſia habebat temporibus Irenęi, Tertulliani, Cypriani, aliorumque, & pacifici certe erimus. At ſurdo loquimur; neque enim publicam, neque ſecretam ſuſcipis Confeſſionem, quod utraque licentiam tuam, quam *Evangelicam* libertatem vocas, nimium coerceat, & ſacrilegam doctrinam quam pſeudoreformatio profitetur nimis abhorreat. Cur autem quęſo minus gravis Confeſsio publica, quam privata? *Quod*, ais, *illa pracipiat tantum confiteri enormia crimina, & ſcandaloſa*. At qui ſacrificandi Idolis voluntatem habuit, ſed opere non implevit, qui cogitavit id facere, ſed non fecit, reusne eſt enormis, & ſcandaloſi criminis? Non arbitror te id affirmaturum, quia peccatum mere internum, proximum non valet offendere; attamen ipſemet in Triumpho tuo *pag.* 256. ſcribis, *D. Cyprianum pręcepiſſe publice confiteri non modo Idololatria reis, ſed illis etiam qui voluntate conſenſerunt Idolum colere, ad actum tamen non pervenerunt: Quanto & fide maiore* (D. Cyprianus *lib. de Lapſis*), *& timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolentes, & ſimpliciter confitentes, exomologeſim conſcientię ſuę faciunt, animi ſui pondus exponunt &c.* Itaque ſi *exomologeſis* erat publica Confeſsio, quę juxta Cyprianum peccata etiam ex ſola cogitatione aperiri volebat; prolatum revoca mendacium, quod publica Confeſsio ſola confiteri pręciperet enormia crimina, & ſcandaloſa, atque idcirco ſecreta mitior eſset, & jugum minus grave: cum negari nequeat, oneroſius eſse conſtringi publico confiteri peccata tum publica, tum ſecreta, quam teneri occulta ſaltim ſecreto confiteri.

§. VIII.

Poteſtas abſolvendi apud Sacerdotes.

46. **B**Ene omnia, ais Triumph. *pag.* 258. num. 13., *ſi tum a Sacerdotibus hujuſmodi poteſtas haberetur, tum quę evulgatur certa remiſſio ſequeretur. Verum quę circa Parochorum auctoritatem fuerit Patrum opinio, quaque ipſorum judicio ſententia ſit quę pronuntiatur in terris, ſatis manifeſtat Canon Verbum de Pęnit. diſt.* 1. *qu.* 3., ex D. Ambroſii doctrina decerptus: *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt judex, ideſt miniſter* (*inquit Gloſſa*), *qui quidem ſuum officium exhibet, at nullius poteſtatis jura exercet*. Sic Picenine nos circuire ſtudes, perſuadere conatus, omnium Patrum ſententiam Canone illo contineri, cum nil ultra decernat, quam quod *Verbum Dei dimittit peccata* (& principaliter), quod *Sacerdos judex eſt, & miniſter Chriſti, qui quidem ſuum officium exhibet, at nullius poteſtatis jura exercet*, ait Gloſſa, quia totum facit poteſtate a Chriſto ſibi collata. Quam cauſalem ſequentia indicant verba, a te vaferrime diſſimulata, utpote mendaciis tuis contraria: *Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrumque pari conditione permiſit; ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet. Certum eſt quod Eccleſiæ utrumque licet: hæreſi utrumque non licet. Jus enim hoc ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Recte igitur Eccleſia vindicat, quæ veros Sacerdotes habet; hæreſis vindicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non habet*. Chriſtus itaque, qui eſt divinum Verbum, jus habet ſupremum, & ex propriis remittendi peccata: Sacerdos Judex eſt, & miniſter delegatus a Chriſto, qui officium ſuum exhibet, non ex propria aliqua poteſtate. Dominus autem miniſtris ſuis par jus dedit, ſolvendi, & ligandi, & pari conditione utrumque permiſit: ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet. Certum porro eſt, quod

Ec-

Eccleſiæ utrumque licet, hæreſi non licet. Jus enim hoc, ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus. Pſeudoreformatæ Eccleſiæ Sacerdotes non habent, immo ipſum nomen Sacerdotis, & Sacrificii oderunt: quos ſi haberent, veri tamen Sacerdotes non eſſent. Recte igitur Eccleſia Romana poteſtatem ſibi vindicat ſolvendi, & ligandi, quam pſeudoreformatorum *hæreſis vindicare non poteſt, quæ Sacerdotes Dei non habet*. Hæc Patrum ſententia eſt. Neque majoris ponderis eſt exemplum, quod interſeris: *Sit ex. gr. quis ex delicto detentus, Judex hunc juſtificat, & crimen dimittit, dummodo pœniteat. Notum ſit toti urbi: ad carcerem concurrunt propinqui, id nuntiantes detento. Demum ipſius Judicis miniſter adveniat, deferens calculum candidum, & gratiæ litteras. Ita peccator, cujus ſaluti quiſque cooperare poteſt monitis &c. dummodo ipſum pœniteat, ſed Paſtor id agit quaſi perſona miſſa a Judice.* Hæc eſt violenta cavillatio acta laudato Canoni, & Chriſti verbis; Canon quippe dicit: *Sacerdos eſt Judex*, ut explicat Gloſſa, *non principalis, ſed ut miniſter, & delegatus*. Porro Judex, etſi delegatus, ſententiam fert nomine principalis, & re vera nomine ipſius abſolvit, nec dumtaxat nuntius eſt gratiæ, & abſolutionis. Ad hæc. Sacerdos *jus habet ſolvendi, & ligandi*, nuntius gratiam deferens, hujuſmodi jus non habet, ſed tantum annuntiandi reo aut remiſſionem, aut detentionem, juxta decretum Judicis. Chriſtus ait: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis... Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo.* Quo vocabulario legiſti, *remittere, ligare, ſolvere*, ſignificare nuntium deferre remiſſionis, detentionis, vel ſolutionis jam factæ? Si ita res eſſet, Chriſtus dicere non debuiſſet *quorum remiſeritis peccata remittuntur*, ſed *remiſſa fuerunt*, neque *quæcunque ſolveritis ſuper terram ſoluta erunt & in Cœlo*, bene vero *jam ſoluta fuerunt in Cælo*; ſiquidem nuntius jam facta annuntiat, non quæ facienda erunt. Exemplum igitur ita apponi debet: Quis detentus ſit ex aliquo delicto, Princeps committit Judici miniſtro ſuo, quod ſi delictum illi remiſerit, dummodo reum pœniteat, remittetur, ſi ipſum ſolverit, ſolutus erit etiam ab ipſo. Hac ratione Judex miniſter non annuntiat, ſed dat remiſſionem, licet nomine Principis. Hic ſenſus eſt litteralis verborum *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & *Quæcunque alligaveritis &c.*

47. Enimvero *diſpenſator*, ut ait Chryſoſtomus *Hom. 10. in p. ad Cor.*, non debet tanquam Dominus diſtribuere, nec ſua facere quæ Domini ſunt: *Hoc eſt ne res Domini ſibi vindicet, neve tanquam Dominus ſibi uſurpet, ſed tanquam diſpenſator diſtribuat.* Sed quid inde? Nimirum Sacerdotem dare remiſſionem non debere tanquam ſuam, ſed Dei: quod quis negat? Immo Sacerdos veniam ex libito dare non debet, ſed juxta Chryſoſtomum *indigentibus, & quibus diſpenſari oportet*. Etiam divitiæ, ſequitur ille, Dei ſunt, & homo egenis eas diſtribuit tanquam res Dei, qui earum Dominus eſt, quemadmodum & vitæ noſtræ: *Quid enim habes, quod non accepiſti? Nihil enim habes tuum, non divitias, non rationem, non animam tuam ipſam, quippe quæ Domini eſt.* Idcirco ne eleemoſynam dans, non ipſe dat, ſed nuncius tantum eſt Dei dantis, nec animam habet, quia a Deo habet? At mente caret, qui ſic fatur. Blateras Triumphi *pag. 259.*, *Deum ſolum remittere peccata. Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus?* Hoc unum deerat, ad Hebræos confugere in exterminium Confeſſionis; quibus mavis credere, quam Chriſto Apoſtolis dicenti *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* Hebræi recte dixerunt, neminem poſſe peccata dimittere, niſi ſolum Deum, & nos id confitemur; ſed interdum Deus immediate de ſe peccata dimittit, interdum vero per miniſtros ſuos: ipſe

tamen ſemper dimittit. Audiatur D. Auguſtinus loco a te citato *Hom.* 23. *inter* 50. *cap.* 9. *nunc ſerm.* 99. Donatiſtæ, qui pro remittendis peccatis homini tribuebant plus quam deberent, reputantes ſanctitatem, & meritum miniſtri quidquam valere ad remiſſionem peccatorum, cum audirent Deum ſolum peccata dimittere, objiciebant: *Si non dimittunt homines peccata, falſum eſt ergo quod ait Chriſtus: Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cœlo.* Reponit Auguſtinus: *Neſcis quare hoc dictum ſit, & quomodo dictum ſit. Daturus erat Dominus hominibus Spiritum Sanctum, & ab ipſo Spiritu Sancto fidelibus ſuis dimitti peccata ..... nam ut hoc evidentius oſtenderet Dominus, ab Spiritu Sancto, quem donavit fidelibus ſuis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco ſic ait reſurgens a mortuis: Accipite Spiritum Sanctum. Et cum dixiſſet accipite Spiritum Sanctum, continuo ſubjecit: Si cui dimiſeritis peccata, dimittuntur ei; hoc eſt Spiritus dimittit, non vos: Spiritus autem Deus eſt. Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid eſtis vos? Neſcitis quia templum Dei eſtis? Et Spiritus Dei habitat in vobis ...... Deus ergo habitat in templo ſancto, hoc eſt in ſanctis fidelibus in Eccleſia ſua. Per eos dimittit peccata, qui viva templa ſunt. Sed qui dimittit per hominem, poteſt dimittere & præter hominem. Neque enim minus idoneus eſt per ſe dare, qui poteſt per alium dare.* Deus itaque dat veniam ut auctor veniæ: atque Chriſtus, qui Deus eſt, ſic dimittebat. Homo vero dimittit, ſed ut miniſter, qui nomine Chriſti non annuntiat datum, ſed dat re vera, & confert adminiſtratum. Homo Chriſti miniſter baptizat, & tamen ipſe eſt qui baptizat, quia in omnibus auctor operatur Chriſtus.

48. Eodem ſenſu D. Baſilius (*Amphiloch. in vita Baſilii*) mulierem illam a ſe rejecit, peccatorum veniam ab ipſo deprecantem, dicens, *neminem poſſe peccata dimittere*, niſi ſolum Deum: ſiquidem dubitavit, mulierem illam ſibi ſuaderi, ab ipſo peccata poſſe dimitti ex propria poteſtate, & tanquam auctore veniæ. Si a Baſilio petiit abſolvi, ergo credebat Sacerdotes, & Epiſcopos id poſſe: quod ſi Baſilius facere noluit, Deus intuens cor pœnitentis, ipſi jam oblitterata, quæ in pagella ſcripſerat peccata, inſpicere fecit. D. Auguſtinus Homilia præcitata Donatiſtas redarguit, quod dicerent: *Ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico*; & reſpondendum ajebat: *Non ego, ſed Chriſtus*, quoniam dum homo abſolvit, non ipſe de ſe, ſed Chriſtus per ipſum abſolvit. Et *Tract.* 6. *in Joann.*: *Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat: Judas baptizet, hic eſt qui baptizat*; quia meritum, vel ſanctitas miniſtri virtutem non addit Sacramento, ſed meritum, & paſſio Chriſti. Vel hic, vel ille Sacerdos abſolvat, Chriſtus ſemper eſt qui veniam dat ut auctor veniæ. Quamobrem in Triumpho *pag.* 159. poteras a vocibus illis temperare: *Veſter ille dicendi modus: Ego te abſolvo, P. Semery, novus eſt, & odibilis fuiſſet Sacerdos, ubi peccatori dixiſſet: Ego te abſolvo; quemadmodum hujuſmodi audacia damnata fuit in Audianis.* Quemadmodum miniſter qui baptizat, dum dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.*, indicat non propria virtute, & nomine id facere, ita miniſter qui abſolvit, indicat auctoritate Chriſti ſibi demandata id facere, propterea dicit: *Auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua fungor, abſolvo te.* Si nemo timet dicere *Ego te baptizo*, quare timendum dum dicitur *Ego te abſolvo*, cum ſignificetur non proprio nomine, nec propria auctoritate fieri? Times forte in audaciam incidere a Theodoreto *lib.* 4. *haret. fabul.* in Audianis damnatam? Verum iſti præſumebant *ſua auctoritate* peccata remittere, nulla præſcripta pœnitentia, & peccata leviora confitebantur, tacentes graviora. Theodoretus illos reprehendit, non quod peccata Paſtoribus ſuis confiterentur, ſed quia minorem partem aperiebant, & abſolu-

ſolutionem recipiebant nulla exhibita ſatisfactione.

49. Sacerdos, dum dicit *Ego te abſolvo*, non intendit hujuſmodi verbis auctorem ſe eſſe veniæ, quaſi peccatori gratiam conferat, & juſtitiam. Nunquam id ſenſit Catholica Eccleſia. Dum Sacerdos pronuntiat *Ego te abſolvo*, agit ut inſtrumentum, & ultimò diſponit peccatorem ad conſecutionem veniæ a Deo. D. Thomas *in 4. diſt. 18. qu. 1. ar. 4. quæſtiune. 1.*, & *ſupplement. 3. p. qu. 18. ar. 1.*, ita diſſerit: *Virtus clavium operatur ad remiſſionem culpæ, vel in voto exiſtens, vel in actu ſe exercens, ſicut aqua Baptiſmi. Sed ſicut Baptiſmus non agit ſicut principale agens, ſed ſicut inſtrumentum, non quidem pertingens ad ipſam gratiæ ſuſcipiendæ creationem, etiam inſtrumentaliter, ſed diſponens ad gratiam, per quam fit remiſſio culpæ, ita eſt de poteſtate clavium. Unde ſolus Deus remittit per ſe culpam, & in virtute ejus agit inſtrumentaliter Baptiſmus, ut inſtrumentum inanimatum, & Sacerdos, ut inſtrumentum animatum, qui dicitur ſervus, ſecundum Philoſophum 8. Ethic. Et ideo Sacerdos agit ut miniſter &c.*, & *ſic patet quod poteſtas clavium ordinatur aliquomodo ad remiſſionem culpæ, non ſicut cauſans, ſed ſicut diſponens ad eam. Unde ſi ante abſolutionem non fuiſſet aliquis perfectè diſpoſitus ad gratiam ſuſcipiendam, in ipſa Confeſſione & abſolutione Sacramentali gratiam conſequeretur, ſi obicem non poneret.* Hæc eſt doctrina noſtra, cui Picenisne contradicis, quia eam non capis. Novum nobis opponis crimen Triumph. *pag.* 259., nimirum: *Seculo Magni Caroli, & poſt, peccatori pacem obtinenti dicebatur: Deus remittat tibi peccata tua, & liberet te ab omni malo.* Apud Græcos tantum, antiquos, & modernos, in uſu fuit formula deprecatoria, ut affirmat Jeremias Patriarcha in cenſura *Orient. Eccleſ. cap.* 1. Romana Eccleſia deprecatoriam formulam ad enuntiativam, & indicativam tranſtulit, rata ſic magis ſenſum tenere verborum Chriſti *quorum remiſeritis*, ubi non ait *quorum remitti deprecabimini*. Non id porro eſt ſenſum immutare, quippe cum deprecatoriæ formulæ ſenſus ſit Deum principaliter abſolvere verbis Sacerdotis, ita formæ enuntiativæ: immo Romana Eccleſia, ut advertit D. Thomas 3. *p. qu.* 84. *ar.* 3. *ad* 1., pronuntiat abſolutionem utroque modo, deprecatorio, & indicativo, quanquam hunc teneat ut veram Sacramenti formam, quod ſignificet fieri quod fit: *Præmittitur tamen etiam in Sacramentali abſolutione talis oratio, ne impediatur effectus Sacramenti ex parte pœnitentis: quia per hæc verba Sacerdos non ſignificat fieri, ſed petit ut fiat.* Porro inſultas ſic: *Romana Eccleſia immutavit omnia*; ritum nempe, non ſubſtantiam. Antiquitus Baptiſmi forma ſic pronuntiabatur: *Baptizetur ſervus Chriſti*, quæ in uſu eſt apud Græcos; & tamen etiam Proteſtantes adhibent iſtam: *Ego te baptizo*. Cur porro Sacerdos non poterit hac uti forma *Ego te abſolvo*? Si Sacerdos abſolvendo uteretur deprecatoria formula *Deus te abſolvat*, non ideo annuntiaret tanquam miſſus remiſſionem a Deo datam; ſed tantummodo intelligeretur Sacerdos Deum orare, & movere ad implendum promiſſum, largiendo peccatori veniam in prolatione verborum: quæ moralis abſolutio eſſet.

50. In Triumpho *pag.* 259. ſic nos iterum pulſas: *Vos ſacro textu abutimini. Probare vultis Sacerdotes Judices eſſe fori conſcientiæ, & textum perbibetis D. Pauli* (1. *Cor.* 5.): *Nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? Sed D. Paulus ibi de Chriſtianis loquitur, quos qui intus ſunt vocat, contra Gentiles, quos appellat qui foris ſunt.* Ex D. Pauli textu probatur poteſtas judiciaria a Sacerdotibus haberi ſuper Chriſtianos. Quod autem hujuſmodi poteſtas ad externum, tum etiam ad internum dilatetur, non ex hoc textu probatur, ſed ex promiſſione Chriſti *Quæcunque alligaveritis, Quæcunque ſolveritis, Quorum remiſeritis peccata &c.* Certiſſime Deus ſolus conſcien-

ſcientiam judicat, ſolus eam intuetur, quam Sacerdos perſcrutari nequaquam valet. Peccator tamen dum, intus diſpoſitus, extra revelat conſcientiam ſuam Sacerdoti, abſolutio externa non cadit deforis, ſed ratam eam Deus habens, operatur intus quæ Sacerdos deforis agit. Ita D. Cyprianus *lib. 1. Ep. 2. nunc Ep. 54.: Ipſe legem dedit, ut ligata in terris, etiam in Cælo ligata eſſent, ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.* Ita D. Hilarius *in cap. 16. Matth.: O beatus Cæli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur, cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in Cælo! ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant & in Cælo.* Et D. Bernardus *Serm. 1. in feſto SS. Petri, & Pauli: Qui* (D. Petrus) *claves regni tam ſingulariter accepit, ut præcedat ſententia Petri ſententiam Cæli.* Sacerdos conficit Sacramentum, & Deus operatur effectum. Audiamus Chryſoſtomum (*Hom. 60. ad pop. de ſumentibus indigne divina myſteria*)*: Verum & tu Laice cum Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inviſibiliter extenſam. Sicut enim cum baptizaris ipſe te non baptizat, ſed Deus eſt, qui tuum caput inviſibili potentia continet .... ita nunc quoque, cum Deus regenerat, ipſius eſt ſolius donum.* Tu negas *pag.* 259. quod *Semery* ait, *ſententiam in terris datam, ratam in Cælis haberi.* Cujus hanc elegantem rationem profers, quod: *Ut ipſe*, Semery, *fatetur, in illo tribunali ſoli reo fides adhibetur. Atqui reus facile judicem fallere poteſt, cum nihil certi habeatur, nec de qualitate criminis, nec de diſpoſitione delinquentis. Pænitentia potiſſimum nititur internis actibus; externi paſſim videntur in hypocritis. Quomodo igitur Judex hic eſſe valet homo, qui non cognoſcit, nec poteſt cognoſcere ſecreta cordis, nec confitentis ſinceritatem, cum Judices, ut nos aſſerimus, judicare nequeant, niſi meritum cauſa cognoſcant?* Quibus ſtatuis, *Sacerdotis judicium ad forum externum dumtaxat, non ad internum conſcientiæ extendi.* Ut Sacerdotis ſententiam ratam Deus habeat, cor vere pænitens exigitur. Cum autem Sacerdos dum abſolvit pro certo habere nequeat pænitentem recte diſponi, ita pro certo habere nequit pænitentem a Deo abſolvi: ſed defectus iſte non accidit, quod in Sacerdote non ſit vera poteſtas, ſed quod in pænitente deſit ad fructum Sacramenti vera capacitas. Iterum in Triumph. *pag.* 260. inſiſtis: *Fortaſſe Jeſuita aſſeret dari conditionalem abſolutionem. Quis porro Judex, quin ridiculus fiat, pronuntiabit: Hunc abſolvo, ſi innocens ſit, hunc igne condemno, ſi veneficus ſit: an vero talis ſit, ignoro?* Tu qui ſemper in falſo laboras, putas formulam conditionalem eſſe *Ego te abſolvo, ſi intus te pæniteat.* Ceterum Sacerdotis proferentis *Ego te abſolvo*, intentio eſt, juxta D. Thomam 3. *p. qu.* 84. *ar.* 3. *ad* 5., peccatori Sacramentum præſtare validum ad remittenda peccata: *Ego te abſolvo; id eſt Sacramentum abſolutionis impendo.* Et quanquam interdum accidat, Deum intus, peccatore obicem ponente, hunc non ſolvere, cui Sacerdos abſolutionem impartitur extrinſecus, ſemper tamen verificatur, Sacerdotis verba abſolvendi virtutem habere, quia ipſis, ſi nihil ex parte peccatoris impediat, ſemper conjungitur Dei abſolutio: tametſi autem Sacerdos certum non habeat peccatorem intus abſolvi, cum certum non habeat ipſum intus recte diſponi, abſolutionem tamen prolatam extrinſecus certiſſime ſcit Sacramentalem eſſe, & ex vi clavium Eccleſiæ talem eſſe, quæ Deum moveat ad abſolvendum intrinſecus, licet reſpectu ſuſcipientis de ſecuto effectu pendeat incertus. Quæ tamen incertitudo nihil officit muneri ejus. Etenim diſtinguere oportet, ait Cardinalis Cajetanus *in* 3. *par. qu.* 84. *art.* 3. §. *in reſponſ. ad* 5., inter abſolutionem miniſtri, & illam Dei: illa

ex-

exterior eſt, iſta interior. Quod ſi Sacerdos proferre non debet *Ego te abſolvo*, quia incertus eſt a Deo pœnitentem abſolvi; qua veritate vos Proteſtantes audebitis veniam a Deo annuntiare veſtris, ſi & ipſi ignoretis a Deo illis re vera ignoſci, cum eorum fides nequeat certo cognoſci?

51. *Abſolutio judicialis dari poteſt etiam invito, ait Bellarminus. Quid ergo impœnitente diſpoſitiones attenderet?* Sic in Triumpho *pag.* 260. At Domine Picenine, ineptiis hiſce tuis, videris nec prima hujus materiæ rudimenta capere, & quæ ſit abſolutio ab excommunicatione, & cenſuris penitus ignorare. Bellarminus aſſerit (quod & ceteri omnes) hujuſmodi abſolutionem dari poſſe *etiam invito*, quia a pœna ſolvit Eccleſię, & pacem fideli reſtituit; non idem tamen dicitur de Sacramentali abſolutione, per quam ſolvitur & culpa. Iſta impartiri omnino non debet, niſi petenti externis actibus, & ſenſibiliter diſpoſito Confeſſione, & dolore peccatorum, ſecus abſolutio effectu omnino caret. Nec adhuc ceſſas importunis nos faſtidire difficultatibus; ais nempe: *Ut abſolutio valida ſit, requiritur abſolvens eſſe baptizatus, rite conſecratus, de quibus certus eſſe nequit, quia nota ſibi eſſe nequit intentio ſui baptizantis, vel conſecrantis. Requiritur in abſolvente intentio abſolvendi, de qua certus fieri nequit abſolutus. In incertum ergo nutant abſolvens, & abſolutus. In Eccleſia ergo Semery incerta ſunt omnia: & tamen Tridentinum Concilium vult, quod a Sacerdote abſolutus, certo credat ſibi peccata remitti.* Peccator accedens ad Sacerdotem, pro certo tenere debet abſolvendi auctoritatem iſtum habere; a quo ſi falleretur, ipſum non falleret Jeſus Chriſtus, qui rectam ejus intuens diſpoſitionem, ſua providentia non deſerit, quem decipit humana malitia: ſicut qui ad Baptiſmum vera fide accedens a miniſtro falleretur, tunc deſiderii ardor, & charitatis, abſque lavacro Baptiſmi ipſius peccata omnino dilueret: nec te Picenine pudet obſceno ore proferre *in Eccleſia Semery incerta ſunt omnia*, cum nempe id conſtet iniquæ pſeudoreformationi tuæ apprime convenire. Unde certum habes, Lutherum, & Calvinum legitimos fuiſse miniſtros electos a Deo, qui prædicarent Evangelicam veritatem? Unde habes, doctrinam, quam ut verum dogma tradiderunt, non eſſe impiam blaſphemiam? Quomodo oſtendes, illam quæ a commilitonibus tuis Reformatio nuncupatur, non eſſe apoſtaſiam, rebellionem, & quam vocant legitimam Eccleſiam, non eſſe ſpuriam, & adulteram? Talem eſſe Tomo primo jam aſſerui, & probavi, atque mecum aſſentitur Eccleſia Græca, licet ſchiſmatica, ſicuti conſtat ex cenſura Jeremiæ Patriarchæ apud Socolovium. Quamobrem non illa Semery, ſed tua Eccleſia in incertum nutat. At ſubdis: *Sacerdos certus eſſe nequit ſe Sacerdotem eſſe, nec certus eſt propria peccata ſibi fuiſſe remiſſa, nihilominus alios poteſt abſolvere?* Tam certus eſt Sacerdos de ſuo Sacerdotio, qua tu certus es de tuo Baptiſmo. Immo Sacerdos talem ſe eſſe certior eſt, quam de te certus ſis eſſe Prædicantem; quia Sacerdos comperto habet ordinationem ſuam eſſe legitimam, quod ſucceſſione probat, a te vero fieri nequit, cum tua deputatio ab illegitimo fonte exeat, cujus capita nec ordinationem, nec miſſionem, nec vocationem poſſint oſtendere. Si Sacerdos certus non eſt de propria peccatorum remiſsione, certum tamen habet, dum dexteram ſuam ad abſolvendum viſibiliter extollit, Jeſu Chriſti dexteram ſecum inviſibiliter habere. Sed ais: *In foro Confeſſionis Deus eſt offenſus, & veluti actor, peccator eſt offenſor, & reus, Sacerdos autem Judex ſedet inter utrumque.* Omnia confundis, & miſces, ut lectorem illudas. Deus ſiquidem eſt offenſus, ſed in foro Confeſſionis ſimul eſt Judex ſupremus. Peccator offenſor eſt, & reus, ſed una ſimul delator ſui, actor, & teſtis adverſum ſe. Sacerdos eſt Dei miniſter, & Judex delegatus, qui peccatori contrito ſatisfactionem Chriſti impartitur,

titur, & Deo reconciliat: quæ omnia perſpicua ſunt, & veriſſima.

52. Reprehendis P. *Semery*, quod, *ut debuit, non vindicaverit P. Segneri, deprehenſum ineptiſſime pro ſecreta Confeſſione retuliſſe textum illum Zachar. 13. 1.: In die illa erit fons patens domui David, habitantibus Jeruſalem, in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*. Scribis in Apolog. *pag.* 340., *textum illum intelligendum unice eſſe de Chriſti ſanguine*. Sed tua aſſertio non ſufficit, Domine Prædicans, & ut P. Segneri conſtet inepte locutum, evidentes exhiberi debent probationes. Hæ autem ubi ſunt? Eja tamen, de ſanguine Chriſti intelligatur; quænam porro media ſunt, per quæ ad nos defluit ſanguis Chriſti *in ablutionem peccatoris*? Nunquid alia, præter Sacramenta, quæ ad animas noſtras illum deferunt in expiationem peccatorum? D.Hieronymus *in cap.*13. *Zachar.*, textum illum accepit de Baptiſmo, qui per ſanguinem Chriſti ab originali, & ab actualibus peccatis ante Baptiſmum commiſſis nos abluit. Quid autem prohibet, a Segneri ſumi poſſe ad ſignificandum Pœnitentiæ Sacramentum, quod per eundem Chriſti ſanguinem emundat nos a peccatis poſt Baptiſmum commiſſis? Juxta ſenſum litteræ mihi videtur accommodari Pœnitentiæ, quippe hic eſt fons promiſſus domui David, & habitantibus Jeruſalem, ideſt non infidelibus, ſed jam fidelibus, & Eccleſiæ incolis. Mundat itaque ſordes peccatorum, quæ fideles inquinant. Quid autem iſtud, quam ipſum Sacramentum Pœnitentiæ? Quocirca fons ille aptiſſimus eſt ad ſignificandam Pœnitentiam, cujus pars eſt ſecreta Confeſsio, velut lavacrum accommodatiſsimum ad extergenda peccata. Ineptiſsime quidem inſtas, Segneri, & Semery *debuiſſe Proteſtantibus indicare, ubi Apoſtoli docuerint ſecretam Confeſſionem velut lavacrum ſalutiferum ad omnes infirmitates*: ſiquidem id docuerunt, quoties pœnitentiam prædicarunt, & præ illis Chriſtus id docuerat, auctoritate Apoſtolis collata ligandi, remittendi, retinendique peccata, ut Patres tradiderunt, nec Proteſtantes hactenus valide oppugnarunt. Tuum eſt Picenine, non Segneri, & Semery probare, ſcilicet *Pœnitentiæ* nomine ſolam Baptiſmi memoriam intelligi, & peccata remittere dumtaxat eſſe veniam a Deo annuntiare, non conferre; ſicut etiam Apoſtolos Confeſsionem negaſſe: quæ omnia audax, & tumidus hactenus non oppugnaſti, niſi negando. Sed nihil probas, dum ſtulte negas, aut pronuntias *debitum Confeſſionis apocryphum eſſe, cum a D. Paulo præſcriptum non legatur*. Neque enim apud D. Paulum legitur quod hariolaris ad eludendas rationes noſtras: & alias Joannis *cap.* 20. debitum illud latum oſtenditur. Quæ hactenus dicta ſunt, compendio exarata ab Hugone de S. Victore exhibemus *Lib.* 2. *de Sacram. par.* 14. *cap.* 1.: *Deus factus eſt homo, ut in una eademque perſona, & ſuum genus homo inveniret, cui fiducialiter infirmitatatem ſuam revelaret, & ſupra hominem Deum credens, de accepta ab illo remiſſione peccatorum non diffideret. Deinde ut diſpenſationis gratia largius multiplicaretur, Deus homo homines, qui puri homines erant, participes fecit poteſtatis ſuæ, ut officium ejus implerent, pœnitentium Confeſſiones ſuſcipiendo, & poteſtatem ejus exercerent, pœnitentibus, & confitentibus peccata remittendo. Accipite, inquit, Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt. Ergo Chriſtus homo diſcipulis vicem ejus agentibus in terra, poteſtatem dedit peccata dimittendi. Sed dicis fortaſsis: Quare non ſimiliter Chriſtus præceptum dedit hominibus peccata ſua confitendi, ſicut diſcipulis poteſtatem dedit confitentium peccata dimittendi? Audi quare. Voluit Chriſtus ut a te ipſo ſurgeres, ut non quaſi extorta, vel coacta videretur Confeſsio tua. Idcirco quod ad ſe pertinuit, officium ſuum diſcipulis peragendum injunxit, ut medicorum more ægros ad ſe venientes exciperent, & ſanarent. Medicis ergo dixit ut curarent: ſed ad infirmos non dixit ut ad medicos curan-*

ındi venirent. *Hoc quaſi certum eſſe olu t, quod ægri libenter ſalutem quærent, & ſe curandos offerrent, ſi meicos invenirent. Propterea ſolos medios admonuit; infirmum enim ipſe morbus uus ſufficienter admonet, neque opus præepto habet, ſi dolet. Tamen ipſi medici po'ea, quia negligentes in curatione ſua ægrotos invenerunt, eos ad ſalutem quaendam, & admonitione ſua excitarunt, r præcepto attraxerunt. Confitemini, nquit Apoſtolus Jacobus, alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut alvemini. Quid eſt alterutrum? Aler alteri, homo homini, non ſolum omo Deo, ſicut verus ille confeſſor it: Dixi confitebor &c., ſed homini ropter Deum; plus enim facit qui ervo humiliatur, propterea confitemini lterutrum peccata veſtra. Quid eſt lterutrum? Non tantum unuſquiſque, ed alterutrum; hoc eſt inter vos homines, Oves Paſtoribus, ſubjecti Prælatis, ii qui peccata habent, iis qui eccata dimittere poteſtatem habent, onfitemini, ut ſalvemini: hoc eſt non alvamini, niſi confiteamini. Hoc foraſſis tu audire noluiſti, quia latebras uæris, & abſcondis ſcelera tua, ut on juſtificeris. Propterea fortaſſis coſaris ad aliud dictum Apoſtoli intorquere, ut intelligatur, confitentibus uidem promiſiſſe ſalvationem, tanen non confitentibus non negaſſe juſtificationem. Audi ergo. Auguſtinus licit: Non poteſt quis juſtificari a peccato, niſi confeſſus fuerit ante peccatum &c.* In hoc Hugonis ſermone habemus quæ potiſsimum contra te faciunt. Hìc poteſtas a Chriſto data, hic Confeſsio ab ipſo inſtituta ex textu D. Joannis; implicitum præceptum hominibus præſcriptum, expreſſum mandatum ab Apoſtolis uſque emanatum, a Theologo commendatum, qui ante Lateranenſe Concilium floruit: denique habemus quo garrientem buccam tuam obſtruamus.

53. Laboras, & exſudas Triumph. *pag.* 262., Gloſſas revolvendo, & Canones; inde velut arcanum reconditum, Canonem *Quamvis diſt.* 1. *de Pœnit.* extrahis, quem D. Leo ſcripſit ſupra laudatus, publicam Confeſsionem rejiciens, non omnibus opportunam, ſuadeſque: *Sufficit enim illa Confeſsio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pænitentium precatur*. Hinc ne putas Confeſsionem exterminare? Subdis autem: *Gloſſa vult Confeſsionem ex traditione emanantem*. Canonem porro *Pœnitet* prævium ad Canonem *Quamvis* legere debebas, hæc verba proferentem: *Quem pœnitet, omnino pæniteat, & dolorem lacrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per Sacerdotem, præveniat judicium Dei per Confeſsionem*. Infra autem, cum ſermo ſit de Sacerdotibus, ſic legitur: *Quibus enim remittunt, remittit Dominus; Lazarum enim de monumento jam ſuſcitatum obtulit Dominus Diſcipulis ſolvendum, per hoc oſtendens, poteſtatem ſolvendi conceſſam Sacerdotibus &c. hoc eſt, ego Deus, & omnes ordines cæleſtis militiæ, & omnes Sancti in gloria mea, laudant vobiſcum, & confirmant quos ligatis, & ſolvitis*. Dimitte quæſo Picenine Canones, & memento Lutherum eos offendentem chimæris ſuis nimium auſteros, publice combuſsiſſe in Platea Wittembergenſi. Nec tamen deſinis oblatrare, Panormitanum ſcilicet *cap.* 12. *de Pænitentia, aſſerere plurimum ſibi placere opinionem, quæ Confeſsionem tenet non aperte fuiſſe a Chriſto inſtitutam, atque Gloſſam citare*. Si Panormitanus privatus Canoniſta vere hanc ſibi adoptavit opinionem, qui ante ipſum oppoſitum ſenſerunt, hi nil valent? Hugo de S. Victore, S. Anſelmus *in cap.* 17. *Lucæ*, Ivo Carnotenſis *Serm.* 13. *in cap. Jejunii, et Epiſt.* 276. *de Sigillo Confeſsionis*, Rupertus Abbas *lib.* 10. *in Joann. cap.* 11., D. Bernardus *Serm.* 3. *de S. Andrea*, & Petrus Bleſenſis *lib. de Confeſſ. Sacram.*, omnes tenent Confeſsionem & neceſſariam, & a Chriſto inſtitutam: & omnes hi flocci pendendi? Panormitanus autem neque tibi favet, cum propriam referat opinionem, abſque præjudicio alienæ: qui etſi Confeſsionem non affirmet *de jure divino*, eam tamen aſſerit *ex generalis Eccleſiæ traditione*. Idem de Gratia-

tiano dicendum *Cap. Quidam Deo, diſt. 1. de Pœnit.*; non enim adverſus Confeſſionis neceſſitatem pugnat, cum utriuſque partis rationes exhibeat, neutram aſſerendo. Immo ſequenti Canone neceſſariam eſſe Confeſſionem fatetur ex conſenſu fere totius Eccleſiæ: *Quidam Deo ſolummodo confiteri peccata dicunt, ut Græci, quidam vero Sacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota fere Sancta Eccleſia, non ſine magno fructu.* Plerique apud Antonium Auguſtinum *lib. 1. dial. 18. de emendatione Gratiani*, autumant controverſiam illorum temporum fuiſſe hujuſmodi, utrum ut a Deo venia impetraretur, ſatis eſſet contritio cum voto Confeſſionis, an vero neceſſario ponenda eſſet actualis Confeſſio. utrinque fatentibus Confeſſionis neceſſitatem; ſed quibuſdam videbatur actualis exomologeſis ita requiri, quod extra ipſam ſola contritio nullo in caſu ad peccati remiſſionem ſufficeret, quibuſdam vero contritio ipſa cum voto Confeſſionis ſufficere interdum videbatur. Si recto oculo Gratianum inſpexiſſes, in tuas partes non extorqueres: quippe cum rationum utrinque pondus expenderit, decernit, *neminem ſine pœnitentia, & Confeſſione propria vocis, a peccato poſſe mundari; unde præmiſſa auctoritates, quibus videbatur probari ſola contritione cordis veniam præſtari, aliter interpretanda ſunt, quam ab eis opponantur.* Poſt vero relatis D. Joannis Chryſoſtomi verbis: *Non dico tibi ut te prodas in publicum &c., ante Deum tua confitere peccata &c.*, ſubdit: *Non ita intelligendum eſt, ut ſine Confeſſione oris dicantur peccata dimitti, ſed ſine publica ſatisfactione: ſecreta namque peccata, ſecreta Confeſſione, & occulta ſatisfactione purgantur.* Pone vero, explicans D. Auguſtini dictum, concludit: *Unde votum Confeſſionis reputatur pro opere vocis, cum deeſt facultas Confeſſionis.* Hæc germana mens Gratiani, valde diſtans ab ea, quæ a te ipſi fingitur.

54. Quia vero maximi facis, quod inter veteres, an ex Dei præcepto Confeſſio eſſet, diſceptatum fuerit, ejus idcirco dubietatem inferens, eſſe rationabilem cauſam, cur pſeudoreformatio tua eam excuſſerit; hinc peto ex te, qui Catholicæ fidei Articulus ſit, de quo aliquando non fuerit quæſtio? Quanquam autem alterutra pars in errore neceſſario verſaretur, permittebatur tamen, donec cauſa judicialiter finita eſſet. Circa Confeſſionis neceſſitatem varias opiniones patiebatur Eccleſia, donec plenario Lateranenſi Concilio finita res eſt, in quo ſancitum fuit, neceſſariam omnino eſſe, & in Tridentino, a Deo fuiſſe inſtitutam. Quid ergo adhuc hærere? Quid Proteſtantes pertinaciter oppoſitum contendunt? Auctores, qui ante laudata Concilia contrariæ opinioni adhæſerunt, ſi poſt ipſa in vivis egiſſent, conſilium mutaſſent. Quid ergo imitari velle errantes, & ſequi nolle pœnitentes? Quid Gloſſam, Vaſquez, Adrianum VI. appellare, ſi ab Eccleſia cauſa finita eſt? Adrianus tamen *de Sacr. Pœnit.*, hæreſim dicit neceſſitatem Confeſſionis negare: & neceſſariam *de jure divino* eam aſſerit, affirmans etiam, quod Sacerdos abſolutione ſua vere *dimittit peccata*; eorum autem opinionem rejicit, aſſerentium a ſolo Deo peccatorem abſolvi, rationem reddens, ſcilicet Sacramenta non modo ſignificare, ſed ab ipſis ſignificata operari.

§. IX.

Expeditur Confeſſio ab iniquis quibuſdam calumniis.

55. DE finibus tuis declamas *Apolog. pag. 339.: Si Confeſſio Atheiſmum extinguit, cur tot Athei vivunt ubi illa viget? Si adeo operatur, cur fructus ſuos non reddit?* Ad oculos Picenine habes, quin tibi oſtendam, ubi Atheiſmus regnet, ubi religio peſſum vadat, ubi ad libitum credatur, ſi quid creditur; atque illinc ad noſtram Italiam remeantes libri, jurati teſtes ſunt hujuſce veritatis. Quidam indigena regionis, & pſeudoreformationis tuæ, exquiſitus quæ fides eſſet inter Re-

Reformatos Rhætos, ingenue faſſus eſt, idiotas quæ ipſis proponuntur credere, intermedios credere ad mediocritatem, doctos vero, & majores credere nihilum. Facile eſſet probare Atheiſmum in uſu eſſe, ubi Confeſſionis nullus eſt uſus; at quomodo tu, qui in infelici remoto pago vivis, uberes fructus qui ex Confeſſione prodeunt ſcire prætendis, & impiorum converſiones cognoſcere, quæ in dies contingunt? Si qui inter nos ſint a Confeſſione abſtinentes, & quamraro ad eam accedentes, hi nimirum tui ſimiles ſunt, ſcilicet improbi homines, vitioſi, perverſi in doctrina & moribus. Ceterum Confeſſione frequenter, et pie uti, nec moribus in melius progredi hactenus non vidimus: idcirco Theologi noſtri eam commendant, quaſi fortius frænum ad coercenda peccata. Inſtas: *Si Confeſſio inter confinia æquitatis cohibet peccatores, cur Italiæ populi in confitendo aſſidui ea tranſgrediuntur?* Prædicatio, & Dei verbum plurimum valent ad coercendum peccatores inter confinia æquitatis: cur porro Proteſtantes in prædicatione tam aſſidui ea tranſgrediuntur? Quo autem tendis bacchanti hac exclamatione tua *pag.* 340.: *O Jeſuitæ, doletis nos ſecretam ſuſtuliſſe Confeſſionem! At quare vos publicam dejeciſtis?* Bone vir, ſecretam Confeſſionem abhorres, tanquam pondus grave nimium tuæ Evangelicæ libertati; publicam vero magis oneroſam recipies, & male habes ab Eccleſia ſublatam fuiſſe? Enimvero neutra a te probatur, quippe ſi ſecretam rejicis, quam tibi humanum eſſe commentum fingis, minus publicam recipies, quam ab hominibus re vera introductam agnoſcis. Non Jeſuitæ publicam ſuſtulerunt Confeſſionem, ſed S. Leo, non quæ vana eſſet, ſed quæ non omnibus expediret. Neque apud nos publica pœnitentia omnino obſolevit: publicis enim graviſſimis delictis, in ſcandalum Eccleſiæ commiſſis, imponi conſuevit, potiſſimum quæ fidem, ac religionem offendant. Judices autem, & tribunalia ad hoc parata ſunt, odioſa tibi, & ingrata: etenim totus contremiſcis ad nomen S. Officii, & Inquiſitionis, tui ſimiles judicantis. Quę cum alibi execratus ſis, ſatis conſtat tum publicam, tum ſecretam Confeſſionem ſimul odiſſe. Iterum blateras: *Si adeo utilis iſta Confeſſio, cur Hiſtoricus quidam, Clementis VII. amiciſſimus, ajebat: Eccleſiæ & presbyteris hanc primam debemus gratiam, malos nos eſſe, & abſque religione?* Hiſtoricus iſte Nicolaus eſt Machiavelli *in Tit. Liv. lib.* 1. *cap.* 12., cujus nomen ſatis indicat quæ ſit ejus fides. Non hic tamen Eccleſiæ, & Preſbyterorum doctrinam inceſſit, quaſi ex iſta Chriſtiani perverſi, & abſque religione facti eſſent, ſed ſuorum temporum prava exempla redarguit hiſce verbis; *Propter illius Aulæ prava exempla, Provincia hæc omnem devotionem amiſit, & religionem.* Quocirca, etſi Machiavello fidem præſtare velles, ad ſummum malos illorum temporum mores reprehendere poſſes, nimirum quę illi faciebant, non quæ docebant.

56. Extremus quem adhibes conatus ad exterminium ſecretæ Confeſſionis, eſt Principum, & Regum odium in illam commovere, inquiens *pag.* 340., medium fuiſſe excogitatum *ad aucupanda coronata capita, quæ ſe dejiciant uſque ad oſculum pedum ſervi ſervorum. & ad ſtapiam tenendam aſcendentis equum, ad ſubjiciendum collum pedibus ejus, ut Alexandro III. Fridericus Cæſar.* Poſtea Scripturarum lectionem ipſis conſulens, in quibus (ut ais) *non occurrent Pontificia iſta magnificentia*, gentiliſſima, ſuaviſſimaque dulcedine tua aſſumis Regibus ſapientiam prædicare, inquiens: *O Reges, eſtote ſapientes &c.* At Principes, Reges, Monarchæ norunt quæ agant, melius quam tu, qui ea ipſa quæ garris, ignoras; honorem quippe, quem Sacerdotibus, ſervis, & Dei miniſtris exhibent, ex Regibus veteris Teſtamenti didicerunt, qui Sacerdotes, & Prophetas venerabantur, ac verebantur, Dei mandata ipſis nuntiantes. Nathan Regi David peccatum exprobrat; & ille humiliatus ait: *Peccavi.* 2. *Reg.* 12. *v.* 13.

v. 13. Elias nuntium mittit ad Achab:
Adeſt Elias; & Achab, licet impius:
Venitque Achab in occurſum Eliæ. 3.
Reg. 18. 8. 17. Eſaias Ezechiam redarguit, quod ad oſtentationem gazas ſuas Babyloniis oſtendiſſet, & comminatur pœnam; & Ezechias patienter exaudit. 4. *Reg.* 20. 14. Moderni Principes; ſi primævos Chriſtianitatis Principes contemplentur, te falſum eſſe Doctorem ſibi ſuadentur; ſiquidem obviam ipſis fiet Conſtantinus tam religioſus erga Sacerdotes, Theodoſius proſtratus ad Epiſcopi pedes, faſſus Sacerdotii dignitatem terrenam vincere majeſtatem. Porro audi D. Thomam *de regimine Principum cap.* 14.
„ Si finis regnorum eſſet temporale
„ tantum, omnes, tum etiam ipſi
„ Sacerdotes, Regibus ſubjici teneren-
„ tur, quibus Deus temporalis finis
„ curam commiſit. Attamen quia
„ hic non eſt regnorum finis, ſed bea-
„ titudo æterna, ad quam omnes ten-
„ dere debent per ſemitam virtutum;
„ ideirco omnes, tum etiam illi, qui-
„ bus temporalis finis cura commiſſa
„ fuit, ſubjici tenentur iis, qui curam
„ habent homines dirigere in ultimum
„ finem „ *Hujus ergo regni miniſterium, ut a terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta, non terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, & præcipue Summo Sacerdoti, ſucceſſori Petri, Vicario Chriſti Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Chriſtiani oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſi Domino Jeſu Chriſto. Sic enim ei, ad quem finis ultimi cura pertinet; ſubdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi.* Sequitur autem S. Doctor, quod „ cum Gen-
„ tilium Sacerdotium, & eorum re-
„ ligio tota ad aſſecutionem tempo-
„ ralium bonorum tenderet, in bo-
„ num ſcilicet multitudinis ad curam
„ Regis pertinentis, jure merito „
Sacerdotes Gentilium Regibus ſubdebantur. Quoniam vero in lege etiam veteri temporalia bona a ſummo Deo religioſo populo promittebantur, ideirco Sacerdotes Regibus ſubdebantur; at *in nova lege eſt Sacerdotium altius, per quod homines traducuntur ad bona cæleſtia, unde in lege Chriſti Reges debent Sacerdotibus eſſe ſubjecti.* Reliqua in eodem Opuſculo legantur, ibique Picenine diſces, cur veteris Teſtamenti Reges viſi non fuerint ad Sacerdotes procumbere, ut Chriſtiani Principes faciunt, qui Sacerdotes reſpiciunt quorum miniſterio datum eſt ad ultimum finem beatitudinis ipſos Reges dirigere: quamobrem in hoc illis ſe ſubjiciunt, agnoſcentes quidem ſe Principes eſſe, ſed ſimul Chriſtianos eſſe, quo charactere Jeſum Chriſtum in ipſis Sacerdotibus venerantur, & dum peccant, cum a recta beatitudinis ſemita declinent, ad Sacerdotes confugiunt, ut in viam ſalutis per ipſos reſtituantur. Certiſſime ſciunt Sacerdotem inviolabilem ſilentii legem habere, cui propterea non dubitant penitiora arcana communicare. Si autem ſciunt ſecretum non violaturum, *etſi ipſi revelata eſſet conjuratio contra regium caput*, item ſciunt, illum de ſe, quantum ſibi licet, non præterire prohibere facinus, abſolutionem negando non retractanti voluntatem, & interdum etiam cogendo pœnitentem complices manifeſtare Judici: denique ſciunt, media non deeſſe ad tuendam regiam vitam, quin manifeſtetur reus. Miror qua fronte loqui ſic audeas; quippe ſi Angliam inſpicias aſſiduis rebellionibus graſſantem adverſus Reges ſuos, quorum alii necati, alii abacti, regno privati ſunt poſt Confeſſionis jacturam, profecto non poteris ex temetipſo non ſuaderi. Quod vero parum ſit *peccatum homini confiteri, & ſperare veniam*, non capio quomodo id proferas: dudum quippe tu in Triumph. *pag.* 261. præceptum confitendi peccata jugum aſſerebas cervici Hebræorum minime impoſitum, ideoque Chriſtianis cervicibus non imponendum. Porro ſi nuper *nimium*, quomodo nunc *parum* factum eſt? Si nuper *frænum* erat violentiſſimum, quomodo nunc dat fræna peccatis, ex ſpe facilis remiſſionis? Quantumcunque parum ſit debitum confitendi homini peccata ad impetrandam veniam, certe minus ſem-

mpererit confiteri nemini hominum,
:d ſoli Deo, & ſibi blandiri ſola me-
oria ſuſcepti Baptiſmi juſtificari
lc vexat verecundia alteri revelandi
iod ipſum latet, nec ulli patere un-
iam vellet. Deo autem ſoli confi-
ri, ipſi panditur, quem nihil jam o-
nino latet.

57. Nunc cogimur Confeſſionis cau-
m defendere coram te Picenine, qui
lor & Judex, plurimis fœdatam
lictis non modo eam criminaris,
l & condemnas; ſcilicet ream
e conjurationibus probatis à Confeſ-
iis, cum intentata fuerint contra
micos Papæ, contra Henricum, Eli-
etham, & Jacobum Angliæ, contra Hen-
um III. & IV. Galliæ, quibus Con-
arii adhæſerunt. Ais: *Si contra ca-*
Regis machinetur, qui Romæ cre-
ur hæreticus, & negotiis Papæ con-
rius, a Confeſſario tantum abeſt
chinatorem dehortari, quinimmo ipſum
tatur tanquam ad pium opus ſin-
aris meriti. Sic in Triumph. *pag.*
. ſtropham canis, & documenta ja-
s Apologiæ *pag.* 87. & 88. & 168.,
dens legere Dallæum tuum, ut fru-
s pateant Confeſſionis. Putidis ta-
n Apologiæ commentis jam dictum.
. Dallæi autem figmenta contriverunt
rquot ex noſtris de controverſiis
pſerunt. Ad ea vero quæ uſque
nauſeam de Tyrannis recompingis, ſi
poſtularet, D. Thomæ doctrinam op-
erem *in 2. ſent. diſt. 44. qu. 2. ar. 2.*
eris calumniis tuis jam dictum.
um ſi ita eſſet, Confeſſarios aliquan-
proditoribus conſenſiſſe, iſti vi-
erandi eſſent, non Confeſſio, quæ
uſmodi improbos odit, & deteſta-
. Nunquid concederes, Baptiſmum,
Dei verbum ab Eccleſia relegandum,
d ipſis male quidam abuſi ſint? In
liæ conjurationibus, ut Tuanus
rt, cujus dictis Dallæus calu-
as ſuas ſuperſtruit, quas tu ad lit-
m ſcribis, partem habuerunt qui-
n Prædicatores: & ad carnificinam
:is Guiſæ machinati ſunt Beza, alii-
Calviniſtæ. Porro ſi hac de cauſa
feſſio eliminanda eſt ab Eccleſia,
iſti, pariter eliminanda externa

profeſſio, quæ ab illis exercebatur. At falſum falſiſſimum, Petrum Barrieram machinationem ſuam confeſſum, occidendi Henricum IV., laudem retuliſſe ut de pio, & meritorio opere. Cardinalis Perronus *ad Regem Angliæ cap. 6. obſerv. 2.* factum refert, inquiens: Cum Barriera Lugduni Sacerdoti ex Societate Jeſuitarum confeſſus ſit, inter alia contra Regis vitam machinari, etſi Sacerdos adverſus Regis partes ſtaret, conſtanter negavit ipſum abſolvere; quam ob rem Barriera familiariter agens cum P. Branchio Dominicano, ipſique aperiens mentem ſuam occidendi Regem, & a Confeſſario negatam abſolutionem, Branchio viſum eſt, hujuſmodi negotium non eſse diſsimulandum: quare Brancaleoni cuidam nobili Siculo id ſecreto retulit, qui Lutetiam Pariſiorum citiſsimis equis profectus, Regem monuit; & Barriera in equuleo ſingula confeſſus eſt. Conſtat ergo mala fides tua, hujuſmodi conjurationem probatam aſſerens a Confeſſario, dum e contra eam ipſe, & alter prætitatus abominati ſint. In facto Joannis Caſtelli nullam partem habuerunt Confeſsio, & Confeſſarii: parricidium intentaſſe faſſus eſt, quia audierat licitum eſſe id committere. Guinardo pœna inflicta fuit, non quod Caſtelli intentionem commendaſſet, ſed quia apud ipſum ſcripta quædam adverſus Regem comperta fuerunt, quæ flammis conſignare debuit, juxta Regis edictum. Ita Spondanus refert ad ann. 1594. num 22. & 23. Si Jeſuitæ a Regno relegati fuerunt, ab eodem Henrico IV. exinde ann. 1604. revocati fuerunt, ac recepti inter intimos ſui Aulicos; & Patre Cottonio Prædicatore, & Confeſsario a Rege aſſumpto, eorum innocentia toti Orbi patuit. Guilielmus Oranges pœna capitis proſcriptus fuit a Rege Hiſpaniarum rebellionis cauſa; hinc nil mirum ſi quis ſibi licere exiſtimavit ipſum occidere, tum etiam ſi quis ſuaſerit id licite fieri, ſi in Dei gloriam fieret. Facinus tamen non ſolicitavit, quemadmodum Beza Pol-

trotium ad Ducis Guiſæ occiſionem inſtigavit : tantumque conſultus probavit. Quid tamen in his detineri, quę etſi vera eſsent, Confeſſioni nihilum præjudicarent ? In ſtatera hinc Picenini calumniæ, hinc reſponſa noſtra appenduntur, & palam fiet, neceſsitatem, & inſtitutionem Confeſsionis Sacramentalis a Chriſto deſcendere, ab Eccleſia ſemper retentæ, Patribus commendatę, nulla autem rationabili cauſa a Proteſtantibus abrogatæ.

ARTICULUS XII.

De Euchariſtia.

§. I.

Teſtimonium humanorum ſenſuum nihil probat contra divinam Tranſubſtantiationem.

1. DUæ Catholicę veritates in hoc Articulo concluduntur, realis Chriſti præſentia, & Tranſubſtantiatio Panis & Vini in verum ipſius Corpus & Sanguinem : veritates ambæ a Proteſtantibus oppugnatę; ſecunda a Calviniſtis, & Lutheranis ſimul Tranſubſtantiationem negantibus, prima a ſolis Zuinglianis, & Calviniſtis, quorum ſectæ pro inſigni charactere habent odium qualiſcunque realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia. Piceninus abrupte ſic Tranſubſtantiationem adoritur Apolog. *pag. 541.*: *Dico Tranſubſtantiationem ſenſibus repugnare, qui judices competentes circa hujus generis objecta, conſonanti armonia teſtantur, qui panis eſt ante conſecrationem, panem eſſe poſt conſecrationem.* Ego autem reſpondeo, Tranſubſtantiationem, ſeu unius ſubſtantiæ in aliam mutationem, objectum non eſse ſenſibus accommodatum, quorum non eſt de ſubſtantiis, ſed de accidentibus ad extra apparentibus judicare. Senſus judicant, eaſdem ſpecies panis, colorem ſcilicet, ſaporem, figuram, & quantitatem, quæ inerant ante conſecrationem, poſt etiam adeſſe, atque in hoc rectum eſt eorum judicium. Verum, quemadmodum poſt conſecrationem extant ſpecies panis, ita ſubſtet panis ſubſtantia, id judicare non ad ſenſus pertinet, ſed ad intellectum, cujus eſt rerum naturas decernere. In caſu noſtro, cum ſenſuum judicio ratum ſit, poſt conſecrationem eadem quæ antea ſenſibilia objecta manere, cogeretur intellectus deducere, ac definire, inibi panis & vini ſubſtare naturam: attamen a fide edoctus inibi eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſenſuum præjudicium fidei teſtificatione caſtigat. Chriſtum videntes, & ſenſuum ſcrutinio contemplantes, purum hominem ipſum reputabant. Ita de illo judicabant Hebræi, qui tamen fallebantur. Columba viſa ſuper Jordanem deſcendere, intuentium oculis, ac ſenſuum criterio, de grege columbarum una eſſe videbatur; attamen externam licet columbæ ſpeciem præſeferens, columbæ naturam non deferebat. Senſus omnes Tobiæ ſuadebant, viæ ſuæ comitem hominem eſſe, non ſpiritum, atque palpabilem carnem, et oſsa, ſenſibileſque hominis ſingulas operationes habere; judicium tamen ab unanimi ſenſuum conſpiratione deſumptum, fallax tandem agnovit, quia qui ſenſibus perfectam hominis ſpeciem repræſentabat extrinſecus, non homo, non corpus, ſed ſpiritualis ſubſtantia, Archangelus nempe Raphael erat intrinſecus. Senſus juxta ſenſibilium affectiones judicant, nec falluntur; mens tamen præſtantiori conſilio uti debet, ut recte judicet, an rei natura quæ intus latet, eadem ſit quæ per ſenſibiles qualitates foris apparet. *Hæc omnia* (D. Auguſtinus *lib. 11. de Civit. Dei cap. 27.*) *corporalia latentes in natura cauſas habent, ſed formas ſuas, quibus Mundi hujus viſibilis ſtructura formoſa eſt, ſentiendas ſenſibus præbent, ut pro eo quod noſſe non poſſunt, quaſi internoſcere velle videantur. Sed nos ea ſenſu corporis ita capimus, ut de his non ſenſu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis ſenſum, iſte longe præſtan-*

ſtantiorem. Senſus nuntiantes nobis, poſt conſecrationem in Euchariſtia ſenſibile quidquid panis ibi adeſse, quod antea erat, nec fallunt, nec falluntur, quia ut D. Auguſtinus docet *de vera Relig. cap.* 33.: *Ne ipſi quidem oculi fallunt, non enim renuntiare poſſunt animo, niſi affectionem ſuam*. Et D. Thomas *Opuſc.* 57. nos admonet, quod ſenſus in Euchariſtia *a deceptione redduntur immunes, quæ de accidentibus judicant ſibi notis*. Senſibile autem illud, quod ſenſum afficit, an re vera intus habeat ſubſtantiam illam, quam ſenſibiliter exhibet, ad intellectum pertinet definire. D. Auguſtinus *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 27.: *Ad hujus ſenſus officium, non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non ſpiramenta narium, non guſtus faucium, non ullus corporeus tactus accedit*. Quando ſignum rectum, curvum videtur in aqua, & oculus videns, menti curvum renuntiat, quæ interea curvum eſse judicat: *Non malum habet internuntium* (D. Auguſtinus *de vera Relig. cap.* 33.), *ſed malus eſt judex . . . oculus recte videt, ad hoc enim factus eſt, ut tantum videat, ſed animus perverſe judicat &c.* Ita ſenſus menti renuntiantes accidentia panis, & vini poſt conſecrationem, recte ſentiunt, ad hoc enim facti ſunt, ut tantum ſentiant; ſed mens fallitur, eum ex illis ſpeciebus e ſenſibus ſibi delatis, trahitur ut judicet panis, & vini ſubſtantiam adhuc manere: non enim in hoc judicio debet ſenſus exaudire, ſed fidem.

2. Perſpicuum nobis exhibere factum Picenine ſtudes *pag.* 342. hoc exemplo: *Cum Jeſus qui jam reſurrexit diſcipulis ſuis apparuit, putabant territi iſti, ſpiritum, & phantaſma videre. Quid porro tum* Salvator? *Senſus tanquam judices appellavit, ut definirent quale re vera objectum eſſet, quod ipſis ibi apparebat: Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem. & oſſa non habet, ut me videtis habere. Lucæ* 24. 36. 39. Quaſi vero perorata cauſa, Chriſtianum Orbem totum rogas auribus adſtare tibi in hæc verba loquenti: *Aut illius objecti Apoſtolis repræſentati, ipſorum ſenſus judices appellabantur, aut non? Si negantur judices, Salvatori contradicitur, qui ex contextu ſermonis perſpicue oſtendit judices eos ſtatuiſſe. Si vero, ut negari nequit, judices probentur, cur non permittuntur judices de objecto in Cœna repræſentato? Ibi ſermo eſt de Corpore Chriſti; hic de Corpore Chriſti. Ibi de Corpore Chriſti quod reſurrexit; hic de Corpore Chriſti crucifixo. Si de Corpore glorioſo ſenſus deſtinantur judices, cur de Corpore crucifixo, & cruento non acceptantur?* Ecce tibi ratio Domine Picenine: Quia Apoſtoli, dum Chriſtus ipſis dixerat *palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ut me videtis habere*, animo judicare debebant rem ita ſe habere, quomodo per ſenſus indicabatur eſſe, quia ſenſuum teſtimonium commendabat ſermo ipſe Chriſti, quem non fallere certo ſciebant. Porro in Euchariſtia ſermo Chriſti ſenſibus contradicit: iſti quippe panem eſſe, ille vero ait *hoc eſt Corpus meum*. Dicente Chriſto *palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ut me videtis habere*, diſcipuli re vera ita eſſe immobiliter credere tenebantur, & ex dictis ejus omnem cordis hæſitationem repellere; ergo Chriſto dicente *accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum*, credere tenebantur ibi re vera Corpus ejus eſſe, etſi ſenſus panis ſpecies renuntiarent. Utrinque ſenſus recte renuntiabant; at in primo mentis judicium ſtare debuit ſenſuum teſtimoniis, & juxta eorum electiones repellere omnem dubietatem, quia ſenſuum ſigna Chriſtus confirmabat, in ſecundo autem mens debet ſenſuum judicium negligere, & contra ipſos aliter judicare, quia Chriſtus dictat ſecus ac ipſi deſignant. Ibi Chriſtus voluit ex ipſis ſenſibus certum a nobis deſumi veritatis ſui Corporis argumentum; hic e contra ex verbis ſuis vult contra ſenſuum ſigna certum haberi veritatis Corporis ſui documentum. Ibi Chriſtus Corporis accidentia exhibens, ajebat: *Palpate, & vi-*

dete;

Digitized by Google

dete, *hoc ſpiritus non eſt*, *ſed corpus*. Hic accidentia panis exhibens, non ait *hic eſt panis*, ſed *hoc eſt Corpus meum*. Quocirca dum Chriſtus dixit *Palpate, & videte, hoc eſt corpus*, fas erat corpus credere, licet mens cogitaret phantaſma videre; quando vero idem Chriſtus ait *Accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum*, fas eſt Corpus ſuum credere, licet ſenſus panem renuntient ſentire: quippe ſi Chriſtus vellet quod ibi offerebat credi panem, dixiſſet: *Accipite, & comedite, hic eſt panis*; non autem: *Hoc eſt Corpus meum*. Cum igitur inſtas: *Quis me ſuadebit, panem illum eſſe Corpus Chriſti, dum ſenſus omnes oppoſitum denuntient?* reſpondeo: A ſenſibus accipere debes quod ipſis competit reddere, nimirum accidentia illa panis eſſe; ſed de ſubſtantia, quę ſub illis accidentibus latet, non ſenſibus, ſed Chriſto debes judicium tuum committere, ipſique credere aſſerenti *hoc eſt Corpus meum*. Non hi *ſunt vani circuitus*, ut conaris perſuadere, ſed tu re vera hariolaris oppido, dum Triumph. *pag.* 155. tibi adularis rem confeciſſe, argumentum tuum contra P. Semery complectens *pædagogico more in hanc formam*: *Judices a Chriſto nobis deſignati ad notitiam ſui Corporis, nos fallere nequeunt. Judices a Chriſto nobis deſignati ad notitiam ſui Corporis, ſunt ſenſus. Ergo ſenſus in notitia Corporis Chriſti nos fallere nequeunt*. Optime ais pædagogico more velle procedere, re vera quippe Pædagogi philologia potius, quam Philoſophi, & Theologi gravitate differis. Quomodo aſſumptum probas, nimirum ad notitiam ſui Corporis Chriſtum perpetuos judices ſenſus inſtituiſſe? Vanum clamare, Chriſtum dum diſcipulis ſuis apparuit, Corporis ſui judices ſenſus inſtituiſſe, ergo perpetuos judices illos deſtinavit: quippe ſi Magdalenæ ſenſus plorantis ad momentum judices fuiſſent, Hortulanum, non Chriſtum vidiſſe illa annuntiaſſet; ſicut quia duo diſcipuli euntes Emmaus ſenſuum affectionibus adhæſerunt, Chriſtum ignotum eſſe peregrinum reputarunt. Vanum igitur eſt pronuntiare, Chriſtum in illa circumſtantia, quam D. Lucas narrat, cum judices ſui Corporis Apoſtolorum generatim ſenſus feciſſet, & ſingulatim illos D. Thomæ, in omnibus exinde circumſtantiis judicium de veritatę ſui corporis ſenſibus commiſiſſe, alias Apoſtolis erroneos judices deſignaſſet. Minus vero ſenſibus commiſit de ſuo Corpore in Euchariſtia judicare; quinimmo ne ſenſuum notionibus aſſenſum præſtarent, dum Apoſtolis porrexit quod ſenſuum criterio repræſentabatur panis, eos monuit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*; quo docere voluit, in illa circumſtantia verba ſua attendenda eſſe, non ſenſuum præjudicia, & quod in ipſum fides omnem ſenſuum ſuaſionem vincere debebat.

3. Prædicas Apolog. *pag.* 343.: *Cum Deus Ægypti undas in ſanguinem converteret, aut virgam Moyſis in ſerpentem (Exod.* 7. *verſ.* 10. *&* 20. *), ſive in Cana aquam in vinum (Joan.* 2. 9. *), objecta illa novas induebant qualitates. Novam aſſumebant formam, & hujuſmodi immutationis teſtes erant ſenſus omnes.*: *Quid ad hæc Panigarola?* Reſpondet Panigarola, tunc rem fuiſſe fidei fundamenta jacere, ubi nulla fides erat: idcirco ſenſibus perſpicua requirebantur miracula. At in Euchariſtia, Apoſtolorum fides jam ſuſcepta, a Deo probatur, & expenditur; idcirco miraculum apponitur ſenſibus imperceptibile, ut quo a ſenſibus alienum magis, immo contrarium videtur, magis authenticum ab Apoſtolis, & Chriſtifidelibus devotæ fidei ſuæ experimentum exhiberetur. Ita Panigarola reſpondet cum D. Thoma *Opuſc.* 57., qui rationem aſſignans cur hæc tranſmutatio ſenſibus non pateat, ait: *Ut fides locum habeat, dum viſibile inviſibiliter ſumitur, aliena ſpecie occultatum*; & enucleatius 3. *p.* *q.* 29. *ar.* 1. *ad* 2.: *Miraculorum Dei quædam ſunt, de quibus eſt fides. ſicut miraculum Virginis partus, & reſurrectionis Domini, & etiam Sacramenti Altaris: & ideo Dominus voluit iſta occultiora eſſe, ut fides eorum*

rum magis meritoria eſſet. Quadam vero miracula ſunt ad fidei comprobationem: & iſta debent eſſe manifeſta. Si converſio panis in verum Chriſti Corpus ita fieret, ut objectum novam indueret qualitatem, & ſpecie panis ſenſibus ſublata, ejus vice extima etiam Chriſti Corporis ſpecies ſuccederet, quæ ad oculos Diſcipulorum perſpicua fuiſſet, evidens quidem divinæ omnipotentiæ tum prodigium conſtaret, nullum tamen fidei noſtræ meritum ibi, nec argumentum appareret. In Ægypto, & Cana, omnipotentiæ ſuæ, qua non credentes crederent, mirabilia portendit, hic præſtantiſſimæ fidei, qua credentes contra evidentiam ſenſuum fidem ſuam extollerent, myſterium proponit. Quemadmodum vero Chriſtus voluit humanitatem ſuam videntes, Divinitatem etiam quam non videbant eos credere; ita vult panem videntes, eos credere idipſum Corpus ſuum æterno Patri in Cruce oblatum ibi adeſſe. Quibus autem placeret ipſum re tangere, & videre, apprime convenit exprobratio Thomæ a Chriſto facta *Joann.* 20. 29.: *Quia vidiſti ... credidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Neque juvat perſcrutari Apolog. *pag.* 343.: *Si Chriſtus in Cana ſignum fecit viſibile, & converſionem ſenſibilem, ut Meſſias crederetur; cur in Cœna inſenſibilem converſionem facit, ut crucifixus credatur, & mortuus?* Fecit Chriſtus converſionem in Cœna, ut crucifixus crederetur, & mortuus, & hoc ipſum a nobis creditur, quia ab Evangeliſtis nobis traditur; quamobrem converſio inviſibilis facit, ut a nobis credatur ipſe qui pro nobis crucifixus fuit, & mortuus, in Sacramento cibus noſter fieri. Magna ſane fides, videre panem, & carnem credere; at magna iterum fides, videre hominem, & Deum credere: & tamen, quia id de ſe aſſerebat, credere fas erat; cur porro dum panem oſtendens ait *hoc eſt Corpus meum*, renuis credere, & ſigna quæris ſenſibilia? *Omnia Sacramenta* (ais) *a Deo poſita ſunt ad confirmandam fidem noſtram.* Quanquam id non omnino verum ſit (Sacramenta quippe potiſſimum poſita ſunt ad aſſequendam per ipſa gratiam, non præciſe ad excitandam fidem), gratis tamen permittatur. At quid efficacius ad confirmandam fidem, quam quod in ejus obſequium credatur verum Chriſti Corpus, quod oculis in ſpecie panis objicitur? Si ceteræ, quæ in Scripturis converſiones leguntur, ſenſibiles ſint, nec alia, præter iſtam, inſenſibilis oſtendi converſio valeat, quid hoc refert? Nunquid idcirco vera non eſt? Nunquid non credenda? Ubinam, Picenine, in verbo Dei, præter Sanctiſſimam Trinitatem, aliud occurrit exemplum unius ſubſtantiæ in tribus Perſonis? Ergo non credenda? Ubinam, præterquam in Chriſto, duas habes naturas in una Perſona? quod Homo unus ſit ſimul & Deus? unus, de quo ſenſus judicent humanam Perſonam eſſe, cum divina ſit, niſi in Chriſto? Deus tamen & Scripturæ hæc omnia affirmant. Porro ſi Chriſtus ipſe oculis, guſtui, & reliquis ſenſibus panem exhibens, ait *hoc eſt Corpus meum*, quid alia quærere exempla? Quid experimenta, & ſigna petere? Hic Hebræorum ſermo eſt, ſigna poſtulantium, ut crederent quæ a Chriſto dicebantur: *Volumus a te ſignum videre &c. Matth.* 12. 38.

4. Caveant Proteſtantes, & tu præ ceteris Picenine cave, ne ab indignato Chriſto in te deſcendat illa maledictio (*ibid. v.* 39.): *Generatio prava, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei.* Abſtine ultra blaſphemare Apolog. *pag.* 343.: *Si Chriſtus vult me credere in carnem ſuam immutatum panem Cœnæ, cur panem video cum omnibus accidentibus ſuis? Cur unum tantum indicium hujus tranſubſtantiationis mihi non oſtendit? Cur Chriſtus vult me credere ſuam carnem, ubi clare video non eſſe?* Enimvero mala, peſſima ſunt hæc verba tua, verba blaſphemiæ. Si ibi adeſſe diceres te non videre, bene haberes; at quomodo ibi non adeſſe vales dicere clare te videre, ſi ocu-

oculus non valeat judicare niſi de ſenſibili, quo afficitur? Quid quærere indicia, & ſigna, poſtquam Chriſtus dixit, quod ſenſibus panis videtur, eſſe Corpus ſuum? Audiatur quæ Neophytos ſuos doceat Jeroſolymitanus Cyrillus *Catecheſ. Myſtag.* 4.: *Cum igitur Chriſtus ipſe affirmet, atque dicat de Pane hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? At eodem quoque confirmante, & dicente hic eſt Sanguis meus, quis unquam dubitet, & dicat non eſſe illius Sanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt Sanguini propinquum, in Cana Galilea, ſola voluntate: & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem ſuum tranſmutaſſet? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, ſtupendum miraculum operatus eſt, an non multo magis Corpus, & Sanguinem ſuum filiis ſponſi dediſſe illum confitebimur? Quare omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub typo panis datur tibi Corpus, & ſub typo vini datur Sanguis, ut ſumpto Corpore, & Sanguine Chriſti efficiaris ei comparticeps Corporis, & Sanguinis. Sic Chriſtophori erimus, hoc eſt Chriſtum ferentes, cum ejus Corpus, & Sanguinem in membra noſtra receperimus; atque ita, ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ conſortes efficimur .... Ne ergo conſideres tanquam panem nudum & vinum nudum. Corpus enim eſt, & Sanguis Chriſti, ſecundum ipſius Domini verba. Quamvis enim* (hoc optimum) *ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem judices, quin potius habeas ex fide pro certiſſimo, itaut nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata Corpus, & Sanguinem.* Præſtantius ne ad rem noſtram, & ad ea quæ hactenus dicta ſunt confirmanda loqui poterat? Nonne doctrina in Catecheſibus Seculi IV. exarata, eadem omnino eſt ac illa, quæ ab Eccleſia Romana traditur in præſens, nimirum in hoc Sacramento non ſenſibus attendendum, ſed verbo fidei, & Chriſto ipſi, qui vult nos hic credere non ea tantum quæ non videmus, ſed contraria etiam his quæ videmus? Ipſo autem dicente *Hoc eſt*, ultra non eſt inquirendum.

5. Ad rem oppido eſt quod Panigarola proponit, quanquam flocci id Picenine facias. Chriſtus, poſtquam multiplicatis panibus turbas ſaturaverat, dixit (*Joann.* 6.): *Ego ſum panis vivus ... Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*; deinde ſubjecit: *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* His auditis Hebræi *litigabant ad invicem: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Quibus Chriſtus dicta confirmans, ait (*ibid. v.* 54-57-59.): *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis ... Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hic eſt panis, qui de Cælo deſcendit, non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt: qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Durus plurimis viſus eſt hic ſermo: *Durus eſt hic ſermo* (v. 61.), *& quis poteſt eum audire?* Hac de cauſa *multi diſcipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.* (*verſ.* 67.). Quod videns Jeſus, *dixit ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire?* (*verſ.* 68.). Chriſtus tunc de Euchariſtia loquebatur, ut plurimi expoſitores interpretantur, etſi Calvinus, & Piceninus diſſentiantur. Durus videbatur ſermo Chriſti, quia aſſerebat: *Caro mea vere eſt panis*, quam manducare debebant. Porro ſi Chriſtus non intendebat *panem* re vera ſuam *carnem* eſſe, nec quod re vera manducare eam deberent, ſed tantum in typo, ideſt quod manducare deberent panem, qui typus erat, & nihil amplius, quare auditores non iſta edocuit, quare in errore eſſe permiſit? Quid tot vero abire ſuſtinuit, quos paucis poterat detinere, & a deceptione liberare? Alibi (*Joann.* 3. 3.) dicente Chriſto: *Niſi quis renatus fuerit denuo,*

non

on poteſt videre regnum Dei, cum Jicodemus capere non valeret: *Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuę iterato introire, & renaſci?* (*ibid. v.* ſ.), Chriſtus illico docere ipſum curavit quæ eſſet, & quomodo accideret hæc ſecunda nativitas, ex aqua ſcilicet, & Spiritu Sancto, quia qui x carne naſcitur, caro eſt, at qui x Spiritu oritur, ſpiritus eſt; quare ipſum ne miraretur monuit, ſi dictum audierat: *Oportet vos naſci denuo*. Quid porro tot adhibuit, ut rror unius auferretur, ut autem ſcandalum, lites, dubia plurimorum tollerentur, nihil ſubdidit, nec verbum uidem? Quid interea excogitandum, niſi ibi locutum non fuiſſe in ſenſu allegorico, quemadmodum hic cum Nicodemo loquebatur, ſed in ſenſu obvio, & litterali? Occurris Apolog. *pag.* 43., *contra charitatem Jeſu fore, carnem ſuam velle nos credere, ubi nullum pparet indicium, ubi panem videmus um omnibus accidentibus ſuis*. Siccine, ec aliter reſpondes? Et tamen Chriſtus ſemper dixit: *Panis quem ego dabo, aro mea eſt ... Qui manducat meam arnem &c.* Atque idipſum in Cœna pronuntiavit, Apoſtolis diſtribuens quod enſibus panis videbatur, dicens: *Hoc ſt Corpus meum*. Itaque ſi quid valet reſponſum tuum, conſequens ſit Chriſtum tentaſſe turbis ſuadere, ut rederent carnem ſuam adeſſe, ubi nullum apparebat carnis indicium, & contra charitatem egiſſe, cum vellet credi quod non erat, nec errantium deceptionem auferret. Hæc ſunt excogitata tua præſtantiſſima. Eja tandem, ceſsa in Triumpho *pag.* 156. ſigna quærere, & indicia, ex his quæ Chriſtus ſibi complacuit Apoſtolis oſtendere ad veritatem Corporis ſui iam redivivi; cum iſti utique parati eſſent ad credendum, & ſola lætitia, & admiratione nutarent ad ea quæ videbant. Chriſtus nullum ſignum Hebræis dare conſtituit, & Calviniſtis pariter ſignum dare negat, aſſerentibus ex ſignis forte ſe diſpoſituros ad critatem Corporis eius in Euchariſtia credendam, quia notionibus ſenſuum magis attendunt, & exaudiunt, quam Chriſti verba; nec ideo murmurare ceſſas, quomodo poſſit caro eſſe illud quod panis eſt? Audi D. Cyrillum Alexandrinum id explicantem *lib.* 4. *in Joann.*: *Quomodo poteſt? Quomodo egreſſus es ex Ægypto? Quomodo in ſerpentem verſa eſt virga Moſaica? Quomodo lepra manus infecta eſt, & in priſtinum ſtatum rurſum rediit? Quomodo in ſanguinis naturam verſa eſt aqua? Quomodo per medium mare ſicco pede tranſiſti? Quomodo amara illa aqua de Mara per lignum verſa eſt in dulcem? Quomodo tibi aqua de petrarum uberibus affluxit? Quomodo propter te manna cecidit? Quomodo Jordanis immotus ſtetit? Quomodo Jerichuntis inexpugnabiles muri corruerunt?* Potentia eadem, quæ tot portenta, & converſiones operata eſt viſibiliter, nunc panis converſionem in carnem ſuam operatur inviſibiliter; quia vero carnales ſenſus tui contrarium annuntiant, repugnas credere, & fide vacuus inſtas: *Quomodo poteſt?*

§. I I.

Tranſubſtantiatio naturali ration non repugnat.

6. PErtinax in eo *quomodo poteſt*, poſt carnales ſenſus, humanæ rationis tribunal appellas, Apolog. *pag.* 344. inquiens: *Tranſubſtantiatio ſanæ rationi repugnat, cunctiſque principiis ejus. Portentum hoc excitat mihi chimarici corporis ideam: Corporis, quod non eſt Corpus: Corporis, quod in pane habet exiſtentiam ſpiritus: Corporis nullius extenſionis, nullius quantitatis: Corporis integri in minima parte Hoſtia: Corporis Chriſti, quod intrat in partem Corporis Chriſti: Corporis denique, quod efformatum ſeptemdecim ab hinc ſeculis, denuo ad nutum Sacerdotis efficitur, & millies centenis millibus locis eſt ſuper terram, nullum tenens locum.* Enimvero ſi inter miſeras tenuiſſimæ mentis tuæ anguſtias Dei coar-

ctare omnipotentiam deſignas, & divina myſteria, quæ ad fidem ſpectant, humana ratione ſcrutari, plura offendes repugnantia, atque ita proficies, ut omnia neges. Quæſo te, ſi naturalem conſulas Philoſophiam, quæ Sanctiſſimæ Trinitatis idea conſurget? Idea contradictionum plena: idea trium Perſonarum, quarum una non eſt altera, eadem tamen res eſt, nimirum eadem ſubſtantia; quæ quanquam tribus invicem diſtinctis identificata ſit, non ipſa tamen reapſe diſtincta, ſed una, ac eadem in omnibus tribus. Filius, qui realiter procedit, nec poſterior eſt: qui a Patre accipit naturam, nec ab eo dependet: Filius, qui quidquid habet, a Patre accipit, & tamen habet a ſe. Humanæ autem menti nonne iſta videtur idea Dei chimærici? Dei qui unus eſt, & non unus, trinus, & non trinus, independens, & dependens, ſi Gentium Philoſophiam audias? Ita nempe Arius, Sabellius, Macedonius loquebantur. Si naturalem rationem attendas, intelliges quomodo una Perſona, & hæc divina, in duabus ſit naturis, divina, & humana? quomodo unus, & idem, homo ſit, & Deus? quomodo duo extrema in infinitum diſtantia uniantur in unum? Poſt cogitationes multas, tandem decernes hoc eſſe chimæricum compoſitum, velut qui Homo ſimul eſſet, & Equus. Ita nempe Hebræis videbatur, ita etiam Gentilibus. Nihilominus cenſeo te utrumque firmiter credere, quia Philoſophiæ non attendis placita, ſed divini verbi exaudis documenta: & quanquam in intelligendo deficias, in credendo tamen minime dubitas. Quam ob rem ergo in myſterio Euchariſtiæ credere detrectas Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis adeſſe poſſe, Corpus manere modo indiviſibili, & in ſeipſo conſiſtere propria extenſione, & quantitate, quia etſi Philoſophia contradicere videatur, Chriſtus tamen rem ita eſſe teſtatur? Magna etiam Virgo mirata eſt in ſermone, quomodo incognita viro concipere poſſet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Lucæ* 1. 34. Angelus autem ut eam ſuaderet, non Philoſophiæ figmenta adhibuit, ſed Dei omnipotentiam commendavit: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. ibid. verſ.* 37. Hæc ſatis tibi eſſe deberent, ut in obſequium fidei mentis tuæ vanis cogitationibus renuntiares, quin ſapere velles quæ non oportet ſapere; etenim quæcunque excogitabis, oppoſita erunt Chriſti verbis, adeoque falſa eſſe certiſſime arguam, juxta D. Auguſtini regulam *Lib.* 1. *de Geneſ. ad lit. cap.* 21.: *Quidquid autem de quibuſlibet ſuis voluminibus his noſtris litteris, ideſt Catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate oſtendamus, aut nulla dubitatione credamus eſſe falſiſſimum.* Verum Manichæam imitari regulam inſtituiſti, negans credere quod humana ratio nequeat oſtendere. Adverſum te tamen pugnat D. Auguſtinus, quemadmodum olim contra Manichæos *Lib. de utilit. credendi cap.* 14.: *Fateor me jam Chriſto credidiſſe, & in animum induxiſſe id eſſe verum, quod ille dixerit, etiamſi nulla ratione fulciatur.* Et infra: *Si autem Chriſto etiam credendum negant, niſi indubitata ratio reddita fuerit, Chriſtiani non ſunt. Nam id adverſus nos Pagani quidam dicunt, ſtulte quidem, ſed non ſibi adverſi, nec repugnantes. Hos vero quis ferat ad Chriſtum ſe pertinere profiteri, qui niſi apertiſſimam rationem ſtultis de Deo protulerint, nihil credendum eſſe contendunt?* Sic Auguſtinus contra Manichæos negantes veram Chriſti carnem, quia naturali ratione evidens non erat: ſic ego adverſum te, qui ex eadem cauſa veram Chriſti præſentiam negas in Euchariſtia.

7. Forte occurres, quod quanquam Deo poſſibile ſit facere etiam quod nobis non eſt poſſibile capere, duo tamen contradictoria ſimul componere non eſt ipſi poſſibile: ſed contradictoria non eſſe oſtendam quæ tibi fingis in Euchariſtia componi. Abſit tamen, quod abſtineas Chriſto credere, donec convenire intelligas

quæ

quæ tibi videntur repugnare; ſed mente devota, ad credendum quæ Chriſtus dicit prius accede, deinde quæ dicturus ſum pacato corde attende: quippe ſi detrectas credere, donec quæſtiones finiantur, cum innumerabiles ſint quæ circa articulos fidei occurrunt, ceſſabis vivere, antequam incipias credere. Ita monet D. Augustinus *Epiſt.* 49. *nunc* 102. *ad Deogratias quæſt.* 6.: Quiſquis quæſtionem proponit circa fidem, mente Chriſtianus fiat, *ne forte cum exſpectat ante librorum ſanctorum finire quæſtiones, prius finiat vitam iſtam, quam tranſeat a morte ad vitam.... Sunt enim innumerabiles, quæ non ſunt finienda ante fidem, ne finiatur vita ſine fide. Sed plane retenta jam fide, ad exercendam piam delectationem mentium fidelium ſtudioſiſſime requirenda, & quod in eis eluxerit ſine typho arrogantiæ communicandum; quod autem latuerit, ſine ſalutis diſpendio tolerandum.* Sic ego, ſic a te faciendum eſſet. Primum, ſub illo quod in Euchariſtia video, quanquam panis ſenſibus videatur, firmiter credo adeſſe *verum Chriſti Corpus*, quia Chriſtus id aſſerit; poſt vero ad quæſtionem deſcendo, oſtendens non repugnare, nec ullam intereſſe contradictionem. Enimvero divina omnipotentia nequit propria natura res ipſas privare, ut ſcilicet faciat quod corpus ſit, quin habeat corporis naturam, ignis ſit, quin naturam ignis includat. Poteſt tamen, data rei natura, impedire ejus proprietatum emanationem, ideſt facere quod corpus, ex ſui natura activum, non operetur; ut re vera fecit in fornace Babylonis, ubi prohibuit ne ignis tres pueros combureret. Ad hæc. Quid ſubſtantiæ intimum magis, quam in ſe ſubſiſtere? Attamen ſubſtantia, ſive Humanitas Chriſti, ſubſiſtit non in ſe, ſed in Perſona Verbi. Porro ſi Deus ſubſtantiæ finitæ communicare poteſt ſubſiſtentiam, ſive modum ſubſiſtendi infinitum, finita manente ipſa ſubſtantia, cur non poterit diviſibili corpori, ut eſt Corpus Chriſti in Euchariſtia, tribuere exiſtentiam, ſive modum exiſtendi indiviſibilem? Concedo, nec Dei potentia fieri poſse, eſse corpus, & non eſse quantum, & extenſum; ſed quid impedit corpori quanto, & extenſo, ab omnipotenti Deo tribui indiviſibilem præſentiam ad locum, ita ut ibi collocetur non per naturalem ſuam dimenſionem, totum toti, et pars parti reſpondens, ſed ineffabili modo, ipſi perſpicuo, nobis autem occulto? Animadvertere tamen debes, Corpus Chriſti eſse in Euchariſtia non ea ratione qua corpus eſt in loco, ſed qua ratione ſubſtantia panis in ſuis, vel ſub ſpeciebus ſuis erat; quippe cum, ex vi conſecrationis, ſubſtantia panis mutetur in Corpus Chriſti, integris manentibus ſpeciebus panis, ſequitur ſubſtantiam Corporis Chriſti eſse ſub illis ſpeciebus ad inſtar ſubſtantiæ panis, quæ prius aderat: hinc fit, quod quemadmodum ſubſtantia panis locum ampliorem non implebat, præter illum ad quem accidentia panis extenduntur, et tota ſubſtantia, ſeu natura panis in tota erat quantitate, et tota in qualibet ipſius parte, ita Corpus Chriſti, quod ex vi tranſubſtantiationis ſuccedit ſub dimenſionibus ipſius ſubſtantiæ panis, ampliorem locum non teneat extra priores dimenſiones, et totum ſit tum in omnibus, tum in qualibet parte præcedentium dimenſionum. Ita explicat D. Thomas 3. *p. qu.* 76. *ar.* 1. *ad* 3., ubi concludit: *Tota ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti continetur in hoc Sacramento poſt conſecrationem, ſicut continebatur ibi tota ſubſtantia panis, & vini.* Infra autem quibuſdam exemplis explicare ſatagam hunc exiſtendi modum, mirabilem ſane, attamen non impoſſibilem.

8. Quomodo intelligi valet *corpus non occupans locum?* ais Apolog. *pag.* 344. Contra Panigarolam inde id aſſerentem indignaris, ita eum redarguens: *Materia prior eſt quantitate, ſicut Sol luce prior, non tempore, ſed natura. Ignorare id non de-*

Digitized by Google

bebat Frater, *cum Ariſtoteles ipſe ad id ſubſcribat*. *Quanquam luce prior ſit Sol*, *nihilominus lucidus eſt in momento*, *quo eſt*: *ita in ipſo inſtanti quo corpus eſt*, *dimenſionem ſuam habet*, *& neceſſario ſpatium tenet ſuum &c.* Quæſo te: Negabis a Deo poſſe fieri Solem eſſe, quin effundat lucem, & illuminet? Non puto; quippe ſi a Deo fieri poteſt ignem eſſe, & non comburere, ita etiam Solem eſſe, nec lucere, nec illuminare. Tecum porro ſic diſsero. *Materia quantitate prior eſt*, *ſicut Sol luce prior*, *non tempore*, *ſed natura*. Hæc tua eſt propoſitio. Aſſumo. A Deo fieri poteſt Solem eſſe, nec diffundere lucem in ſpatium. Ergo fieri etiam poteſt corpus eſſe, nec diffundere dimenſionem, qua ſpatium teneat. Ais, *imaginari corpus abſque extenſione*, *apertam implicare contradictionem*. Si de corpore mathematico intelligas, non contendo: ejus quippe eſsentialis conceptus eſt quantitas dimenſiva; at ſi de corpore phyſico intelligas, ſive de ſubſtantia corporea, non hujus natura eſt ipſa quantitas, ſive actualis extenſio, ſed dumtaxat proprietas. Quamobrem, quemadmodum abſque ulla contradictione credo in Euchariſtia quantitatem eſſe, & extenſionem panis abſque iſtius ſubſtantia, ita, ſi vellet, Deo poſſibile fore reor, ſubſtantiam panis, ſive qualiſcunque corporis conſervare, abſque ipſorum quantitate, & extenſione. Minus autem impoſſibile cenſeo corpus eſſe, quod actu nullum occupet locum, quippe ſi Deus meo ſolo reſervato corpore, omnia corpora in nihilum redigeret, meum corpus actu locum nullum teneret, ſiquidem locus cum ſit ultima ſuperficies *corporis ambientis*, tunc nullum corpus adeſſet meum ambiens. Attamen quis aſſereret in hac hypotheſi, corpus meum non corpus, ſed chimæram eſſe? Apolog. *pag.* 344. vim maxime facis in duabus D. Auguſtini ſententiis, quas minime capis. Prima *Ep.* 57. *nunc* 187. *ad Dardan.*: *Tolle a corporibus locum*, *& nullibi erunt*, *& quia nullibi erunt*, *non tamen erunt*. Altera *Tract.* 30. *in Joann*: *Oportet in uno loco eſſe Corpus quo reſurrexit Dominus*, *ſed diffuſa eſt ubique veritas ejus*. Neutrum horum peſſimis aſſertis tuis favet; in primo quippe D. Auguſtinus dumtaxat oſtendit, corpus, ut naturali ordine conſervetur, a loco pendere, ſicut qualitates corporis ab ipſo corpore ita pendent, quod abſque corpore, juxta naturæ conditionem, qualitates non ſubſiſtunt, neque ſine loco, ex naturæ lege, ſtat corpus; quod a loco conſervatur: ad differentiam D. O. M., qui licet ubique ſit, non ubique tamen quaſi egeat loco ut ſit. Hæc D. Auguſtinus, quibus ſequitur ex præſcriptione naturæ corpus debere aliquo in loco eſſe; non tamen non poſſe ex Dei omnipotentia corpus nullum occupare locum, & eſſe corpus. Ad aliud ejuſdem S. Doctoris dictum, nimirum Corpus quo Dominus reſurrexit oportere in aliquo loco eſſe, reſpondeo: Locus quem nunc tenet Corpus Chriſti, eſt Cælum; non id tamen officit, quod, quin definat localiter eſſe in Cælo, nequeat Sacramentaliter eſſe in Euchariſtia, ut videbimus.

9. Ex ipſa corporum penetratione, poſſibile eſſe probat Panigarola unum corpus locum non occupare, unde ait: *Si hoc idem Chriſti Corpus ex utero Virginis exiens locum non occupavit*, *e monumento reſurgens locum non occupavit*, *ingrediens ad Apoſtolos januis clauſis locum non occupavit*, *aſcendens ſuper omnes Cælos locum non occupavit*, *ad judicium exiens*, *& poſt judicium rediens non occupabit locum*; *cur non in illa Hoſtia eſſe poteſt*, *& locum non occupare?* Cui reponis *pag.* 345. *falſa eſſe omnia prædicta ſuppoſita*. *Falſum primum*, *quod falſum illud habeant D. Hieronymus Epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. Virgin.* *D. Ambroſius in Luc. cap.* 2., *D. Chryſoſtomus*, *& D. Lucas* 2. 23. *D. Hieronymus*, *qui de Nativitate Chriſti loquens*, *ait*: *Cruentus egreditur*. *D. Ambroſius*, *qui ait*: *Aperuit Chriſtus genitale ſecretum*. *D. Chryſoſtomus*: *De utero prodire*

dire commune cum nobis habet Chriſtus. D. *Lucas denique, qui Chriſto legem attribuit Primogeniti adaperientis vulvam. Hi omnes de mendacio Panigarolam evincunt in primo ſuppoſito.* Hactenus tue ſed præſtat videre qui re vera mendax ſit. Quod ad D. Hieronymum attinet, quid hercle Picenine putas indicare voluiſſe illis verbis *cruentus egreditur?* Forte prodeunte Chriſto ex Matris utero, fractis virginalibus clauſtris, prodiiſſe horum tinctum ſanguine? Neque horres hac ſola imaginatione? Indicare volebat S. Pater, dum ait *cruentus egreditur*, cruentum egreſſum ex illo cruore quem effuſurus erat in cruce. Narrat pœnas, quas ſubiit Chriſtus pro peccatis noſtris, & ait: *Novem menſibus in utero exſpectat, faſtidia ſuſtinet, cruentus egreditur; pannis involvitur*; hinc cogitans quid retribuendum ſit, ſubjicit: *Hac eſt digna retributio, cum ſanguis ſanguine compenſatur, & redempti cruore Chriſti, pro Redemptore libenter occumbimus.* Quomodo autem aliter auſus es cogitare de illo Hieronymo, qui tam acriter pro Virginitate Mariæ contra Jovinianum in partu immaculatæ pugnavit? qui in Commentario ſuper Ezechielem *cap.* 44. & *lib.* 2. contra Pelagianos uterum Virginis agnovit in porta illa clauſa, per quam ingreſſus eſt Dominus, & ſemper clauſa manſit? *Hæc eſt porta Orientalis clauſa, per quam ſolus Pontifex ingreditur, & nihilominus ſemper clauſa eſt.* Petentibus autem quomodo poſſet janua clauſa eſſe, cum per eam egreſſus fuerit Chriſtus, ajebat: *Reſpondeant mihi quomodo Jeſus ingreſſus eſt januis clauſis ... & ego reſpondebo quomodo S. Maria ſit mater, & virgo, virgo poſt partum, mater antequam nupta. Apolog. pro lib. adverſ. Jovinian. nunc Epiſt.* 30. Apud D. Ambroſium utique hæc lego: *Aperuit genitale ſecretum*; ſed ad rem tuam minime redeunt, qui ſi attentius legiſſes, deprehendiſſes D. Ambroſium in *cap.* 2. *Luc.* non loqui de Maria, ſed de Eccleſia, quæ Deo populos genuit, cujus uterum aperuit Chriſtus eam fœcundans: *Eo quod ſolus Sanctæ Eccleſia Virginis ad generandos populos Dei immaculata fœcunditate aperiret genitale ſecretum.* Equidem poſt ſtatim ſubdit: *Hic ergo ſolus aperuit ſibi vulvam ... hic eſt qui aperuit matris ſuæ vulvam, ut immaculatus exiret*; at ipſemet *lib. de Inſtit. Virgin.* indicat nihil amplius voluiſſe ſignificare dicendo *aperuit*, quam *tranſivit per eam Chriſtus.* Et infra: *Eſt ergo & porta ventris, ſed non omnis clauſa ſemper. Verum una ſola potuit manere clauſa, per quam ſine diſpendio clauſtrorum genitalium Virginis partus exivit. Ideo ait Propheta: Porta hæc clauſa eſt, & non aperietur.* Ne autem ſecum pugnare D. Ambroſius videatur, fas eſt aſſerere, apud ipſum *aperire* uterum, idem eſſe ac pertranſire. Quo ad D. Joannem Chryſoſtomum, ſi dignatus eſſes locum indicare, inquiſitionis faſtidium mihi non addidiſſes. Eum tamen reperi *Homil.* 49. *ſuper Geneſ.* At quid pro te? *De utero prodire commune nobiſcum habet Chriſtus* Chryſoſtomus ait, non inficiamur. Quæſtio eſt de modo quo prodiit, an penetratione, an dilatatione clauſtrorum, de quo non ibi loquitur S. Doctor. Equidem in *Serm. S. Joan. Bap.* apud ipſum lego, egreſſum Chriſti ab utero Virginis comparare ingreſſui, quem ille habuit jannis clauſis in Cœnaculum; unde poſtquam dixerat: *Quomodo de Virgine Virgo natus ſit, & poſt ortum Virginis mater Virgo ſit*, ſubjicit: *Vultis ſcire quomodo de Virgine natus ſit, & poſt nativitatem mater ipſa ſit Virgo? Clauſa erant oſtia, & ingreſſus eſt Jeſus. Nulli dubium, quin clauſa ſint oſtia. Qui intravit per oſtia clauſa, non erat phantaſma, non erat ſpiritus, vere corpus erat.... Unde intravit omnia clauſa ſunt: locus non eſt, per quem intret, & tamen intus eſt qui intravit, & non apparet quomodo intravit. Neſcis quomodo factum ſit, & das hoc potentia Dei. Da potentiæ Dei quia de Virgine natus ſit, & tamen ipſa Virgo fuerit Virgo poſt partum.* Inde Ezechielis dictum ad hoc refert:

Por-

Digitized by Google

Porta ſemper clauſa eſt. Jam Patres omnes a te relatos vidimus unanimiter aſſerentes Chriſtum prodiiſſe ex utero Virginis intactis Virginalibus clauſtris, ac proinde unanimes eſſe in pronuntiando Panigarolam veracem, te autem omnino mendacem. Neque his D. Lucas opponitur; ſiquidem non ait *cap.* 2. 23. Chriſtum aperuiſſe Matris clauſtra, ſed Primogeniti legem adaperientis vulvam, quæ cuique Primogenito ordinaria via naſcenti communis erat, dumtaxat applicat Chriſto: quæ tamen applicatio de Chriſto ſcite, & moderate ſumenda eſt, cujus conceptus quemadmodum ſupra omnem communem legem fuit, ita & partus. Chriſtus aperuit uterum, quia primus egreſſus eſt, ſed modum quo egreſſus ſit Evangeliſta non narrat: mirabilem quippe ipſum ſupponit, non minus ac modum quo ſe introduxit; ſecus, ait D. Auguſtinus in Enchiridion *cap.* 34.: *Si vel per naſcentem corrumperetur ejus integritas, non jam ille de Virgine naſceretur, eumque falſo, quod abſit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Eccleſia.* Et componens exitum ejus ab utero cum ejus ingreſſu in Cœnaculum, ſic loquitur *Epiſt.* 137. jam 3. *ad Voluſianum*: *Ipſa virtus per inviolata Matris virginea viſcera membra infantis eduxit, qua poſtea per clauſa oſtia membra juvenis introduxit. Hic ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Si Calviniſtæ ita diſcurrerent, impoſſibile ab ipſis non tam facile diceretur, quod inveſtigabile mentibus ſuis non videtur. Ut autem, ſi tamen poſſibile ſit, omnino quieſcas, attende quæ D. Amphilochius ſcribat, qui a quarto uſque ſeculo proſpiciens quod nunc circa textum D. Lucæ objicitur, hæc habet: *Plane vero fuerit qui contradicens dicat: Si ergo ad Dominum refertur quod dictum eſt: Omne maſculinum adaperiens vulvam Sanctum Domino vocabitur; Virgo virginitatem non ſervavit, clamavit enim Scriptura: Omne maſculinum adaperiens vulvam. Fuit utique aperta Virginis vulva, ſi id ad eum referri valuit.* Nonne hæc objectio tua? Nunc audi reſponſum: *Enimvero cordate audi, & intelligenter. Quod quidem attinet ad naturam virgineam, nullo omnino modo virginea porta fuerunt aperta, nolente eo qui nuper utero geſtabatur, juxta illud de ipſo oraculum: Hac porta Domini, & ingredietur, & egredietur, & porta erit clauſa* (*Ezech.* 44. *v.* 2.). *Quod itaque ſpectat ad naturam virgineam, nullo prorſus modo aperta ſunt virginea porta. Sed quod attinet ad potentiam Domini, qui eſt natus, nihil omnino clauſum eſt, ſed omnia ſunt illi aperta. Nihil eſt quod impediat, nihil quod officiat, & obſtet. Omnia Domino ſunt aperta &c.* Egreſſio igitur Chriſti ab utero optime probat corpus poſſe alteri compenetrari, & locum non occupare diviſibiliter.

10. Porro ſi egreſſio Chriſti a monumento, de qua in præſens diſputare nolo, non fuerit ejuſdem rationis, hujuſmodi tamen certiſſime fuit ingreſſus ejus ad diſcipulos poſt reſurrectionem ſuam. Ut jam audivimus, D. Hieronymus, & Joannes Chryſoſtomus comparant exitum ab utero clauſo Matris, ingreſſui januis clauſis in Cœnaculum, quem cum indubitatum habeant, ex eo alterum probant. Tu omnia falſa eſſe pronuntias, & Durandum appellas *in* 4. *diſt.* 44. *qu.* 6., cum neminem præterea habeas, quem proferas. Sed quid Durandus contra communem omnium Doctorum, & Patrum ſententiam? Si Durandum ceteris plus æſtimas, & veracem putas, cur non idem ipſi obſequium præſtas, cum contra potiſſimum argumentum tuum tenet, Corpus Chriſti realiter præſens eſſe in Euchariſtia, quod probat *lib.* 4. *diſt.* 10. *q.* 1.? Verax ne ſi tibi annuat, mendax vero ſi contradicat? Impoſſibile, ait Durandus, duo corpora cum ſua quantitativa præſentia, & locali, eodem ineſſe loco, quia obſtat quantitatis natura; poſſibile tamen, corpus non quantitate,

ſed

ſed ſubſtantia præſens, ſubintroire in locum ſubſtantiæ, in quam converti-tur: & hoc modo Chriſti Corpus re vera eſt in Sacramento, illo in loco ubi ſunt ſpecies, Cur porro fidem Durando præſtas in primo, & negas in altero? Quod januæ Cœnaculi in momento aperiri, claudique poſſent, inſciis Apoſtolis, non contenditur; ſed quod ita factum ſit, obſtat D. Joannes 20. 19. 26., dum ſcribat, iterato Chriſtum januis clauſis apparuiſſe Diſcipulis: *Et fores eſſent clauſa &c. Venit Jeſus januis clauſis*. Quæ tam diligens Evangeliſtæ narratio, niſi ad notitiam miraculi? Cum ait *Stetit in medio eorum*, quid aliud ſignificat, niſi omni aditu occluſo, Chriſtum a Diſcipulis improviſo viſum in medio eorum? Id negare novum eſt Calvini commentum *Lib. 4. Inſt. cap.* 17. §. 29., ut hanc etiam viam impediat præſentiæ indiviſibili Chriſti in Euchariſtia; nec præterea quidquam amplius novit dicere, quam quod ingredi januis clauſis non idipſum ſit ac penetrare: *Nec clauſis januis intrare tantundem valet, ac penetrare per ſolidam materiam, ſed ſibi aditum patefacere divina virtute, ut repente ſteterit inter ſuos Diſcipulos, plane admirabili modo, cum obſerata eſſent fores*. Aditum ſibi patefacere januis clauſis, niſi ſit penetrare, quid quæſo eſt? Garriat quantum ſibi placet Calvinus; nemo eſt ante ipſum, qui non prædicet mirabilem hunc ingreſſum januis clauſis, & Maldonatus catalogum refert. Duo mihi ſatis, Auguſtinus, & Hilarius, quos clanculum pro te Picenine refers. Primus in *Tract.* 121. *in Joann.* hæc habet: *Moli autem Corporis, ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas Matris inviolata permanſit*. Præſtantius ne loqui poterat? Hilarius *in lib.* 3. *de Trinit.* Arianum alloquens, qui non capere ajebat quomodo Verbum ſpiritus, eſſet a Patre natum, ita ſecum agebat: *Quæris quomodo ſecundum ſpiritum natus ſit Filius. Ego te de corporeis rebus interrogo. Non quæro quomodo natus ex Virgine ſit, an detrimentum ſui caro perfectam ex ſe carnem generans perpeſſa ſit* ,, Eja, ,, quicunque ſis imperſcrutabilium in- ,, veſtigator, & gravis divinorum ,, arbiter, mihi quæſo, puſillo, & i- ,, gnaro, qui clauſis oculis credo Deo ,, quidquid dictat, & quomodo- ,, cunque dictet, rationem redde ,, de quo ſum locuturus. Stabant Di- ,, ſcipuli januis clauſis, & Dominus ,, ad reſurrectionis ſuæ fidem Thomæ ,, faciendam, adſtitit illis ,, *Quæro ergo per quas clauſa domus partes ſe ſe corporeus intulerit: diligenter enim Evangeliſta expreſſit, dicens: Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum* ,, Num tranſcu- ,, currit penetrando parietes, & im- ,, penetrabilem lignorum naturam? ,, Adverte quod ,, *ſtetit corporeus, non ſimulatus, aut fallax* ,, Sequantur er- ,, go mentis tuæ oculi ,, *penetrantis ingreſſum* ,, & viſus intelligentiæ ,, tuæ ſecum ingrediatur in clauſam ,, domum. Perſpice ,, *integra ſunt omnia, & obſerata* ,, Attamen ,, *adſtitit medius, cui per virtutem ſuam univerſa ſunt pervia* ,, Corpus ſuum non ,, cedit, neque lignum, aut lapides cui- ,, piam corpori, nec per inſenſibiles ,, meatus, permittunt ingreſſum. Chri- ,, ſti Corpus nihil amittit ſuæ natu- ,, ræ ,, *ut ſe ſe reſumat ex nihilo*. ,, Et quomodo, & unde qui adſtitit ,, in medio eſt? ,, *Cedit ad hæc*, concludit S. Doctor, *& ſenſus, & ſermo, & extra rationem humanam eſt veritas facti. Idcirco ergo, ut de nativitate fallimur, ita & de ingreſſu Domini mentiamur. Dicamus factum non fuiſſe, quia intelligentiam facti non apprehendimus, & ceſſante ſenſu noſtro, facti ipſius ceſſet effectus. Sed mendacium noſtrum facti fides vincit. Adſtitit Dominus clauſa domo in medio diſcipulorum, & Filius eſt natus ex Patre. Noli negare quod ſteterit, quia per intelligentia infirmitatem, conſiſtentis non conſequaris introitum, noli neſcire quod ab ingenito, & perfecto Deo Patre, unigenitus, & perfectus Filius Deus natus ſit, quia ſenſum, &*

ſer-

ſermonem humana natura virtus generationis excedat. Ita Hilarius Arianum alloquitur, & ſane videtur alloqui Calvinum, & Piceninum.

11. Ariano durum videbatur, Verbum ſpiritum naſci ex Patre; Calvino autem, & tibi durum videtur, Chriſti Corpus quantum, extenſum, & diviſibile, in Hoſtia indiviſibiliter ſiſtere. Sed mittamus iſta, & de re magis nota quæramus. Peto ex te Picenine, & a Calvino tuo, qui inveſtigatis omnia ut intellectu comprehendatis: Quando Chriſtus intravit ad diſcipulos, clauſa nonne erant omnia, & obſerata? Porro ſolida, ut aſſeritis, non cedunt, nec penetrantur: & Corpus Chriſti corpus manſit, & extenſum. Quomodo ergo intravit? Et tamen intravit! Et Calvinus ipſe, quanquam modum ignoret, intraſſe fatetur *Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 29.*, inquiens, *ſibi aditum* pateſeciſſe *divina virtute, ut repente ſteterit inter diſcipulos ſuos plane admirabili modo, cum obſerata eſſent fores.* Non negat intraſſe, non aſſerit Chriſti Corpus depoſuiſſe naturam corporis, non arguit januis clauſis intrare corpus eſſe, & non corpus, & corpus inextenſum; ſed *cedit ad hæc ſenſus, & ſermo, & extra rationem humanam eſt veritas facti.* Cur autem Picenine & Calvine negatis Panis tranſubſtantiationem in Corpus Chriſti, & realem ejus præſentiam in Euchariſtia? Cur idea hæc dicitur chimærici corporis & non corporis, ideo quod cur ita ſit non intelligitis? *Noli negare quod ſteterit, quia per intelligentiæ infirmitatem, conſiſtentis non conſequaris introitum.* Quomodo Chriſtus naſcatur ex Patre, quomodo Chriſtus januis clauſis ingrediatur, modus neſcitur, & tamen non negatur, ſed creditur! Idcirco ergo, quia præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia modus non capitur, non negetur; ſed detur aliquid poſſe Deum, quod nos fateamur inveſtigare non poſse. Imperceptibile tibi videtur, corpus extenſum, & diviſibile, præſens eſse inextenſe, & indiviſibiliter, contra ideam corporis. Sed ſi Chriſti ingreſſum ad Apoſtolos conſideres januis clauſis, item videbitur hujuſmodi introitus repugnare naturæ corporis, vel Chriſti, vel etiam lignorum, ac parietum, conſiſtentis naturæ corporum. Calvinus mirabile id probat, & licet modum neſciat, divinæ tamen virtutis factum affirmat, quia a D. Joanne audit januis clauſis Chriſtum ingreſſum. Cur porro cum Chriſtum audiat dicentem de eo, quod ſuis Apoſtolis dedit: *Hoc eſt Corpus meum,* non conſentit quodam plane mirabili modo, divina virtute Chriſtum feciſse, ut Corpus ſuum ſub illis ſpeciebus adeſset, ſubſtantia panis in ipſum mutata? Attendat itaque D. Auguſtinum (*Serm. 191. jam 60. de diverſis*): *Poſt reſurrectionem ſuam, cum ſpiritus putaretur eſſe, non corpus: Palpate (inquit) & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere, & tamen illius juvenilis corporis ſoliditas non patentibus foribus ſe ad diſcipulos intromiſit. Cur ergo qui potuit per clauſa oſtia magnus intrare, non potuit etiam per incorrupta membra parvus exire? Sed neque hoc, neque illud volunt credere increduli. Ideo potius fides utrumque credit, quia infidelitas utrumque non credit &c.*

12. Imperceptibile tibi videtur *pag. 544., corpus ſeptemdecim ab hinc ſeculis productum iterum reproduci.* Verum ſi ſemel diſcas, quod hæc productio non eſt niſi tota panis qui convertitur mutatio, non Corporis Chriſti reproductio, cui non novum aliquod abſolutum eſse ex hac mirabili converſione accreſcit, ſed dumtaxat reſpectivum ad Sacramentum, perceptibile tibi fiet, quemadmodum impoſſibile non eſt Verbum, quod erat ab æterno a Patre genitum, in naturam, quam aſsumpſit hominem factum eſſe in medio temporum, & naturalis generationis terminum de Spiritu Sancto conceptum, ita impoſſibile non eſſe, Corpus Chriſti tot ſeculis ante productum, iterum, atque iterum in Sacramento adeſse, & converſionis ſubſtantiæ panis in Corpus ſuum terminum

num

num fieri, ex efficacia quam habent ipſius verba a Sacerdoie prolata. Captu impoſſibile tibi videtur, *idem Corpue Chriſti mille centenis millibus locis eſſe poſſe ſuper terram, quin ullum teneat locum*. Verum ſi menti ſubeat, Corpus Chriſti tanquam in loco ſuo in Cælis manere, in Sacramenio autem non eſse niſi per converſionem panis in ipſum, cum nihil obſtet quin mille millies multiplicentur converſiones panis, mille millies etiam multiplicandæ erunt præſentiæ in Corpore Chriſti, quod terminus eſt hujuſmodi actionis: ſicut puncti millia millium reſpectus, terminari valent ad lineas, quæ ex circumferentia in ipſum tendant, quin in ipſo ulla mutatio contingat. Quomodo Corpus Chriſti ſub tot ſpeciebus panis eſſe poſſit abſque ſui multiplicatione, quadantenus oſtendit anima, quæ abſque ſui multiplicatione in toto corpore tota, & in qualibet parte tota præſens adeſt: vox, quæ una & eadem audientium auribus tota recipitur: Sol, qui in immenſum oculi aciem magnitudine excedens, totus tamen eſt in mille millium intuentium oculis, quæque ejus quantitas, & magnitudo ſit ab omnibus cernitur. Mirabilis ſane, quis dubitat ac propterea miraculo, & divinæ virtuti tribuitur modus realis præſentiæ Corporis Chriſti in Sacramento. Ut idea tamen aliqua ad captum noſtrum repræſentetur, ait D. Vincentius Ferrerius *Serm.* 3. *in feſto Corp. Chriſt.*, quædam divina potentia nobis in natura præparavit exempia: *Quia videmue, quod idem verbum manet in mente, & in oratione dieentie, & in aure, & in mente cujuslibet audientis in diverſis locis: Ita Filius Dei, qui dicitur Verbum Patris, poteſt eſſe, ſcilicet quoad Corpus, in pluribue locie, & Hoſtiis conſecratis* ... Mox autem quærens: *Quomodo quilibet communicans ſumit totum Corpus Chriſti, & ſumens partem minimam, ſumit totum, ſicut ſumens totam Hoſtiam?* Reſpondet: *Quia ſicut totum verbum loquentis eſt aqualiter in una aure, & in qualibet, tam magna, quam parva, ita idem Sacramentum continet totum Chriſtum, & communicans ſumit ipſum totum aqualiter*, ſicut colligentibus manna *Exod.* 16. 18.: *Nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus paraverat reperit minus*. Exempla hæc, licet diſtantia, mentem tamen maxime juvant, ut fide duce viam ſibi paret ad myſterium realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia intelligendum, nec ab ejus captu tam longe Picenine diſtares, ſi imaginationis tuæ falſis præjudiciis aliquando renuntiares, nec tibi fingeres Corpus Chriſti in Euchariſtia quaſi vinum circumſcriptum, & contentum in dolio, quaſi te tua veſte circumdatum: ſed tandem ſuaderi permitteres, Deo non deeſſe potentiam, qua unum corpus in alio eſſe faciat, habitudine, ordine, ac modo ab his quæ videmus omnino diverſo. Id Chriſtus docet, ubi ait *hoc eſt Corpus meum*; quod Tridentina intelligit, dum *Seſſ.* 13. *cap.* 1. decernit: *Nec enim hae inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſideat juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus*. Sed procedamus ad cetera mendacia tua refellenda.

§. III.

Quid referat Pronomen Hoc, *&* Hic *in verbis conſecrationis.*

13. NOn dubitares omnia admittere, ſi Chriſtus id docuiſſet. *Porro Chriſtum per tranſubſtantiationem in Euchariſtia adeſſe, repugnat non modo naturali rationi, quam Scripturis ipſis*. Ita in Apolog. *pag.* 345., & hæc maxima res tua eſt; quam quo probes audiamus: *Tres Evangeliſtæ, & ſecum ipſis D. Paulus, affabre deſcribunt Sanctæ Cœnæ inſtitutionem. Quis*

eorum de tranſubſtantiatione loquitur? Res ſenſibus, & rationi oppoſita ab ipſis videtur fuiſſe denuntianda, ſi propoſita fuiſſet credenda. In eorum ſcriptis invenio Verbum carnem factum, Deum in carne manifeſtatum, invenire tamen neſcio panem mutatum in carnem. Dura eſt valde hac mutatio. Me cogit credere Chriſti Corpus, ubi clare video non eſſe. Porro in rebus arduis video Diſcipulos interrogare Magiſtrum; hic autem omnes tacent, neque unus eſt qui interroget, quomodo eſt hoc Corpus? Nemo cogitabat panem mutari in carnem diſtribuentis. Si tres Evangeliſtæ, & ſecum ipſis D. Paulus, fuſe narrant inſtitutionem Sanctiſſimæ Cœnæ, omnes etiam unanimiter referunt, Chriſtum diſtribuendo Diſcipulis panem dixiſſe: *Hoc eſt Corpus meum*. Qua porro clariori dicendi ratione denuntiare poterant, qui ante panis erat, non amplius panem, ſed Corpus ſuum, & ſuam carnem credi Chriſtum voluiſſe? Quia dictum auditur *Verbum factum caro, Deus manifeſtatus in carne*, dum Chriſti caro cernitur, carni Verbum unitum & divinitas creditur vere, ac ſubſtantialiter: dum vero panem Chriſtus oſtendit, & ait *hoc eſt Corpus meum*, quia panis cernitur, realiter ibi adeſse Corpus Chriſti non creditur? Si a Chriſto dictum eſſet: *Corpus meum manifeſtatur in hoc pane*, Corpus ne Chriſti realiter adeſse ſub illo pane crederetur? Utique crederetur, ſicut audito *Deum manifeſtatum in carne*, creditur caro illa, non figura tantum eſse, ſed in ipſa ſubſtantiam eſse divinitatis. Ex duabus propoſitionibus, nempe: *In hoc eſt manifeſtatum Corpus meum*, & alia: *Hoc eſt Corpus meum*, quæ illa erit ſenſum referens magis proprium? Non dubito pro hac ſecunda quempiam judicaturum; tu vero primæ ſenſum litteralem accommodas, ſecundæ vero myſticum. Si non audis *panem factum carnem*, audis tamen Chriſtum qui panem ad oculos exhibet, & ait: *Hoc eſt Corpus meum*; & cum notum ſit, panem ex propria natura non eſſe Corpus Chriſti, dicendum erit quod panis, quem Chriſtus oſtendens ait *hoc eſt Corpus meum*, cum alias Corpus Chriſti ex rei natura non ſit, factus ſit Corpus ejus; ſicut ſi audiatur Verbum Dei eſt homo, ſtatim dicetur: Verbum Dei non homo ſemper, nec ex Dei natura homo; ergo homo quia factus homo. Hic autem diſcurſus ad Incarnationis inferendum myſterium valeret, alter vero omnino ſimilis ad tranſubſtantiationis arcanum inferendum minime valet? Ais: *Quis te cogit Corpus Chriſti credere, ubi clare vides non eſse?* Male, ac peſſime loqueris: ſiquidem certe non vides in Euchariſtia eſſe Corpus Chriſti, quia Deus non vult quod videas, ſed credas; falſo tamen aſſeris te clare videre ibi non adeſſe. Qui Chriſtum videbant, divinitatem in ipſo non videbant, nec tamen aſſeri poterat, ipſos vidiſſe in Chriſto divinitatem non eſſe. Humanitas videbatur, divinitas credebatur. Ita in Sacramento ſpecies panis videntur, & Corpus Chriſti creditur: non videtur adeſſe, ſed neque videtur non adeſſe. Miraris quomodo *Apoſtoli in rebus arduis interrogare ſoliti, hic omnes taceant, neque unus ſit, qui Chriſtum interroget, quomodo eſt hoc Corpus tuum?* Sed hujus ſilentii ratio, quare ſcilicet taceant, non interrogent, non mirentur, eſt quod pluſquam ſatis hæc omnia jam contigerant apud D. Joannem *cap. 6.*, ut ſupra animadverti *num. 5.*: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Durus eſt hic ſermo.* Cum autem propter ſermonis duritiem alii abiiſſent, Apoſtoli e contra ex illorum ambiguitate fidem ſuam magis firmaverant: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes;* idcirco in ipſo facto tacent, non interrogant, non mirantur, quoniam jam ſuaſa erat ipſorum fides, de qua Cyrillus Alexandrinus laudes celebrat *Lib. 4. in Joann.*: *Mira eſt Sanctorum Apoſtolorum fides, fervida confeſſionis ratio, eximia. & percellens conſenſio. Non enim retro abierunt, ut illi qui durum vocabant illius ſermonem, neque etiam leviter crediderunt &c.* Chry-

ſo-

ſtomus *Hom.* 82. *in cap.* 26. *Matth.* enuit, Apoſtolos verba non feciſſe cum Chriſtus Sanguinem ſuum illis biben- um exhibuit, quia viderant ipſum- rius bibiſſe: *Ipſe quoque bibit ex eo, e auditis verbis illis, dicerent, quid gitur Sanguinem bibimus, & Carnem medimus? ac ideo perturbarentur. lam & quando prius de his verba- ecit, multi ſolummodo propter verba- andalum paſſi ſunt. Ne igitur tunc l quoque accideret, prius ipſe hoc fecit.*

14. Sermonem tuum promoves *pag.* 46., animadvertens Chriſtum dixiſſe oc, *non* Hic, *ut Panigarola ait inepte rutando myſteria, eſt Sanguis meus; errat tem ſi credat in propoſitione Chriſti* Hoc *n denotare panem.* Quod & in Trium- o iterum ſcribis. Verum Chriſtus ronuntiavit *hoc*, & *hic*. *Hoc* in con- cratione Corporis: *Hoc eſt Corpus um; Hic* in conſecratione Sangui- s: *Hic eſt Sanguis meus.* Neque *hoc* nem, neque *hic* vinum denotare teſt, quia *hoc panis, hic vinum* re- læ grammaticales non ferunt. Hæc nigarolæ animadverſio eſt, quæ ut fringatur, non valet *ineptiam* ap- llare. Forte inquies textum Græ- m non habere *hic eſt Sanguis*, ſed *c*: atque hoc ipſum a Panigarola nſideratum *Lect.* 26. *pag.* 269. Qua- obrem notat „ in textu etiam Græ- co videri Spiritum Sanctum ean- dem veluti induſtriam adhibuiſſe; neve ſuſpicio eſſet articulos deſigna- re panem, aut vinum, diverſi gene- ris eos appoſuiſſe, a genere quod in illo idiomate pani, ac vino con- venit. Ἄρτος, ut ſcitis, Græce panis dicitur, Οἶνος vinum, quæ nomi- mina maſculini generis ſunt, arti- culi vero utique neutri generis … Immo alia hic animadverſio eſt, quæ pariter latinum Interpretem minime fugiit: panis quippe articulus, nedum pani diſcors, ſed Corpori concors, nec tantum a vino diſcors, ſed Sangui- ni concors articulus accommodatur. τῦτο nequit convenire ἄρτος, & convenit τὸ σῶμα, quod ſignificat „ Corpus. Atque idem τῦτο nequit „ convenire οἶνος, & convenit τὸ αἷμα, „ quod ſignificat Sanguinem, quemad- „ modum latine *hoc panis* non bene „ habet, ſed bene *hoc Corpus*, atque „ *hic vinum* diſſonat, ſed *hic San-* „ *guis* concordat „. Hic Panigarolæ ſermo, vigens adhuc; neque ex eo cadit, quod ipſum irrideas, inquiens: *Paniga- rola ſcrutatur inepte myſteria.* Tum verba, tum ipſi Scripturarum arti- culi, utpote a Spiritu Sancto dictati, habent ſingula ſua myſteria; quocir- ca non Panigarola *ſtultus*, quod ſedulo ea perpendat, ſed tu impius, qui ſimi- lia contemnas.

15. Quoniam neque *hoc* panem deſignare valet, neque *hic* vinum, reliquum eſt inveſtigare quæ ſit utri- uſque pronominis *hoc* & *hic* ſignifi- catio, & deſignatio. PP. Panigaro- lam, & Semery reprehendis, quod aſſerant *hoc* & *hic* rem indefinitam, & indeterminatam ſignificare. Si dia- lecticæ regulas attendamus, pronomi- na, & articuli de ſe, & ex propriis determinatam rei ſignificationem non habent: nominum quippe id dumta- xat proprium eſt; ſed tantum conſi- gnificant ad ea, quæ ut ſignificent adhibentur, & connectuntur: quam- obrem pronomina in propoſitionibus *ſubjecti* ſemper rationem habent, quod exſpectat a ſuo *prædicato*, ſive *attri- buto* conſtringi ad ſignificandum. E- nimvero ſi dumtaxat pronuntiem *hic eſt*, quidquam ſignifico, ſed quid rei ſit non definio. Si vero addam *hic eſt homo*, tunc pronomen demonſtrativum fit hominis ſignificatio. Pronomen igitur, ſicut & verbum, attendunt a *prædicato* definiri; ideoque dum di- citur *hoc eſt Corpus meum*, & prono- men *hoc*, & verbum *eſt*, in ſui pro- latione non ſignificant, nec demon- ſtrant Corpus Chriſti; alias enim quis pronuntiato *hoc eſt*, ſi potius quam *Corpus*, ſubjiceret *panis*, falſum demonſtraret. Pronomen itaque, & verbum tunc certam habent, & ple- nam ſignificationem, quando propoſi- tio integra pronuntiatur, & dicitur

hoc eſt Corpus meum: quæ regula fortius urget circa propoſitiones, quæ enuntiando faciunt quod enuntiant, & unius in alterum converſionem proferunt; quippe ſi converſio in inſtanti fiat, *demonſtrativum pronomen* indicare nequit converſionis terminum, dum in inſtanti quo pronuntiatur, iſte necdum eſt, neque indicare poteſt priorem terminum, qui præterit. Reſtat ergo *pronominis* ſignificatum utrique termino eſſe commune. Si a Moyſe, dum aquę in ſanguinem converſio actu fiebat, dictum eſſet *hic eſt ſanguis*, dicendo *hic eſt*, nec aquam, nec ſanguinem indicare voluiſſet, quia in eo inſtanti & ſanguis non adhuc erat, & aqua præteribat; alias idem fuiſſet ac dicere *hæc aqua ſanguis eſt*, quæ, completa propoſitione, falſa eſſet enuntiatio, cum in eo inſtanti non aqua, ſed ſanguis eſſet. Ergo cum verba Chriſti efficaciam habeant, & efficiant panis converſionem in Corpus ſuum, dum pronuntiavit *hoc eſt*, nec Corpus, nec panem definite deſignavit, ſed ita intelligi voluit: Hæc ſubſtantia contenta ſub hoc ſenſibili quod videtis, eſt Corpus meum: *Unde* (concludit D. Thomas 3. *p. qu.* 78. *ar.* 5., cujus ſenſa hactenus retuli) *ſignanter non dicit Dominus: Hic panis eſt Corpus meum; neque: Hoc Corpus eſt Corpus meum; ſed in generali, nullo nomine appoſito a parte ſubjecti, ſed ſolo pronomine, quod ſignificat ſubſtantiam ſine qualitate; ideſt forma determinata.* Id mea philoſophia docet. Tua autem ſi aliter doceat, profer arcana tua. Interim vero his repone, quas *cænobiticas chimæras* dicis.

16. Etſi vero gratis darem tibi, in laudata propoſitione *hoc eſt Corpus meum*, pronomen *hoc* deſignare panem; tantummodo obtineres, id quod propoſitione completa jam Corpus eſt Chriſti, in prima prolatione panem adhuc fuiſſe: quo permiſso, pronomen *hoc* panem deſignaret *in tranſitu*, & in actu immutationis in Corpus Chriſti, in quod panis perfecta propoſitione jam perfecte mutatus eſt. Si Moyſes actu virgam in ſerpentem, aquam in ſanginem vertens, dixiſſet *hic eſt ſerpens*, *hic eſt ſanguis*, non dubitarem admittere pronomen *hic* virgam, & aquam deſignare *tranſeunte* deſignatione, ideſt virgam, & aquam, quarum converſio fiebat, illius in ſerpentem, iſtius in ſanguinem, adeo ut perfecta propoſitione, pronomen non amplius aquam, non virgam, ſed ſerpentem, & ſanguinem deſignaret, in quos jam virga, & aqua converſa erant. Nunquam tamen dabo, quod pronuntiare *hoc eſt Corpus meum*, idem ſit ac pronuntiare *hic panis eſt Corpus meum*, etenim ſic pronomen *hic* panem non in tranſitu, ſed permanenti deſignatione indicaret. Subdis, *rem perſpicuam eſſe in Liturgia Æthiopica: Hic panis eſt meum Corpus; & in verſibus Tertulliani: Acceptum panem pariter vitiſque liquorem: Corpus, ait, Sanguiſque meus qui funditur hic eſt.* Quid in Æthiopiam proficiſci, ad piſcandum in Liturgiis illarum Eccleſiarum *hic panis eſt meum Corpus*, cum tres nobis præſto ſint Evangeliſtæ, affirmantes Chriſtum dixiſſe *hoc eſt Corpus meum?* Si una ex Liturgiis, quæ apud illas Gentes fertur ſub nomine *Orationis Euchariſticę Domini Jeſu Chriſti*, habet quod narras, aliæ tamen, quibus utuntur Æthiopes, & præſertim illæ D. Baſilii, D. Chryſoſtomi, & D. Epiphanii (*Vide Lodulph. Comment. in hiſt. Ethiop. lib. 3. cap. 4. num.* 31.) habent *hoc eſt Corpus meum.* Immo in ipſa Liturgia ubi res eſt de Corpore, de quo fertur Chriſtus dixiſſe: *Accipite, comedite, hic panis Corpus meum eſt*, de Sanguine legitur: *Benedicens, & ſanctificans dediſti illis verum Sanguinem tuum, qui effuſus eſt pro peccatis noſtris.* Et infra: *Supplicamus tibi, ut mittas Spiritum Sanctum, & virtutem ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem, ut efficiat Corpus, & Sanguinem Domini, & Salvatoris noſtri.* Quibus infertur, Æthiopes credere realem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, & panis ac vini tranſubſtantiationem in Corpus, & Sanguinem ipſius; hinc dum proferunt *hic panis Corpus meum*

um

um eſt, ſenſus eſt : *Hic* in principio propoſitionis adhuc *panis* eſt, qui in ejus deſinentia *eſt meum Corpus*, aut : *Hic*, qui oculis *panis eſt*, re vera *eſt meum Corpus;* niſi velis apud Æthiopes illam opinionem, vel potius errorem adoptatum quorundam Græcorum, panem ſcilicet, & vinum non converti in Corpus, & Sanguinem Chriſti ex vi verborum Chriſti, quæ Sacerdos pronuntiat, ſed ex vi ſupplicationum, & invocationis Spiritus Sancti, quæ ab eodem Sacerdote fiunt ſupra panem, & vinum, ſcilicet: *Supplicamus tibi, ut mittas Spiritum Sanctum ſuper hunc panem, & ſuper hunc calicem, ut efficiat Corpus, & Sanguinem Domini*. In alia eorum Liturgia, & ſignanter quæ inſcribitur 318. Patrum Orthodoxorum, apud Cardinalem *Bona* Lib. 2., & Lodulphum *lib.* 3. *cap.* 5., legitur : *Spiritus Sanctus deſcendat, & veniat, & ſplendeat ſuper hoc pane, ut fiat Corpus Chriſti Dei noſtri, & immutetur ſapor hujus calicis, ut fiat Sanguis Chriſti Dei noſtri*. Quidquid ſit, Orientalium fides, Coptorum, Abyſſinorum, aliorumque, ſtetit ſemper pro reali præſentia Chriſti, & pro tranſubſtantiatione. Videatur Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. ſecula IX. & X. Diſſert.* 12. *ar.* 3. *num.* 4., quod tum maxime confirmat Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, dum in cenſura Auguſtanæ Confeſſionis aſſerit : *Statuit Eccleſia Catholica, quod conſecratione facta, panis mutatur in ipſum Corpus Chriſti, & vinum in ipſum Sanguinem*. Et poſt pauca : *Non igitur typus eſt, aut azymum quoddam Dominici Corporis, panis qui a Sacerdote perficitur, ſed fermentatum, & ipſum Domini Corpus*.

17. Aliquantum me tenuit hæc Æthiopica Liturgia, quod, ut Miſſionarii noſtri animadverterunt, moderni Æthiopes plurimis erroribus tincti ſint, quos Proteſtantes etiam execrantur : quamobrem etſi in hoc errarent, *Panem* dicentes *Corpus* Chriſti, parum inde proficeres. P. Tellezius valde dubitat de eorum conſecratione, apud Lodulphum *lib.* 3. & 5. Quantum vero attinet, ad Tertulliani carmina adverſus Marcionem *lib.* 5. *cap.* 8., abſtinere poteras ea opponere, cum adverſum me non faciant ; quippe ſi ait : *Acceptum panem pariter, vitiſque liquorem*, quis id negat ? Tantum ſiquidem negatur, quod panis & vini ſubſtantia fuerit, id quod Chriſtus diſcipulis ſuis poſt conſecrationem dedit, dicens : *Accipite, manducate, & bibite, hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*. Non negatur aquam fuiſſe, qua hydrias implerunt miniſtri in Cana Galileæ, ſed negamus quod aqua eſſet quam ex vaſibus effundebant, & potum dabant commenſalibus. Virgam fuiſſe quam Moyſes in terram projecit non contendimus ; utique contendimus virgam fuiſſe quam e terra inde ſuſcepit, quia ſerpens facta erat. Ita Arnoldus Bonevallenſis *lib. de Cœna Domini* affabre ad rem noſtram : *Panis quippe non effigie, ſed natura mutatur, omnipotentia Verbi factus eſt caro*. D. Ambroſius *de his qui myſt. initiantur cap.* 9. : Chriſtus accepit *quod natura formavit*, ſed diſtribuit *quod benedictio conſecravit. Major autem eſt benedictionis vis, quam naturæ, quia benedictione etiam ipſa natura mutatur*. Nota Tertullianum prælaudatis verbis præmiſiſſe : *Memorabile factum*. Si Tertullianus intellexiſſet, dum Chriſtus *Corpus ait, Sanguiſque meus qui funditur hic eſt*, dumtaxat declaraſſe panem illum figuram eſſe Corporis ſui, ſuperfluum erat præmittere : *Memorabile factum*; quippe nec grande factum, nec memorabile, panem deſignare figuram ſui Corporis. Ad hæc. Certe omnino abſtinuiſſes ab hoc argumento, ſi recogitaſſes adverſum te poſse ſic converti : Ex te quanquam panis, non immutetur ſubſtantive in Corpus Chriſti, mutatur tamen myſtice, & typice, & ex communi fit Sacramentalis panis a Corpore Chriſti elevatus quadam efficacia, & virtute. Chriſtus ut ex Tertulliano arguis, acceptum panem Apoſtolis oſtendit, dicens *hoc eſt Corpus meum*, diſtribuitque tanquam panem communem, & uſualem, non Sacramen-

mentalem, omni virtute & efficacia vacuum, nec ſui Corporis figuram. Ergo panis quem diſtribuebat Apoſtolis communis erat, & uſualis panis, non Sacramentalis, omnis virtutis & efficaciæ expers. Quemadmodum itaque cogeris confiteri, etſi acceptus a Chriſto panis communis fuerit, & naturalis, quem tamen ipſe diſtribuit diſcumbentibus, panem fuiſse non communem, ſed mutatum in figuram, et typum ſui Corporis; ita acceptus a Chriſto panis fuit, quod autem dedit fuit Corpus ſuum, in quod mutatus fuerat panis: atque hoc Tertullianus mihi indicat, qui ponè quam dixerat: *Acceptum panem pariter, vitiſque liquorem*, ſubdit: *Corpus ait, Sanguiſque meus qui funditur hic eſt*. Non ait *figura*, *typuſve* Corporis, & Sanguinis mei.

18. D. Epiphanii textus adhuc reſtat, quem Semery ſibi accommodaverat *in Anchorat. num.* 57., tu autem ipſum tibi pluribus modis aſſumis in Triumpho *pag.* 135. *I.* quod *ex ſermone D. Epiphanii in propoſitione Hoc eſt Corpus meum*, HOC *denotat rem definitam, ideſt panem figura rotundum, & quod ad vim attinet, ſenſus expertem. II.* quod *hic panis non poterat eſſe extra figuram Corpus Chriſti. Oſtendere panem, & hunc dicere in ſenſu litterali corpus humanum, ſapit falſitatem.* Primum attendamus quid Epiphanius, & quare id afferat. Origenem inibi redarguit, quod ad allegoriam traheret quæ Scriptura de creatione Paradiſi narrat, & de imagine Dei in homine, & hujuſmodi opinionem tanquam fanatiſmum reſpuit, inquiens: *Fidelium porro eſt Scripturarum veritatem non inficiari, ſed ingenue profiteri, quemadmodum infidelium eſt repudiare gratiam*; addens, quod licet non appareat ubi ſita ſit hæc impreſſio, quæ eſt in homine ad imaginem Dei, credenda tamen eſt, quia: *Verus eſt ille, qui ad imaginem ut eſſet, homini ſua gratia largitus eſt.* Porro ut exemplum ſubdat, de quo creditur quod non videtur, Euchariſtiam proponit his verbis: *Et nonnulla his ſimilia proponi poſſunt; videmus enim Salvatorem ipſum panem in manus accepiſſe, ut in Evangelio legitur, quod a Cœna ſurgens hoc acceperit, & gratias agens dixerit: Hoc meum eſt hoc. Atqui videmus aquale illud non eſſe, nec ſimile, non ſuſceptæ carnis imagini, non divinitati ipſi qua videri non poteſt, non membrorum lineamentis, & notis; illud enim rotundum eſt, & quod ad vim attinet, ſenſus expers, & nihilominus ex gratia pronuntiare voluit: Hoc meum eſt hoc. Neque quiſquam eſt, qui ei ſermoni fidem non adhibeat. Nam qui verum illum eſſe non credit, a gratia, & ſalute prorſus excidit.* Quis porro ſibi ſuadere poterit, D. Epiphanium, qui ad probandum ibi intentus erat verbi Dei veritatem allegoriis inficiari non debere, exemplum adhibuiſſe propoſitionis *hoc eſt corpus meum*, quam in ſenſu figurato, & allegorico aſſumeret, quaſi idem referret, ſcilicet *hoc eſt figura Corporis mei*? Id fuiſſet Origeni arma deferre, non auferre, & illius opinionem ſancire, non rejicere. Nihilominus in diſperatas tuas partes contendis D. Epiphanium transferre, hinc ais, *hominem factum eſſe ad imaginem Dei, quanquam Dei naturam, & eſſentiam non habeat, quod a ſimili probat ille de pane, qui dicitur Corpus Chriſti, licet non habeat naturam, ſubſtantiam, & qualitatem Corporis*. Tu minime capis vim ſermonis D. Epiphanii, qui neutiquam probat hominem factum eſſe ad imaginem Dei, etſi non habeat Dei naturam, qua ratione panis, quanquam non habeat naturam Corporis Chriſti, eſt imago Corporis Chriſti: ſermo iſte a te componitur. Epiphanius probat hominem factum fuiſſe veram Dei imaginem, tametſi quomodo talis ſit ſoli Deo notum ſit; qua ratione panis, quem Chriſtus ad manus accepit, factus eſt ejus Corpus, licet modus ſibi ſoli ſit notus: & quemadmodum fideles, quanquam in pane Euchariſtico nulla videant lineamenta Corporis, credunt tamen ejus Corpus ibi adeſſe, ita licet in homine non videant ullam Dei imaginem, credere ni-

ihilominus debent veram ibi eſſe)ei imaginem, quia quemadmodum :hriſtus dixit *hoc eſt Corpus meum*, ıa Deus dixit *factum eſſe hominem ad maginem,& ſimilitudinem ſuam*, & Dei erba accipi debent vere, & proprie, on allegorice. Hic nempe eſt ſer- ıo legitimus, ac ſincerus D. Epipha- ıi. Quomodo autem verba illa vere, : proprie, non allegorice probaren- ır eſſe intelligenda, ſi dicente Chri- o *hoc eſt Corpus meum*, hæc propo- tio intelligi deberet myſtice, & figu- ıte? Tunc facile reſponderet Orige- :s, dicente Deo ad imaginem ſuam ominem factum eſſe non proprie, d myſtice, & typice locutum ſuiſ. :. Vel ergo D. Epiphanius nihil con- udit, vel ſupponit in Euchariſtia orporis Chriſti adeſſe veritatem: ıod etiam ex ipſius loquendi ratio- : deducitur; ait enim Corpus Chri- ı in Euchariſtia eſſe credendum, ıanquam nihil ſimile, aut æquale ſen- ɔus noſtris ibi videamus, non ſuſce- æ carnis imagini, non divinitati i- ĭ, quæ videri non poteſt; ſed ro- ındum aliquod, et quod ad vim at- net, ſenſus expers. Quid porro ar- ıi haberet, credere rotundum forma, ſenſus expers, a Chriſto fuiſſe inſti- tuin ſui Corporis typum? Notum l, typum non æqualem eſſe debere, ın ſimilem, non eiſdem lineamen- s formatum, ac Prototypus; ſicut ıod ſenſus eſt expers, viventis figu- ın eſſe poſſe. Quot in veteri lege pum gerebant Chriſti, quæ Chriſto .t rinſecus erant diſſimilia? Quid ſer- :ns, quid paſchalis agnus ſimile Chri- ɔ deferebant? Chriſtum tamen figura- ınt. Euchariſtia ergo ſi ab Epipha- o proponitur inter ea, quæ diffici- faciunt fidei argumentum, non ut cuum typum eam proponit, ſed nquam quæ ſub externa diſſimili rma, verum, & reale Corpus ıriſti contineat; argumentum enim piphanii a minori ad majus dif- :ile procedit, nimirum: Si quod vi- tur panis, Chriſti Corpus re vera editur, quia contra id quod vide- ıs, verus Chriſti ſermo fidem no- bis facit, a fortiori vera in homine, quæ non videtur, Dei imago credenda erit, quia verus ſermo divinus ibi eſ- ſe teſtatur. Illic verum Corpus ejus eſſe creditur, quia ſcriptum eſt *hoc eſt Corpus meum*. Hic vera Dei ima- go eſſe creditur, quia ſcriptum eſt *ad imaginem Dei factus eſt homo*.

19. Quæ autem a te fiunt animad- verſiones, nihil habent virium ad ſuadendum; quippe S. Epiphanius u- tique dicit, quod in Euchariſtia vide- tur, *rotundum forma eſſe*, *& quod ad vim attinet*, *ſenſus expers*, non tamen addit, Chriſto dicente *hoc eſt Cor- pus meum*, pronomine *Hoc* denotaſſe panem, permanenti ſaltem deſignatio- ne, ut ſupra indicavimus. Damus, quod *panem* in ſua natura, & ſub- ſtantia *oſtendere*, *& in ſenſu litterali humanum corpus illum aſſerere*, *ſapiat falſitatem*: non tamen oſtendere pa- nem dumtaxat in extima ſpecie, & corpus humanum in ſubſtan- tia aſſerere, ut Chriſtus aſſeruit. Angelus, qui luctabatur cum Jacob, externam præſeferebat hominis for- mam, & tamen vero, proprio, ac litterali ſenſu aſſerere poterat ſe An- gelum eſſe. Poterat itaque etiam Chri- ſtus, ut Cyrillus notat *lib. 4. in Joann. cap. 14.*, diſcipulis ſuis oſtendere *Pa- nis fragmenta*, ideſt ſecundum ſpeciem panis fragmenta, ſive illius fragmen- ta, quę panis prius erant, & propri- etate ſermonis dicere: *Accipite, & man- ducate, hoc eſt Corpus meum*. Audio te tamen in Triumpho *pag. 135.* ſic diſ- ſerentem: *Encratitæ, juxta Epiphani- um hæreſ. 46., ex Chriſti exemplo con- demnabuntur. At quomodo, ſi quod in prima Euchariſtia Chriſtus bibit, vi- num non fuit? Encratitæ vinum ab- horrentes, in Euchariſtia utebantur a- qua. Porro Patres Aquaticis iſtis aje- bant, imitandum eſſe Dominum, qui vinum adhibuit, & bibit de geni- mine vitis. Profecto Cyprianus, Chryſoſtomus, Epiphanius, aliique, ſi tranſubſtantialiſtæ fuiſſent, Aquaticis dixiſſent: Chriſtus vinum adhibuit, non vinum tamen erat quod bibit, ſed Sanguis ejus. Quid timetis? Vinum*

non

non eſt quod in Euchariſtia ſumitur. Conſecratio ſubſtantiam mutat &c. Quod tamen non dicebant Patres. Quibus infertur, Patres non fuiſſe tranſubſtantialiſtas. Enimvero Encratitæ ex Chriſti exemplo condemnabuntur, ſiquidem ubi Chriſtus accipiens vinum ait: *Hic eſt Sanguis meus*, ipſi accipiebant aquam, & in iſtam verba Chriſti pronuntiabant; quamobrem merito Patres illos redarguebant, dicentes Dominum eſse imitandum, qui vinum adhibuit, ut ex iſto Sanguinem ſuum faceret. Sed ad quid iſta? Quis negat Chriſtum vinum accepiſſe? Quis negat Chriſtum a nobis eſſe imitandum? Res eſt, an id quod poſtquam dixerat *hic eſt Sanguis meus* Apoſtolis diſtribuit, vinum adhuc eſſet, an vero mutatum in ejus Sanguinem? Profecto deliras, inquiens: *Patres ſi tranſubſtantialista fuiſſent, Aquaticis dixiſſent hriſtum adhibuiſſe vinum, non vinum tamen fuiſſe quod bibit, ſed Sanguinem ſuum*; quippe etſi id dixiſsent, idcircone Encratitas ſuaſiſſent? Juxta D. Epiphanium *hæreſ.* 47., Nebulones hi vinum horrebant ut diabolicum, & ex vite & Diabolo productum blaſphemabant. Aut itaque Chriſtum damnaſsent, quod ad materiam Sacramenti rem abominabilem adhibuiſſet, aut pernegaſſent diabolicam creaturam poſſe converti in rem ſacroſanctam, qualis eſt Chriſti Sanguis. Miſcere hic indicas Encratitas cum Aquaticis, ſive Aquariis: quo minus gnarum te prodis eorum quæ tractare audes. Encratitæ Seculo II. Tatiani diſcipuli fuerunt, & adverſum iſtos ſcripſerunt D. Irenæus, Clemens Alexandrinus, Epiphanius. Aquarii impoſterum inſurrexerunt, quorum origo incerta eſt, & D. Auguſtinus *in lib. de hæreſ.* iſtos ab illis diſtinguit. Eja tamen, Aquatici, & Encratitæ non diſtinguantur. Patres tamen contra ipſos non inſtabant, non vinum, ſed Chriſti Sanguinem eſse qui in Euchariſtia bibitur, cum certo tenerent, qui exemplum Chriſti ſequi recuſabant, fidem pariter Chriſto ſore negaturos, ſcilicet vinum non eſse quod in Euchariſtia bibebant; ſed Sanguinem Chriſti, cum odorem, ſaporem, ceteraque accidentia experirentur. Addo inter Aquaticos nonnullos fuiſse, qui in Sacrificio matutino aquam pro vino adhibebant, ne Chriſtiani a Gentilibus deprehenderentur ex odore vini, contra quos D. Cyprianus ſcripſit *Epiſt. 63. ad Cæcilium*. Iſtis ſane vanum ſuiſſet dicere: Nolite timere, hoc quippe vinum non eſt, ſed Chriſti Sanguis; ſiquidem timebant odorem vini, qui in Euchariſtia remanet. Demum addo, Patres, ad faſtidium quod Encratitæ & Aquatici erga vinum habebant removendum, quemadmodum monere eos poterant, non vinum eſſe quod in Euchariſtia ſumitur, ſed Sanguinem Chriſti, ita monere poterant, quod ibi accipitur non amplius vinum eſse commune, & profanum, ſed Sacramentale, mutatum in figuram, & typum Corporis Chriſti. Igitur ſi, quod primum dicere abſtinuerint, inſers Patres non fuiſse tranſubſtantialiſtas, inferre mihi pariter licebit, cum nec ſecundum monuerint, non reputaſse vinum commune, & uſuale mutari in ſacrum, nec typum, & figuram Sanguinis Chriſti.

§. IV.

Picceninus peſſime extorquet ſenſum typicum ex verbis ſimplicibus, non typicis, Chriſti, & D. Pauli.

20. Plura in Apologia *pag.* 346. poſtulas animadverti. I. quod *Chriſtus Cœnam inſtituens, lingua Hebræa uſus eſt. Porro Hebræi verbum nullum habent reſpondens huic verbo* ſignificat. *Quamobrem proferre volentes* hoc ſignificat, *pronuntiant* hoc eſt. *Ecce in promptu exempla. Septem boves pulchræ; ſeptem anni ſunt. Geneſ. 41. 16. Oſſa ſunt domus Iſrael. Ezechiel. 37. 11. Aries eſt Rex Medorum; Hircus eſt Rex Græcorum. Dan. 8. 20. 21. Quinimmo in novo Teſtamento, ager eſt Mundus, bonum ſemen ſunt filii regni. Matth. 13. 28. Eccleſia eſt corpus*

ꝯus Chriſti. Coloſs. 1. 24. *Septem Stellæ ſunt ſeptem Angeli. Apoc.* 1. 20. *Septem capita beſtiæ ſeptem montes ſunt.* I. quod *etiam in ſermonibus Sacramentalibus dicitur hoc eſt pactum meum. Pactum meum erit in carne veſtra. Gen.* 17. 10. 13. *Agnus eſt tranſitus. Exod.* 12. 11. *In prælaudatis ſententiis, aliiſve quæ poſſent afferri*, Eſt *refert* Significat, Sunt *vero* Significant. *Cum manducaretur Paſcha, dicebat Paterfamilias: Hic eſt panis tribulationis, quem manducaverunt in Ægypto Patres veſtri. Sic Chriſtus ſubſtituens Evangelicam Cœnam legali, uſus eſt eadem ſimilitudine: Hoc eſt Corpus meum.* Hactenus tu, qui ſi vera diceres, conluſum eſſet. P. Semery petit an hoc verbum. *eſt* ſemper intelligendum ſit pro *ſignificat?* Atque ego id ſecum peto ad inſtructionem meam. Quippe tam frequenter occurrente verbo *eſt* in Scripturis, ſcire aveo quando proprie, quando metaphorice, & tropice ſumere debeam. Audiens Chriſtum dicentem: *Ego & Pater unum ſumus*, & D. Joannem: *Hi tres unum ſunt*, hanc ly *ſumus*, ly *ſunt* intelligere ſtricte, & litteraliter debeo, alias Arianus fierem. Audiens æternum Patrem Chriſto dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus*, & Chriſtum qui de ſe dixerit: *Quia Filius Dei ſum*, intelligere pariter debeo ly *ſum*, & *eſt*, proprio, & litterali ſenſu, alias Neſtorianus evaderem. Manichæus enimvero eſſem, ſi apud D. Joannem legens *Verbum caro factum eſt*, non crederem Verbum ſecundum veritatem factum carnem, ſed tantum in figura, & ſecundum ſpeciem. Quare autem dum audio ter a Chriſto ex ore Evangeliſtarum, & quarto ex ore D. Pauli dictum *hoc eſt Corpus meum*, credere non debeo re vera ita eſſe, ſed ad ſenſum tropicum, & typicum pervertere verba? Tu, & ego una credimus reconditiora myſteria, & ab humano ſenſu, ac a naturali ratione remotiora, nimirum Trinitatem, Incarnationem, Reſurrectionem corporum; quorum nullum tam nitidis, apertiſque verbis explicatur. Enimvero quo Scripturarum textu ita clare, & perſpicue proponitur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres Perſonas eſſe, & unam eſſentiam, quod, apparenter ſaltim, nihil ambigendum remaneat? In hoc articulo nonne per annos multos Eccleſia vexata fuit? Ubinam in Chriſto duas eſſe naturas, & unam Perſonam, hancque divinam, tanta perſpicuitate traditur, quanta Chriſtus de eo quod nobis dat declarat ſuum eſſe Corpus? Ubi adeo nitide legimus reſurrecturos nos eſſe hac ipſa carne qua induimur, & non alia potius carne ſpirituali, ſicut Chriſtus explicat Corpus & Sanguinem ſuum præſtare nobis, non vero typum, non panem, non vinum? Facilius ſane eſt hoc, quam illa credere; quod negari nequit, ſi mente ſana, non præjudicata penſetur. Cur autem de illis non componuntur figuræ, ut Marcionitæ, Ariani, Manichæi effutiebant, cuduntur autem ubi neque Nebulones illi eas imaginari intentarunt? Non valet D. Auguſtinum proferre dicentem *Lib.* 3. *de Doct. Chriſt. cap.* 5.: *Nemo explicet ſecundum litteram quæ myſtica ſunt*; etenim ex eodem repetam: *Nemo figuras extorqueat a litterali ſenſu, ubi non ſunt, & nemo quærat tropum, ubi circumſtantia evidentia hunc non oſtendat.* Admonere item te per ipſum faciam: *Si animum praeoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter aſſeruit Scriptura figuratum homines arbitrantur. Lib.* 3. *de Doct. Chriſt. cap.* 10. Sic Arianis accidit, Neſtorianis, Manichæis, aliiſque Chriſtiani Orbis peſtibus, qui erroribus ſuis præjudicati, dum a Patribus aliqua Scriptura proponebatur, reponebant non litteraliter, nec proprie eſſe intelligendam. Zuinglius ſibi propoſuit, contra Catholicam doctrinam inficiari realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Videbat Scripturas errori ſuo adverſari apertiſſime; hinc eas eludere ſtuduit, ad allegorias, & figuras confugiens. Inſtructus inde ab illo *Monitore* ſuo, ſive Genio, ſive Dæmone, quem nec ipſe agnoſcere potuit albus an

an niger eſſet (ſomnium erat), a Scripturis expilavit textus quos Piceninus aliique ſectarii proſerunt, quibus jam reſpondere aggredior.

21. Ajunt itaque, dum Chriſtus pronuntiavit *boc eſt Corpus meum*, annuntiavit *boc ſignificat* Corpus meum, quemadmodum cum Joſeph dixit *Geneſ.* 41. 26. *Septem boves pulcbræ ſunt ſeptem anni*, vel Ezech. 37. 11. *Oſſa ſunt domus Iſrael*, vel Daniel 8. 20. *Aries eſt Rex Medorum*, vel Chriſtus ipſe *Matth.* 13. 28. *Ager eſt bic Mundus, bonum ſemen ſunt filii regni*. Prælaudata omnia a Prædicantibus ſedulo exquiſita, & inſinuata, interpretationes ſunt alicujus ſomnii, aut viſionis, ſive parabolę, vel ſimilitudinis, ut bene & ipſi norunt; propterea ibi verbum *eſt* idem refert ac *ſignificat*, atque hic tenet D. Auguſtini regula: *Nemo quærat tropum, ubi bunc non oſtendat circumſtantia evidentia*. At quando Chriſtus Apoſtolis dixit *boc eſt Corpus meum, bic est Sanguis meus*, num ſomnium, viſionem, aut parabolam jam narratam interpretabatur? Id a te Piceniпe probari oporteret, ſicut recantata exempla ad rem accommodari; ſecus cum D. Auguſtino monebo te: *Nemo extorqueat figuras a ſenſu litterali*. Joſeph exquiſitus fuit quid ſignificarent ſeptem boves illæ. Ezechiel, & Daniel aperiebant ſignificationem eorum, quæ ſpiritu viderant; & Chriſtus parabolam boni ſeminis propoſuerat, eamque explicabat: quare dicentes *boc eſt*, omnes plane intendebant velle enuntiare *boc ſignificat*. Porro Zuinglius, Calvinus, & Piceninus, faveant ſophiſticæ artis ſolita fraude, qua maxime pollent, nobis oſtendere, dum Chriſtus dixit *boc est Corpus meum*, id reſpondiſſe interrogatus ab aliquo de ſignificatione panis. Sin oſtendant, nunquam ad rem redeunt eorum exempla. Si Chriſtus pictam ſui Corporis Imaginem oſtendiſſet Apoſtolis, quam coram proferens dixiſſet *boc eſt Corpus meum*, indicium eſſet forte enuntiare voluiſſe hoc *repræſentat*, aut *ſignificat* Corpus meum. At panem oſtendens, qui nullam certe habet ſimilitudinis ſpeciem ad Corpus Chriſti, & inquiens *boc eſt Corpus meum*, ſi verum Corpus ſuum non eſſet, audeo aſſerere quod moderni hæretici noſtri aſſerunt, Chriſtum tunc falſum pronuntiaſſe. Si autem veritatem enuntiavit, ut certiſſime fecit, verum *Corpus* ſuum erat quod oſtendebat; quemadmodum Pater æternus indicato Chriſto, qui ad oculos homo tantum videbatur, dum intonuit: *Hic est Filius meus dilectus*, ſi per impoſſibile Chriſtus verus Filius ſuus non fuiſſet, ut certiſſime erat, ſequeretur inde æternum Patrem pronuntiaſſe quod nunquam ipſi poſſibile fuit, nempe mendacium.

22. Quod ais Chriſtum hebræo ſermone loquutum, qui verbum non habet ad enuntiandum hoc verbum *ſignificat*, permitti poſſet; at hebræum idioma caret ne terminis ad pronuntiandum *ſignum*, *imaginem*, *figuram*? Homo dicitur factus *ad imaginem Dei*. *Geneſ.* 1. 26. Iris *ſignum fœderis*. *ibid. cap.* 9. 12. Circumciſio ſignum fœderis: *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*. *ibid. cap.* 17. 11. Chriſtus itaque ſi cogitabat Apoſtolis tradere ſignum, & figuram ſui Corporis, poterat hebræo etiam idiomate dicere: *Hoc est ſignum, figura, imago mei Corporis*. Quod hebraicum idioma careat voce *ſignificat*, ad ſummum probat, Hebræos aliquando pronuntiando *eſt*, intendere *ſignificat*, non tamen ſemper ita loqui. Optima ne autem tibi videtur illatio: Chriſtus aliquando verbum *eſt* uſurpavit pro eodem ac *ſignificat*, cum hebraice loqueretur; ergo uſurpavit ſemper, tum ſignanter cum dixit *boc est Corpus meum*? Ad hæc. Chriſtus hebraice loquens, verbo *est* utebatur ad enuntiandum *ſignificat*. At Evangeliſtæ ſenſa Chriſti Orbi terrarum proponentes, deficiebant ne terminis ad id explicandum? Et tamen ſolus Mat-

thæus

æus hebraice ſcripſit, ceteri vero
ræce, nempe Lucas, & D. Paulus;
·. Marcum vero latine ſcripſiſse non-
illi autumant. Porro hi omnes vo-
em habebant aptam ad pronuntian-
um *ſignificat*, quin verbo *est* indige-
nt, ſemel ac hujuſmodi fuiſset in-
ntum Chriſti. Attamen omnes ſcri-
erunt: *Hoc est Corpus meum*. D. Pa-
us id Corinthiis explicans, hanc
quivocationem ferre non debuiſ-
t, ſed eos inſtruere, Chriſtum ſci-
et hebræo ſermone loquentem di-
ſse *hoc est Corpus meum*, ideſt
c ſignificat, *& repræſentat Corpus*
eum. Verum omnes Evangeliſtæ, D.
aulus, & Chriſtus ipſe pronuntiant
t, & tu cum Calvino tuo. & Zuin-
io, omnino vis eos enuntiaſse *ſigni-*
at? Hi porro ſunt qui gloriantur
iritatem litteræ uſque ad minimum
icem cuſtodire, qui nec jotam vio-
ri permittunt, qui nos Romanos ca-
mniantur quaſi divini verbi corru-
ores, & detractores! Solet identidem
riptura ſigno tribuere nomen rei ſi-
iificatæ, ſed continuo, ante, vel poſt,
ocem aliquam apponit, ex qua le-
or intelligat, & ſignatum cum ſigno
n involvat. De Circumciſione dici-
r: *Hoc eſt pactum meum*. *Geneſ.* 17.
·. Quia tamen pactum re vera non
at, ſed pacti dumtaxat ſignum, ſta-
n ſubditur quo ſenſu appellatum
pactum, ideſt ſignum fœderis: *Ut*
in ſignum fœderis inter me, & vos.
id. ver. 11.; atque ideo, quia Spiri-
s Sanctus a modo loquendi humano
n recedit, cujus regula eſt ſignatum
unquam ſigno attribui, niſi certum
:, auditorem ſignatum cum ſigno non
iplicaturum, alias occaſio præberetur
roris. Porro ſi Chriſtus, dum di-
t *hoc eſt Corpus meum*, enuntiare in-
ndebat *hoc eſt ſignum Corporis mei*,
ite, aut poſt, vocem aliquam intro-
icere debebat, ſenſum hunc ſuum,
em Sectarii hariolantur, declarantem;
edibile quippe non eſt, Chriſtum
rbis minus perſpicuis uſum fuiſse
m novæ legis Sacramentum inſtitue-
t, ac quando veteris legis Sacramen-
m præſcripſit, quæ lex erat umbras
continens, & figuras. D. Paulus, cum
Circumciſio re vera non eſſet juſtitia fi-
dei, id explicare non omiſit, eam
dicens: *Signaculum juſtitiæ fidei*. Chri-
ſtus autem in ipſa Euchariſtiæ inſtitu-
tione mentem ſuam non indicaſſet, ſi
proponere inſtituiſſet quod falſo Pro-
teſtantes commentantur, nimirum
nobis relinquere nudum ſignum ſui
Sanctiſſimi Corporis?

23. Agnus Paſchalis dicitur tran-
ſitus Domini: *Eſt enim phaſe, ideſt tran-*
ſitus Domini. Exod. 12. 11.; & tamen
ſimplex ſignum erat. Si contenderem
Agnum fuiſſe non ſignum tranſitus, ſed
victimam quæ pro tranſitu, ſive in e-
jus memoriam offerebatur, quippe
ibid. 27. legitur: *Dicetis eis: Victima*
tranſitus Domini eſt, ideſt victima ſa-
crificio offerenda ea die, qua celebra-
tur tranſitus, dum familiare eſſet apud
Hebræos victimas nominare vel ex die
qua offerebantur, vel ex fine ob quem
inſtitutæ erant, ſicut victima *pacifica*
dicebatur quæ pro pace, & peccatum
quæ pro peccato offerebatur; ſi ita in-
quam reponerem, quid tum Picenine?
Etenim tuum eſſet tunc probare, accep-
tum a Chriſto panem victimam fuiſse,
& Corpus Chriſti finem fuiſſe Sacrifi-
cii: quod oſtenderes nunquam. Sed
dato Agnum eſſe ſignum tranſitus, qui
dictus eſt *tranſitus*, ineptum omnino
eſt ad rem noſtram hujuſmodi exem-
plum, ſiquidem quis illius populi, quan-
quam rudis & bardus, non intellige-
bat, Moyſen Agnum dicendo *tranſitum*
Exod. 12. 3., non Agnum re vera *tran-*
ſitum eſſe, ſed nudum ſignum *tranſitus*
indicare? Mandaverat in principio il-
lius *Cap.* 12., quod quiſque *per domos, &*
familias ſuas Agnum ſumeret, ceremo-
nias, que præſcripſerat, & ritum, quo
offerre illum debebant, ac edere. *ibid.*
num. 4. 5. Ex hujuſmodi apparatu ta-
cita interrogandi ratio ſuppetebat,
quid Agnus ille, quid tot ceremoniæ
deſignarent; quocirca audientes a Mo-
yſe *hic eſt tranſitus Domini*, quis tam
ſtolidus, qui non caperet, apparatum
illum ſignum eſſe *tranſitus*, qui a Do-
mino faciendus erat, non ipſum tran-
ſitum? Latius autem id patet *verſ.* 13.,

ubi habetur: *Erit autem ſanguis* (Agni) *vobis in ſignum ... Et videbo ſanguinem, & tranſibo vos &c.* Inſuper *verſ.* 27.: *Et cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos Iſrael liberans.* Vales Picenine in Cœna Domini quid ſimile ſcrutari? Nimitum quod Chriſtus, antequam pronuntiaret *hoc eſt Corpus meum*, quidquam præmiſerit, vel ſubjecerit, ex quo Apoſtoli potuiſſent inferre, dum diſtribuebat id, quod *Corpus* ſuum eſſe dixerat, dumtaxat propoſuerit *ſignum*, & *figuram* inſtituere? Ad rem ergo non facit exemplum, tot plauſibus celebratum.

24. Apologiæ *pag.* 346. cauſam tuam promovere ſtudes, inquiens: *Dum manducabatur Paſcha, Paterfamilias hæc dicebat: Hic eſt panis tribulationis, quem manducaverunt in Ægypto Patres noſtri. Sic Chriſtus hac uſus ſimilitudine, dixit: Hoc eſt Corpus meum. Panis qui manducabatur ætate Chriſti in Paſchate, non erat ille quem manducaverunt in Ægypto, ſed illius memoria. Ergo panis in Euchariſtia non eſt Corpus Chriſti, niſi prout iſtud ſignificat, & eſt ejus memoria. In Cœna legali Hebræi habebant memoriam ſuæ liberationis ex Ægypto. In Cœna Evangelica memoriam nos habemus redemptionis noſtræ per mortem Chriſti. Ita intelligunt verba Chriſti OEcolampadius, & Calvinus.* Ad hæc, quæ vanis paralogiſmis implicantur, reſpondeo: Si Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, alioſve hujuſcemodi notæ veteres Patres ita ſenſiſſe proponeres, multum ad faciendam fidem virium haberet præfatus ſermo tuus; at OEcolampadius, & Calvinus, heu qui ſunt? Quomodo oſtenditur iſtos veritatis ſpiritu fuiſſe dotatos, ad ſenſa Chriſti interpretanda adverſus unanimem omnium conſenſum? Quis Luthero arrogantius Dei Spiritum habere gloriabatur? Attamen Lutherus cum gregalibus ſuis profitebatur, illud ipſum Chriſti Corpus tunc præſens datum Diſcipulis, nobis etiam datum fuiſſe, non in memoriam dumtaxat, ſed in reali præſentia. Cur non Luthero potius credendum erit, quam OEcolampadio, Zwinglio, Calvino, & quotquot realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia hoſtes ſunt, nudum *ſignum*, & *memoriam* ibi haberi excogitantes? Hoccine Picenine argumentum illud tuum evidens, quod *valeat omnes a Panigarola deceptos ſuadere?* Enimvero ſi non valet a Luthero deceptos revocare, multo minus quotquot fides Catholica edocet valebit ſeducere. Panis quem in Paſchate manducabant Hebræi, memoriale erat illius panis quem in Ægypto Patres eorum manducaverant. Ergo Corpus Chriſti quod ſumimus in Euchariſtia, in memoriam Corporis Chriſti oblati in Cruce, non nudus typus erit Corporis Chriſti, ſed ipſum Chriſti Corpus, non eodem, ſed diverſo modo: ibi enim viſibile erat, & cruentum, hic inviſibile eſt, & incruentum. Quemadmodum enim Paterfamilias hebræus cum pronuntiaret *hic eſt panis*, non panis meram figuram oſtendebat, ſed verum panem, ita Chriſtus dicens *hoc eſt Corpus meum*, non meram ſui Corporis figuram pręſentabat, ſed verum Corpus ſuum. Pręterea in ipſa inſtitutione Cœnæ legalis, dum dicebatur *hic eſt panis*, oſtendebatur panis verus, impoſterum comedendus in memoriam liberationis ex Ægyptiaca captivitate. Ergo dum inſtituendo Evangelicam Cœnam Chriſtus ait *hoc eſt Corpus meum*, Corpus ſuum verum oſtendebat, ſumendum impoſterum in memoriam Redemptionis. Quare ſubjecit: *Hoc facite in meam commemorationem. Luca* 22. 19. Quocirca attenta ſimilitudine ab OEcolampadio, & Calvino aſſumpta, ſi veteres Hebræi in Ægypto panem verum comederunt, etiam Apoſtoli, dum Chriſtus dixit eis: *Manducate, hoc eſt Corpus meum*, manducaverunt ejus *verum Corpus*. Et quemadmodum Hebræorum poſteri, in memoriam panis primæ legalis Cœnæ, non typum panis, ſed panem verum edebant, ſic Apoſtolorum poſteri in

Evan-

Evangelica Cœna manducantes, *verum Corpus* Chriſti manducant, licet in memoriam manducent. Neque reponas, quod in memoriam comedere, eſt dumtaxat comedere in typo, non in veritate, quemadmodum Hebræi manducantes, manducabant verum panem, non tamen re vera illum panem manducabant, quem patres eorum in Ægypto manducaverunt. Etenim panis ille præſens amplius eſſe non poterat; idcirco poſteri panem edebant, non illum, ſed alium, qui ſola memoria erat panis olim manducati. E contra idem Corpus Chriſti ab Apoſtolis manducatum, eodem modo præſens nobis eſt, adeoque idem, & eodem modo quo ſumpſerunt illi, & nos ſumimus. Inſuper Euchariſtia non eſt memoria Corporis Chriſti, ſed mortis, & paſſionis ejus; hinc non ſequitur, ex quo memoria non ſit præſentium, ſed præteritorum, Corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia nobis præſens, immo abſens, & remotum: ſed tantum mortem, & paſſionem ejus in illa non conſummari. Quanquam probandum omnino eſſet, memoriam nonniſi præteritorum eſſe: etenim erga præſentia, ſi inviſibilia ſint, comperio memoriam exerceri poſſe. Quoties populo Iſraelitico mandatum fuit Dei memoriam habere, cujus fuerat oblitus? Quis porro magis præſens illi populo, quam ipſe Deus? *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi.* *Exod.* 20. 24. Calvinus ipſe (*in* 1. *ad Cor.*) fatetur haberi poſſe memoriam Chriſti præſentis inviſibiliter, abſentis viſibiliter: *Quod autem hinc nonnulli colligunt abiiſſe igitur a Cœna Chriſtum, quoniam memoria nonniſi rei abſentis ſit, prompta eſt reſponſio, ſecundum hanc rationem qua Cœna eſt recordatio, Chriſtum ab illa abeſſe, neque enim adeſt Chriſtus viſibiliter &c.* Hinc Cœna, etiam ex teſtimonio Calvini, eſt memoria Chriſti viſibilis, qua ratione Chriſtus non eſt ibi præſens; non tamen memoria eſt Chriſti inviſibilis, qua ratione ſecundum veritatem ibi præſens eſt.

25. Ex hucuſque dictis, non capio qua conſcientia Picenine valeas Apolog. *pag.* 347. tam inſolenter nos inceſſere, *lucem tentare noſtris tenebris offundere*. Non nos, ſed Calviniſtæ, tropis, & figuris conantur verba Chriſti obtenebrare, ipſo Sole præclariora. Sunt in Scripturis figuræ, & ſenſus myſtici, qui a nobis non negantur, ſed ubi re vera deſignantur. At figuras excogitare ubi non extant, ut propriæ opinionis præjudicium probetur, hoc eſt claram divini verbi diem *offundere tenebris*, & error eſt a cunctis Patribus proſcriptus; quare D. Auguſtinus Priſcillianiſtas reputabat *hoc verſutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum Canonicarum repudiant, ſimul cum apocryphis legentes omnia, & in auctoritatem ſumentes, ſed in ſuos ſenſus allegorizando, vertentes quidquid in ſanctis libris eſt, quod eorum evertat errorem. Lib. de hæreſ. hæreſ.* 70. Nos hæc cenſura non vexat, non ad libitum Scripturas torquemus, ſed juxta documenta Patrum, & mentem Eccleſiæ eas interpretamur. Nemo noſtrum privato ſuo diſcretionis ſpiritu judicem ſe conſtituit de vero Scripturæ ſenſu; Eccleſiam profitemur, et ſequimur, tanquam certam regulam, et infallibilem veritatis Magiſtram: de quo ſatis dixi ſuo loco. Mitto itaque digno ſpretu contumelias, quas adverſus noſtros interpretes impudice evomis in Apolog. *pag.* 347., inquiens: *Quot ſacra dicta, quorum litteralis eſt ſenſus, interpretes iſti falſant allegoriis confictis, & figuris ineptis, ac ridiculoſis!* Hic bene habet D. Hieronymi ſententia *in cap.* 8. Eccleſ.: *Omnis hæreticus, & falſum dogma defendens, impudentis vultu eſt.* Hoc unum noſcere ſat eſt, quidquid ſit de hoc, vel illo interprete, Romanam Eccleſiam nonniſi figuras, et tropos illos probare, quibus Patres conſentiunt, quos tantum in præſens defendo. Quod autem ad rem præſentem attinet, ſcias Picenine metam meam eandem eſſe, quam ſibi D. Auguſtinus deſtinaverat *lib.* 9. *de Geneſ. ad litter. cap.* 12.: *Quod impoſſibi-*

la

le videri vanis, atque incredulis poteſt, aut ipſi auctoritati Sanctæ Scripturæ velut teſtificationi contraria repugnare, id pro meis viribus, quantum Deus adjuvat, diſſerendo demonſtrem neque impoſſibile eſſe, neque contrarium; quod autem poſſibile quidem apparet, nec habet ullam ſpeciem repugnantiæ, ſed tamen quaſi ſuperfluum, vel etiam ſtultum quibuſdam videri poteſt, hoc ipſum diſputando demonſtrem.

26. Panigarola abverſus typicum, & tropicum ſenſum a Calvino in verbis Chriſti confictum, ex eo validum inſtituit argumentum, quod Evangeliſtæ omnes cum D. Paulo eadem phraſi loquantur, nulla adhibita figura. Cui reponis *pag.* 347. Apolog., *Evangeliſtas plerumque figuratum ſermonem narrare eiſdem terminis, quin nec in minimo figuram indicent; ſicut: Non eſt mortua puella, ſed dormit.Matth.* 9. 24., *Marci.* 5. 39., *Luc.* 8. 52. *Ecce mater mea, & fratres mei: verba a tribus Evangeliſtis relata, Matth.* 12. 48., *Marci* 3. 33., *Lucæ* 8. 21., *eodem ſtilo*; poſt ſubdis: *Frater ait: Sæpe quod unus Evangeliſta una dicendi ratione narravit, ab altero diverſa ratione refertur*; ex quo inſers: *Non ſemper igitur Evangeliſtæ in modo dicendi eundem ſtilum retinent. En inane Fratris argumentum.* Verum ſi Panigarolæ dictio *plerumque* non valet *ad ſemper*, neque tibi *plerumque* valebit ad inferendum *ſemper*, neque illatio illa tua: Scriptura *plerumque* aſſumit verbum *eſt* pro verbo *ſignificat*; ergo *ſemper* aſſumit, & ſignanter in illa propoſitione *hoc eſt Corpus meum.* En autem *inane argumentum* tuum, in quo totam ędificas fabularum tuarum officinam. Porro tres Evangeliſtæ unanimiter, poſtquam nararunt filiam mortuam eſſe, hoc ſubjiciunt, Chriſto nempe dicente *non eſt mortua puella, ſed dormit*, omnes iriſiſſe, & cum Chriſtus, manus puellæ apprehendens, eam reſuſcitavit, omnes admiratos fuiſſe. Quid plura poſtulas, ut conſtet, Evangeliſtas omnes circumſtantias attigiſſe, quibus cognitum fieret, Chriſto dicente *non eſt mortua puella, ſed dormit*, locutum fuiſſe allegorico ſenſu, & figurato? Tum etiam dum ipſi referunt a Chriſto dictum: *Ecce mater mea, & fratres mei, Marci* 3. 33., ſtatim indicant quo ſenſu loqueretur, cum tota narratio ſic habeat: *Et circumſpiciens eos, qui in circuitu ejus ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. Qui fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea, & mater mea eſt. Ibid. v.* 34. *&* 35. Ex hoc loquendi modo, quis non novit Chriſtum figurate, & allegorice loquutum? Argumentum ergo Panigarolę omnino urget. Porro ſi in verbis Chriſti *hoc eſt Corpus meum*, allegoria aliqua, vel figura latuiſſet, ab Evangeliſtis, vel a quopiam ipſorum indicata fuiſset, aut ſaltim ex narrationis contextu, & circumſtantiis hoc arcanum innoteſceret, quod perſpicacia noviſſimæ hæreſis in Occidente obortę exhauſit. Verum cum nemo unquam indicaverit quod hæreſis innovavit, nec quidquam occurrat, quo rationabiliter ſuſpicari valeat Chriſtum locutum fuiſse in ſenſu non proprio, ſed figurato, certum remanet litterali ſenſu intelligi debere.

27. Hujus invicti argumenti efficaciam videris jam experiri, cum omnem artem adhibeas, qua quempiam ſeducere valeas, ut credat Evangeliſtas non eadem ratione Chriſti verba narraſse. *Etenim*, ais, *D. Matthęus, & D. Marcus referunt: Hic eſt Sanguis meus novi fęderis. D. Lucas, & D. Paulus referunt: Hic calix eſt novum fędus in meo Sanguine.* Inde exhilaratus animo, exclamas Apolog. *pag.* 348.: *Dilata oculos tuos, Franciſce, & videbis huc intus duos tropos, indicatos a duobus ſcriptoribus. Celebris Jeſuita* (Salmeronus nempe *tom.* 9. *tract.* 15. *fol.* 98. 99.) *hic reperit duas metonymias: Subeſt in his verbis duplex metonymia, prima qua continens ponitur pro re contenta, poculum pro vino &c. Altera eſt, qua contentum, ideſt Sanguis, fędus dicitur &c., cum ſit ejus ſymbolum. Ibid.pag.* 100. Quaſi vero

ro

o perorata cauſa, ut omnes te caiant, ſic diſseris: *Panis eſt Corus Chriſti, quemadmodum Calix eſt noum fœdus. Calix proprie non eſt noum fœdus; ergo panis proprie non eſt Corpus Chriſti*. Re vera tamen in ver is *hoc eſt Corpus meum* Evangeliſtæ mnes conveniunt invariabiliter. Duo utem, D. Matthęus nempe, & D. Marus, ſcribunt *hic eſt Sanguis meus*, nula indicata figura, aut metonymia. rgo iſti in ſenſu litterali loquuntur. D. Lucas 22. 17. aliter ſcribit, ninirum: *Hic calix novum fędus eſt in meo Sanguine*, & ſimiliter D. Paulus . *Cor.* 11. 25. Cur porro D. Matthęm, & D. Marcum mavis interpretari er D. Lucam, & D. Paulum, quam e ontra iſtos per illos? Quod a D. Luca, D. Paulo narratur, explicatius eſt o quod habetur apud D. Matthæm, & D. Marcum, ut infra probaitur. Interim factæ rationi tuæ occurere libet. *Panis eſt Corpus Chriſti, uemadmodum Calix eſt novum fœdus*. alſum, Picenine! Etenim ita dicenlum erat: *Panis eſt Corpus Chriſti, uemadmodum Vinum eſt Sanguis Chriſti*. Tropus in verbis D. Lucæ, & D. Pauli, non eſt in *pane* relative ad *Corpus*, nec in *vino* relate ad *Sanuinem*, ſed dumtaxat in *Calice* reate ad *fœdus*; hinc ſequitur *Calicem* ymbolum eſſe fœderis, non tamen panem ſymbolum eſſe Corporis, aut vinum Sanguinis. Si vero ad eximendum mne dubium, a D. Paulo. & D. Luca dictum fuit *hic Calix eſt novum fœdus in meo Sanguine*, & a D. Matthæo, & Marco dictum eſt *hic eſt Sanguis meus novi fœderis*, ex hoc autem ſequatur neque Calicem, neque Sanguinem proprie fœdus eſſe, minime vero ſequitur, id quod ſenſibus vinum videtur, non eſſe proprie Sanguinem Chriſti. Si in verbis D. Lucæ, & D. Pauli latet aliqua metonymia, ſive figura, hęc non ſubeſt in *vino* relate ad *Sanguinem* Chriſti, ſed, ut notat Salmeronus, in *Calice* in ordine ad *vinum, qua continens ponitur pro re contenta*, & in Sanguine relate ad fędus, *qua contentum, ideſt Sanguis, fœdus dicitur, cum ſit ejus ſymbolum*.

Res ergo contenta, ut Salmeronus ait, non eſt vinum ſymbolum Sanguinis, ſed Sanguis ſymbolum fœderis. D. Thomas 3. *p. qu.* 78. *ar.* 3. *ad* 1., in his verbis *hic eſt Calix* advertit haberi figuratam locutionem, ſcilicet metonymiam, quia dum dicitur *hic eſt Calix*, continens ponitur pro re contenta in *Calice*, quæ eſt *Sanguis*, & *nomine Calicis* metaphorice intelligi poteſt Chriſti paſſio, hoc nomine a Chriſto indicata, dum dixit: *Tranſeat a me calix iſte*. Hæc metaphora, ſive metonymia a Panigarola non excluditur, ſed illa quæ a Calviniſtis intrudi prætenditur, ſcilicet panem eſſe Corpus Chriſti, & vinum Sanguinem ſymbolice, & nudum ſignum Corporis, & Sanguinis, quemadmodum nimirum Calix eſt novum fędus, tanquam ejus ſymbolum.

28. Ad hæc monitum te Picenine volo, ex eo quod in ſermone Chriſti, ut a D. Luca, & D. Paulo narratur, ſubſit aliqua metaphora, & metonymia, non valet inferri totum ſermonem allegoricum eſse, & figuratum; quippe plura habeo contraria exempla. Apud D. Marcum 6. 44. 45. de reprobis ait Chriſtus, mitti *in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*. Hic ſane *vermis* metaphorice, *ignis* litteraliter intelligitur. De Chriſto dicitur: *Aſſumptus eſt in Cælum, & ſedet a dextris Dei. Marci* 16. 19. Porro hic ſedere ad dexteram locutio eſt metaphorica, ſed Chriſtum metaphorice aſsumptum fuiſſe in Cælum nemo ſanæ mentis excogitabit. De Spiritu Sancto ſcriptum eſt: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie. Luca* 3. 22. Deſcenſus, quo ad Spiritum Sanctum, metaphoram continet, nec tamen quiſpiam per metaphoram appellatum eſse Spiritum Sanctum blaſphemabit. Ita in præſens, Calicem eſse novum fœdus, metonymia eſt, & figurata locutio, exinde tamen non ſequitur metaphoram eſse, quod panis ſit Chriſti Corpus, & vinum ejus Sanguis. Chriſtus dicebat *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, apud D. Matthæum, &

D. Mar-

D. Marcum, quemadmodum apud D. Lucam dixerat *hic eſt Calix*, quæ fuit propria locutio, non figurata, quia de vero Calice intelligebat, quem ad manus habebat. Ergo dum dixit *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, proprie loquebatur, non figurate, et de ſuo vero Corpore, & de ſuo vero Sanguine loqui intendebat. Attende regulam ad facile internoſcendum, quæ ex duabus propria ſit, quæve figurata locutio. Quando figura connaturalis eſt, & juxta communem loquendi modum, ſenſum figuratum reddere reputari poteſt; ſecus ſi ita diſtet, ut naturaliter nequeat accommodari. Ubi ergo D. Lucas ait: *Hic calix novum teſtamentum eſt*, unuſquiſque facile agnoſcit figuratam eſse locutionem, quia cuique notus eſt ordo, & convenientia inter teſtamentum, & teſtamenti ſignum: idcirco, quin auditorum mens præveniatur, abſolute dici poteſt, ſignum teſtamenti eſse teſtamentum: *Hic calix novum teſtamentum eſt*. Inter panem autem, & humanum corpus, cum nullus intercedat ordo, & convenientia ſigni, aut naturalis figuræ, aut ex hominum placito, dicente Chriſto, nulla præventione facta, nulla ſenſus ſui declaratione præmiſsa: *Hoc eſt Corpus meum*, nunquam Diſcipuli, quibus loquebatur, imaginari potuiſsent figurate loqui, ſed in ſenſu proprio, & litterali ejus verba ſuſcipere debebant. Præterquamquod, quæcunque difficultas eſse poterat in verbis D. Lucæ: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine*, omnino tollitur ex narrationibus D. Matthæi, & D. Marci, qui aſſerunt Chriſtum adhibuiſſe perſpicua verba: *Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti*. Quamobrem fas eſſet dicere, D. Lucam phraſi metaphorica retuliſſe quod Chriſtus ſine metaphoris pronuntiaverat, ſive quod Spiritus Sanctus per D. Matthæum, & D. Marcum explicaverit metaphoram, quæ apud D. Lucam enuntiatur. E contra cum Evangeliſtarum nemo declaraverit metaphoram, quam Proteſtantes fingunt ſub eſſe verbis *hoc eſt Corpus meum*, nemo dubitandi locum habet, Chriſtum his nitidis & ſimplicibus verbis uſum non fuiſſe. Tandem explicare lubet ſenſum verborum D. Lucæ, ut Picenine capias quantum tibi valeas in ipſis adulari. D. Lucas ſcripſit: *Hic eſt calix novum teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis funditur*; ideſt: Hic calix, quem manibus teneo, eſt inſtrumentum authenticum, quo firmatur, & ſignatur novum fœdus, ſive teſtamentum, per meum Sanguinem in ipſo contentum, qui Sanguis pro vobis effundetur.

29. Animadvertatur hic, quam bene factum, & dictum hoc Chriſti reſpondeat facto, & dicto Moyſis *Exod.* 24. 4. *&c.*, dum poſt acceptam legem, & promiſſa Dei populo enuntiata, mandavit ędificari altare cum duodecim titulis, deſignantibus duodecim tribus. Inde oblatis in ipſo vitulis, & victimis pacificis, victimarum ſanguinem accepit, & partem ejus in calices, ſive pateras infudit, & de reliquo altare reſperſit. Accepit deinde librum legis coram populo, qui Deo adſtabat, obedientiam ipſi devovens, & ſanguinem in pateris ſervatum effudit ſuper populum, dicens: *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum. ibid. verſ.* 8. Hæc egit, dixitque Moyſes, quæ figuræ eorum erant quæ facturus erat Chriſtus; quod D. Paulus confirmat *ad Hebr.* 9. 20., dicens: *Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Modo videamus veritatis, & figuræ convenientiam. Impleto tempore prædicationis ſuæ, volens Chriſtus tremendum implere Sacrificium, quod erat conſummatio veterum victimarum, & ſancire novum fœdus; quemadmodum antiquum ſancitum fuerat ſanguine vitulorum in Calice collecto, & effuſo ſuper populum, ita in Calice Sanguinem illum repoſuit, quem brevi effuſurus erat in altari crucis ſuper omnes, & ex ore D. Lucæ ait: *Hic eſt Calix novum teſtamentum in meo Sanguine*; & ex ore D. Matthæi, & D. Marci: *Hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti*. Porro

o attendatur quod a Moyſe in antiuo, quod in novo fœdere a Chriſto actum eſt: utrumque ſancitur, & ſignatur ſanguine in calice contento. llic dicitur *hic eſt ſanguis fœderis*, hic vero *hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti*, ſive *hic eſt calix novum teſtamentum in meo Sanguine*. Illic ſanguine animalium, hic ſanguine Chriſti ſignatur. Illic ſanguis verus fuit, non in ſola figura; quid porro hic non erit verus ſanguis, ſed ſola figura? Illic verus ſanguis erat, quia ille erat qui effundebatur; hic pariter eſt ſanguis ille *qui pro vobis funditur*. Quid ergo non verus ſanguis? Si illic ſanguis, quod ſignum eſſet, non impediebat quin eſſet verus ſanguis animalium, neque hic, quod ſanguis ſignum ſit fœderis, impediet quin ſit verus Chriſti Sanguis. Teſtamentum Chriſti irritum facere ſtudet, qui ſignatum ſola figura ſanguinis illud tenet: etenim antiquum fœdus, quanquam ſolus typus fœderis Chriſti, non figura ſanguinis, ſed ſanguine ſignatum fuit. Paucis omnia. Quomodo fœdus antiquum ſignatum fuit animalium ſanguine, ita novum fœdus in Cœna a Chriſto ſignatum fuit proprio Sanguine, cujus typus erat animalium ſanguis; ſecus, ſi aſſeramus novum fœdus non ſanguine vero, ſed figura Sanguinis Chriſti firmatum fuiſſe, quid novo fœderi melius tribuemus, quam veteri? Quomodo figuras mutabimus in veritatem? Certum ac firmum huic rationi exſpecto reſponſum, diverſum nempe ab his quæ tu reddere conſueviſti; & ut agnoſcas quanti ponderis ſint hucuſque dicta, ſcias a D. Chryſoſtomo ea me didiciſſe *Hom.* 27. *in cap.* 11. *prima ad Cor.*, ubi de verbis Chriſti *hic calix novum teſtamentum eſt in meo Sanguine*, ſic loquitur: *Quid autem id ſignificat, hic calix novum teſtamentum eſt? Erat autem veteris teſtamenti calix Sacrificio, & ſanguis brutorum, etenim poſt Sacrificium. in calice, & phiala ſanguine accepto ita ſacrificabant. Cum itaque pro ſanguine brutorum Sanguinem ſuum induxiſſet &c.* Adde Calvinum ipſum, qui ad illum Exodi textum, poſtquam dixerat, ſicut ſanguis vituli in calice, typus Sanguinis Chriſti, ſigillum erat veteris fœderis, ſic Chriſti Sanguis ſigillum eſt novi, atque ideo: *Chriſtus in Cœna Sanguinem ſuum tanquam ſigillum novi fœderis commendat*, concludit *c Neque enim dubium, quin Chriſtus veritatem, qua in ipſo exhibita fuit, figura opponat*. Hæc Calvinus. Quomodo autem concilientur iſta, Chriſtum veritatem quę in ipſo exhibita fuit, figuræ oppoſuiſſe, & in Cœna nonniſi vinum diſtribui, typum, & figuram Sanguinis Chriſti, aut Sanguinem Chriſti fide tantum apprehenſum, ut dictat Calvinus, nodus eſt, cujus ſolutio a ſuis attenditur.

30. D. Paulus 1. *Cor.* 10. 16. calicem vocat *communionem Sanguinis Chriſti*, & *panem communionem Corporis Chriſti*; hinc Apolog. *pag.* 348. reſpondes: *Optime. Id nimirum volo contra adverſarium. D. Paulus ibi loquitur de communione cum Chriſto, & de communione cum Dæmonibus, bibere calicem Domini, bibere calicem Dæmoniorum. ibid. ver.* 20. *Retorqueo argumentum contra Patrem Franciſcum ſic: Chriſtiani communionem habebant Corporis, & Sanguinis Domini, quemadmodum communionem habebant Dæmoniorum. Porro communionem cum Dæmonibus habebant, quin Dæmones manducarent, tantum eorum ſacra participantes, & de Idolothytes. Ergo Chriſtiani communionem habebant Corporis, & Sanguinis Chriſti, quin hunc proprie manducarent, & biberent, tantumve edentes, & bibentes Sacra Deo, qua ſunt in ſacra menſa.* Inde bacchanti plauſu ſubdis: *Res eſt evidentiſſima*. At, bone vir, quomodo probas eodem modo fuiſſe communionem Corporis, & Sanguinis Domini, ac illam Dæmoniorum? Nunquid Diabolus de cibis ſibi ſacris dixerat *hæc eſt ſubſtantia mea*, quemadmodum Chriſtus de pane dixerat *hoc eſt Corpus meum*, & de vino *hic eſt Sanguis meus*? A D. Paulo calix dictus fuit *communio Sanguinis Chriſti*, & panis *communio Corporis Chriſti*. Calix vero Dæmoniorum nunquid ab

ab ipſo dicitur *calix ſubſtantia Dæmonum?* Aliud refert bibere calicem Picenini, ac bibere calicem ſanguinis Picenini; primum quippe tantum ſignificat bibere calicem vel qui tuus ſit, vel a te datus, alterum autem ſignificat ſanguinem tuum in calice bibere. Ecce tibi, ex ipſo loquendi modo D. Pauli, ſublatum Achillem tuum. Studebat Apoſtolus Corinthios arcere ab omni cibo Idolis ſacro, propterea ajebat: Cum Chriſto communicat, qui in menſa Domini Corpus Chriſti manducat, & Sanguinem ejus bibit, quemadmodum Hebræi comedentes hoſtias, Deo communicabant in propria religione; idcirco qui manducat Idolis, vel potius Dæmonibus ſacra, ipſis Dæmonibus communicat: *Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum.* De menſa Dæmoniorum participantes, ſi Dæmones non vorabant, cibos tamen ipſis ſacros edebant, ſicut & vinum bibebant ipſis oblatum. Ergo qui de menſa Chriſti participat, in qua Corpus ſuum cibus eſt, & Sanguis ejus potus eſt, re vera manducat, & bibit, non figuram, ſed veritatem Corporis, & Sanguinis Chriſti. Hac ratione ſuadebantur Corinthii; quippe ſicut manducantes ore Corpus, & bibentes Sanguinem Chriſti, Chriſto communicant, ita manducantes ore cibos, & bibentes in calice vina Dæmoniis ſacra, ſi Dæmones non manducant, Dæmonibus tamen communicant: quod totum erat D. Pauli intentum; cujus ſermo non eſt ut tibi fingis, videlicet quod quemadmodum ore manducatur, & bibitur Corpus, & Sanguis Domini, ita voranda, & bibenda ſint Dæmonia; ſed quod quemadmodum qui comedit, & bibit Corpus, & Sanguinem Chriſti, Chriſto communicat, ita qui manducat, & bibit Dæmonibus ſacra, communicat Dæmonibus. Utrinque vera eſt comeſtio, propria, non figurata; communio tantum figurata eſt. Ita interpretatur D. Joannes Chryſoſtomus *Hom. 24. in 1. ad Cor.* verba hæc D. Pauli: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Chriſti eſt?* Unde habet: *Maxime his verbis, & fidem facit, & horrorem. Eorum autem hujuſmodi eſt ſententia, quod eſt in calice, ideſt quod a latere fluxit, & illius ſumus participes ....* Et poſt pauca: *Itaque ſi Sanguinem cupis, inquit, noli idolorum aram, brutorum animalium cæde, ſed meum altare meo Sanguine adſpergere. Quid hoc admirabilius dic quæſo? Quid amabilius? Hoc & amantes faciunt, cum amatos intuentur alienorum cupiditate allectos, ſua vero contemnentes, propriis elargitis, ſuadent ut ab illis abſtineant: ſed amantes quidem in pecuniis, veſtibus, poſſeſſionibus hanc oſtendunt cupiditatem; in proprio ſanguine nemo unquam. Chriſtus autem, & in hoc curam, & vehementem in nos dilectionem oſtendit.* Sic Chryſoſtomus elegantiſſime diſſerit. Sed quorſum hæc, ſi Chriſtum vacuam tantum nobis reliquiſſe Sanguinis ſui figuram & typum Picenine contendas? At mentiris ſycophanta, quia *quod eſt in calice, ideſt quod a latere fluxit, & illius participes ſumus.*

31. Veritas hæc tam certo, ac late patuit Apoſtolorum uſque temporibus, ut nemo auſus ſit contradicere: quo interea, velut ex evidenti principio, certum ſumebatur argumentum ad alias veritates. D. Irenæus *lib. 5. contra hæreſ. cap. 2.*, ex veritate Corporis, et Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, a D. Paulo laudato loco inſinuata, tanquam a certiſſimo principio, adverſus *Gnoſticos* probat Deum vere incarnatum, & veram humanam carnem ſumpſiſſe, & hanc carnem reſurrectionis eſſe capacem. Qui verum non habuit Corpus (ait ille), nec verum Sanguinem ut nos redimeret, nec verus homo fuit, neque verum Corpus, & verum Sanguinem præſentem in Euchariſtia reddere potuit, quippe verus Sanguis *non eſt niſi a venis, & carnibus, & a reliqua, quæ eſt ſecundum hominem ſubſtantia.* Qui ergo verum Sanguinem ſuum nobis in Euchariſtia largitur,

Digitized by Google

ur, largiri debet ex venis, ex car-
ibus, & a reliqua hominis ſubſtan-
ia, quia ex his dumtaxat vere eſt
Sanguis. Si Chriſtus dat nobis in Eu-
chariſtia verum Sanguinem, fas eſt aſ-
erere, veras venas, veras carnes, ve-
am hominis habuiſſe ſubſtantiam, &
Deum re vera hominem eſſe factum.
Me latet quid Calviniſtæ hic valeant
eſpondere, quippe cum quod Deus
nobis largitus ſit verum Sanguinem,
Irenæus inferat Chriſtum verum in ſe
abuiſſe Corpus, & Sanguinem, pro-
ecto nulla poteſt admiſceri *figura* quam
pſi tam facile componunt, ſiquidem
i Chriſtus in Sacramento largitus non
ſſet verum Sanguinem, ſed quan-
lam Sanguinis ſui *figuram*, tum etiam
i id Iræneus ſenſiſſet, actum eſſet de
ua cauſa, & ratione, cum ſtatim in-
urrexiſſet *Gnoſticus*, inquiens nempe
dcirco Chriſtum non verum Sangui-
em in Euchariſtia, ſed nudam *figu-
am* nobis reliquiſſe, quia non ha-
ente in ſeipſo nec verum Sanguinem,
ec veram humanitatem, nonniſi ima-
inarium Sanguinem, qualem nimirum
culis hominum præſentabat, nobis
nyſtice præſtare poterat. Attende
unc qua ratione probet Irenæus car-
em eſſe reſurrectionis capacem. Si
aro incapax eſt incorruptibilitatis,
eque calix Euchariſticus communi-
atio erit Sanguinis, neque panis Eu-
chariſticus communicatio erit Corpo-
is Chriſti, etenim ſi Euchariſtia ve-
um, & proprium eſt Corpus, & San-
uis Chriſti, *quando ergo & mixtus
alix, & factus panis, percipit verbum
Dei, & fit Euchariſtia, Corpus, &
ſanguis Chriſti, ex quibus augetur,
& conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia,
uomodo carnem negant capacem eſſe
'onationis Dei, quæ eſt vita æterna,
ua Sanguine, & Corpore Chriſti nu-
ritur, & membrum ejus eſt*. Quid
videntius? Ad cujus confirmationem
exemplum ſumit, ſive melius paradig-
ma ex mutationibus quibus ſubjicitur
riticum, & vitis, antequam fiat pa-
is, & vinum Euchariſticum, & mu-
ationibus, quibus ſubjicitur caro ante
eſurrectionem, quæ mirum in mo-

dum tranſubſtantiationem probant, ita diſſerens: *Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terram, ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum, multiplexque ſurgit per ſpiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam Dei in uſum hominum veniunt, & percipientia verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt Corpus, & Sanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora, ex ea nutrita, & repoſita in terram, & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore, verbo Dei reſurrectionem eis donante &c.* Hic ex ea quę accidit ſubſtantialis mutatio, tum in tritico ut panis fiat, tum in pane ut fiat Corpus Chriſti, alia infertur ſubſtantialis mutatio, de terra, in quam caro reſoluta, in novam carnem renovanda erit in ultima reſurrectione. Certum igitur primis illis ſeculis adeo erat de pane, quod fieret ex immutatione ſubſtantiæ ſuæ verum Corpus Chriſti, quo certum erat granum tritici poſt varias mutationes panem fieri. Aderant enim qui facilius negabant poſſibile carnem reſolutam in novam carnem redire, quam qui negaſſent poſſibile panem mutari in Corpus Chriſti, ſiquidem hoc ab omnibus præſupponebatur, tum Catholicis, tum hæreticis, illud autem *a Gnoſticis* inficiabatur. Recogita hæc omnia Calvinianæ ſectæ Patrone, & te pudeat impudicis labiis tam putida ſcommata evomere adverſus Profeſſores dogmatum adeo venerabilium, quæ fides primo lacte enutrivit; deinde, ſi tantum valeas, quæſo reſpondeas.

32. Ad ea D. Pauli verba 1. *Cor.* 11. 27.: *Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*, Panigarola animadvertit hoc dici: *Reus erit non figuræ, ſed Corporis, & Sanguinis Domini*; cui reponis Apolog. *pag.* 340.: *Qui reus eſt violati ſigni, reus eſt violationis ſignati*. Quod reſponſum, pace tua, ridiculum eſt, nec dictatis tuis accommodatum. Qui Chriſti Iconem violaret, & contume-

meliis afficeret, ſignum læderet, & ejus figuram, nunquid, ex dictatis tuis, reus fieret Corporis Domini? Qui ſic aſſerat, reos facit Calviniſtas omnes, jamque me bene capis. Permitte ergo ita me diſſerere. Ex doctrina veſtra, panis figura eſt Corporis Chriſti, quemadmodum Icon figura, & ſignum eſt ipſius Chriſti. Qui Iconem violaret, ut impie aſſeritis, non violaret, nec reus eſſet læſi ſignati, licet illa ſignum ſit. Ergo qui panem violaret, merum ſignum Corporis Chriſti, reus non eſſet Corporis Chriſti; nec D. Paulus, dum ait qui manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini, interpretari valet, ſenſiſſe in pane Corpus Chriſti in figura tantum haberi. His pariter a Caira reſponſum attendam. Inſuper addis: *Cum Corpus Chriſti in Euchariſtia in figura tantum inſit, ſi hanc veneremur, rei erimus Idololatriæ, quia veneraremur Panem, non Chriſtum.* Hìc locum non habet regula tua de ſigno ad ſignatum, vis autem eam valere de violato pane ex te mero ſigno, ſigno ad violatum Chriſti Corpus? O Cairina fides, quam negare data non pudet! Enimvero nec te pudet Panigarolam adhuc vexare, quod dixerit *tranſubſtantiatum panem non amplius appellari panem*; at, ais, *D. Paulus 1. Cor 12. 26. 27. 28.* inquit: *Qui manducat ex hoc pane. Immo ter panem vocat in tribus ejuſdem capituli verſiculis, qui in Euchariſtia manducatur*. Inde ſuſcipis: *Franciſce, putas ne, ſi mens D. Pauli fuiſset, panem illum in Corpus Chriſti fuiſſe tranſubſtantiatum, non hunc vocaſſet Chriſti Corpus? Ita ſane. Quæ ratio aptior ad flectendos Corinthiorum animos, ac dicere: Hei, quid agitis? Quod in ſacra menſa comeditis, non eſt panis, caro eſt Filii Dei. At D. Paulus ait: Qui manducat hunc panem*. Hactenus tu. At Panigarola *Lect. 16. pag. 270.* non abſolute ait, in Scripturis *tranſubſtantiatum panem non amplius dici panem*, ſed a Chriſto in ipſa inſtitutione Sacramenti; dum Evangeliſtæ acceptum quidem a Chriſto panem fuiſſe referant, ſed quod inde Apoſtolis dedit, narrant non panem a Chriſto appellatum fuiſſe, ſed *Corpus ſuum*. Verba Panigarolæ ſunt ,, En Matthæum: ,, *Accepit panem*, inde Apoſtolis di- ,, ſtribuens: *Hoc eſt Corpus meum*. ,, Ecce Marcum: *Manducantibus il-* ,, *lis, accepit Jeſus panem*; inde: ,, *Sumite, hoc eſt Corpus meum*. ,, En Lucam: *Et accepto pane*; in- ,, de: *Dedit eis, dicens hoc eſt Corpus* ,, *meum*. Ecce Paulum: *Accepit panem*; ,, inde: *Accipite, & manducate, hoc eſt* ,, *Corpus meum*. Dum accipitur ſemper ,, panis dicitur, dum diſtribuitur Corpus ,, Chriſti appellatur ,,. Sic Panigarola animadvertit, cui cum non reſpondeas, ſtat adhuc ejus ratio. Quod autem D. Paulus *Panis* nomine tranſubſtantiatum panem appellaverit, non inficiatur; attamen de hoc pane ſubjecit: *Qui manducat hunc panem indigne, reus erit Corporis Domini*; unde panis ille tranſubſtantiatus eſt in Corpus Chriſti, alias ſi nuda eſſet Corporis ejus figura, ut ſomniaris, a D. Paulo non adderetur, qui manducat indigne, reus ſit Corporis; immo, ut notavimus, ſecundum te id nec addere poterat. Præterea Panigarola conſiderat, D. Paulum Euchariſtiam non panem utcunque, ſed *Panem hunc* deſignare tribus ubique locis, ut ſignificet de illo pane loqui, de quo ſupra præmiſerat a Chriſto appellatum Corpus ſuum *1. Cor. 11. 24.*: *Accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum*. Panis quem Chriſtus dixerat ſuum eſſe Corpus, panis antea, poſt vero non panis, ſed ſuum verum Corpus erat. Dicente itaque D. Paulo: *Quicunque manducaverit hunc panem*, idem erat ac ſi Corinthiis diceret: *Qui manducat Corpus Chriſti indigne*; ſive: *Panis, quem in ſacra menſa comeditis, caro eſt Filii Dei*. D. Juſtinus Martyr Apologia II., fidem Chriſtianorum deſcribens, & deſcendens ad ea quæ faciebant, & credebant in Euchariſtia, ait: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Chriſtus Jeſus ſervator noſter, & Carnem, & Sangui-*

nem

em ſalutis noſtræ cauſa habuit : ad eunem modum etiam , in qua per preces erbi ejus ab ipſo profecti gratia ſunt cta , alimoniam, unde ſanguis , & cao noſtra per mutationem aluntur , in arnati illius Jeſu Carnem & Sanguĕ em eſſe edocti ſumus . Nam Apoſtoli n commentariis a ſe ſcriptis , quæ E angelia vocantur , ita tradiderunt rareceptiſſe ſibi Jeſum ; eum enim pane ccepto, eum gratias egiſſet, dixiſſe : Hoc acite in mei recordationem : Hoc eſt orpus meum . Et poculo ſimiliter acceto , & gratiis actis , dixiſſe : Hic eſt anguis meus . Hæc ſecundi ſeculi comunis fides . D. Paulus tamen *panis* omenclaturam tribuit pani tranſubtantiato in Corpus Chriſti , quia tſi in ſubſtantia non ſit, in accidentibus tamen ſpeciem retinet panis,tum tiam quia, ut notat Panigarola , non ſt a phraſi Scripturarum alienum , em appellari quo nomine non it , ſed erat , quæque in aliam conerſa eſt , quaſi mutata non eſſet . Eemplum ſubeſt *Exod.* 7. 12., ubi leitur Moyſis virgam Magorum virgas evoraſſe : & tamen non amplius viræ , ſed ſerpentes erant . Chriſtus aud D. Joannem Lazaro dixit: *Laza e veni foras* , nec tamen Lazarus eat, ſi inter vivos non erat; quocirca D. aulus poterat Euchariſtiam nomine anis appellare , etſi non eſſet , potiſime quod non abſolute , ſed certis ttributis ita eam appellaverit , quius certo innoteſcebat non qua prius anem eſſe .

33. Alter textus D. Pauli a Paigarola relatus nempe eſt : *Qui manucat , & bibit indigne , judicium ſii manducat , & bibit , non dijudicans orpus Domini .* Apologię *pag.* 349. c occurris : *Perfectiſſimum hoc eſt anidotum contra tranſubſtantiationem*; eenim : *Quicunque manducat panem Euchariſtiæ, poteſt in æternum perire . Qui manducat carnem Chriſti, non peibit in æternum . Ergo qui manducat anem Euchariſtiæ non manducat carem Chriſti . Propoſitio eſt D. Pauli; ſumptio eſt Chriſti apud D. Joannem ap. 6., ut videbimus .* Antidotum contra tranſubſtantiationem ? Attendamus an verum ſit . Qui manducat , & bibit indigne , Corpus Domini non dijudicat, ideſt ab aliis profanis cibis ; ergo quod comeditur in menſa Domini , eſt Corpus Domini . Qui manducat panem Euchariſtię indigne, poteſt in æternum perire : ita D. Paulus . Qui carnem Chriſti manducat in typo , & fide, non poteſt in æternum perire : ita Chriſtus apud D. Joannem . Ergo qui manducat panem Euchariſtiæ , non manducat Chriſti carnem, neque in typo , neque fide . Quis hercle te Picenine docuit ratiocinandi leges ? Si in propoſitione particulam apponis *indigne* , cur in aſſumptione hanc omittis ? Non capis ſyllogiſmum eſſe omni ſibilo dignum , & fallaciis ſcatere ineptiſſimis juxta ſanæ dialecticæ leges , nihil autem concludere , cum quatuor redundet terminis ? Si dicerem : Qui Evangelio credit , quod non obſervet , poteſt in æternum perire . Qui vero credit verbo Dei, non poteſt perire in æternum. Ergo qui credit Evangelio, non credit verbo Dei ; recta ne eſſet argumentatio ? Porro ita nimirum tu , qui in hunc modum argumentum inſtituere debebas : Qui manducat panem Euchariſtiæ, indigne , poteſt in æternum perire . Qui manducat carnem Chriſti indigne, non poteſt in æternum perire . Ergo qui manducat panem Euchariſtiæ, non manducat carnem Chriſti . At in hoc ſyllogiſmo aſſumptio eſt falſa . Inſtas : *Os non recipit niſi panem .* Quis negat ? Putas carnem Chriſti communem eſſe carnem , quæ intret in os , & dentibus teratur ? Os ſumit , & mandit accidentia , ſive ſpecies panis ; quia tamen iſtis ſubſtat non in figura , ſed verum Corpus Chriſti , vice ſubſtantiæ panis , qui hæc violare audet , non in figura , ſed re ipſa violat Corpus Chriſti , qui ſub ipſis continetur . O perfidia hæreticorum noſtræ hujus ætatis ! Audiunt D. Paulum prædicantem : *Reus erit Corporis , & Sanguinis Domini non dijudicans Corpus Domini*, & audent, ac nituntur ad *figuram*,&

ten-

ſenſum tropicum, & chimericum tam perſpicui ſermonis detorquere obvium ſenſum!

§. V.

Jeſus Chriſtus apud D. Joannem loquitur de Eucharistia.

34. PAnigarola in *cap.* 6. Joann. ſupponit Chriſtum ibi loqui de Euchariſtia. Contendis autem Apologiæ *pag.* 349. *&c.*, ipſum falli *ex ſententia etiam plurium ſcriptorum ſuæ communionis, inter quos Innocentius III., Æneas Silvius, ſive Pius II., D. Thomas, Janſenius, aliique a Molinæo in Anatom. Miſſæ Lib.* 2. *cap.* 4. *citati, qui perſpicue docent, præfato capite deſcriptam eſſe comeſtionem carnis Chriſti mere ſpiritualem, non illam quæ in Euchariſtia ſupponitur. Ipſa Tridentina Synodus, ut Salmeronus refert, noluit definire qui ſenſus eſſet verborum Chriſti laudato capite.* Ut Molinæi ſimul, & tuus conſtaret error, opportunum eſſet hic longam texere Patrum, & Doctorum primæ notæ, tum veterum, tum recentium ſeriem, a quibus prælaudata Chriſti verba de *comeſtione* non mere *ſpirituali*, ſed *Sacramentali* accepta fuerunt. Hanc tamen Provinciam, ne videar acta jam iterum faſtidioſe agere, videndam committo apud Maldonatum, & Cornelium a Lapide, ad quos in præſens appello. Pius II., & Janſenius, attentiſſime a me conſiderati, de comeſtione ſpirituali, quæ tamen Sacramentalem non excludat, produnt Chriſtum loqui potuiſſe. Adverte *Æneam Silvium* cum *Pio II.* te confudiſſe, quaſi *Æneæ* dicta, una ac *Pii* ſumi debeant. Multa dixit, & ſcripſit Æneas Silvius, quæ poſtea retractavit factus Pius. In Tomo I. Bullarii *pag.* 323. edit. Rom. ita de ſe loquitur: *Sequimini quæ nunc dicimus, & ſeni magis, quam juveni credite, nec privatum hominem pluris facite, quam Pontificem. Æneam rejicite, Pium recipite. Illud gentile nomen parentes indidere naſcenti; hoc Chriſtianum in Apoſtolatu ſuſcepimus.* Neceſſarium fuit hoc monitum, ut notum ſit, tametſi *Æneas Silvius* a communi Doctorum Romanæ communionis ſententia, hac, vel illa opinione receſſiſſet, deduci non poſſe ita etiam Pium II. ſenſiſſe. Quod ad D. Thomam attinet, cum ejus Opera ab omnibus fere frequentiſſime revolvantur, facile quiſpiam de ſe poterit fraudem, & calumniam deprehendere, quam adverſus tantum Doctorem auſus es Picenine machinari: ſiquidem 3. *p. qu.* 79. *art.* 1. *in corp.* ex præcitatis Chriſti verbis apud D. Joannem probat Euchariſtiam conferre gratiam. Chriſtus, ait, *in hominem Sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur, ſecundum illud Joan.* 6. *Qui manducat me, vivet propter me. Unde & Cyrillus dicit (Lib.* 4. *in Joan. cap.* 2.*), vivificativum Dei Verbum, uniens ſeipſum propriæ carni, fecit ipſam vivificativam; decebat enim, eum noſtris quodammodo uniri corporibus per ſacram ejus Carnem, & pretioſum Sanguinem, quem accipimus in benedictionem ſanctificativam in pane, & vino.* Ut oſtendat inde Euchariſtiam cibum eſſe confortativum, ait: *Unde & ipſe Dominus dicit Jo.* 6. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.* Legatur ibidem 3. *p. q.* 76. *ar.* 1. *ad.* 2., & pluribus aliis locis. Sed præſtat ipſum audire ſuper laudatum D. Joannis caput *Lect.* 6., ubi ad verba *Et panis quem ego dabo, caro mea eſt &c.*, ita ſcribit: *Auctor hujus Sacramenti Chriſtus eſt. Nam licet Sacerdos conſecret, tamen ipſe Chriſtus dat virtutem Sacramento .... & ideo dicit: Quem ego dabo; quia nondum inſtitutum erat hoc Sacramentum. Veritas hujus Sacramenti inſinuatur cum dicit: Caro mea eſt; non dicit autem (attende) carnem meam ſignificat, ſed caro mea eſt, quia ſecundum rei veritatem, hoc quod ſumitur, vere eſt Corpus Chriſti &c.* Videatur & *Lect.* 7. ad ea verba: *Qui manducat meam carnem &c.* Hic ille D. Thomas, de quo Molinæus, & tu ais, verba laudata Chriſti ſumere in ſolo ſenſu *ſpiri-*

ituali. Innocentius autem ex verbis :ap. 6. D. Joannis probat realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia. Cum autem ſermo quem habet *lib.* 4. *de myſter. Miſſæ cap.* 7. ad rem valde faciat, late ipſum referam. Poſtquam dixit: Panis licet fuerit, quem Chriſtus accepit, Corpus tamen erat quod diſtribuit, ſiquidem panis mutatus fuit in Corpus; ſubdit: *Non enim, ut hæreticus ſapit, ſed deſipit, ita debet intelligi, quod Dominus ait: Hoc eſt Corpus meum; ideſt hoc ſignat Corpus meum, ſicut quod dicit Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus; ideſt Petra ſignificabat Chriſtum.* „ Etenim hoc „ potius de paſchali agno pronuntia„ re, quam de azymo debuiſſet, quip„ pe quod agnus paſchalis proculdu„ bio Chriſti Corpus figurabat, azy„ mus vero ſincerum opus ſignifica„ bat. D. Joannes Baptiſta dictum „ ſuum definivit *Ecce Agnus Dei*, „ hoc additamento: *Ecce qui tollit* „ *peccata Mundi*. Chriſtus dictum ſu„ um definivit *Hoc eſt Corpus me*„ *um*, his vocibus: *Quod pro vobis tra*„ *detur*. Si ergo Chriſti Corpus „ *veraciter tradebatur, ita vere demonſtrabatur, non in figura, quæ jam ceſſaverat, ſed in veritate, quæ jam advenerat. Sane cum litigarent Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo hic poterit carnem ſuam dare nobis ad manducandum? dixit illis Jeſus: Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam. Ideo dicit: Amen, amen: In veritate in veritate, ut non figurative, ſed vere intelligatur quod dixit: Niſi manducaveritis &c. Et ad majorem veritatis expreſſionem, adjunxit: Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus.* Ita loquitur Innocentius ille III., qui, ut garris, non conſentit in *Cap.* 6. Joannis ſermonem haberi de Euchariſtia. Vide lector, qua fide ſuſcipiendæ ſint Calvini Prædicantis allegationes.

35. Si ex noſtris quiſquam ſit, qui Chriſti verba de comeſtione intelligat mere *ſpirituali*, quanti valet contra Patres primævæ ætatis, qui verba Chriſti ad Euchariſtiam referenda eſſe intellexerunt? Hujus veritatis teſtes ſunt Irenæus *Lib.* 4. *cap.* 34., Origenes *Hom.* 6. *in Num.*, D. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ. 4., D. Ambroſius *Lib.* 4. *de iis qui myſt. initiantur*, et *Lib.* 6. *de Sacram. cap.* 2., D. Chryſoſtomus, D. Auguſtinus, D. Cyrillus Alexandrinus *in cap.* 6. *Joan.*, Theodoretus *Lib.* 4. *h. ſt. cap.* 2., D. Leo *Hom.* 6. *de Jejun. ſeptimi menſis*, Caſſiodorus *in Pſal.* 107., aliique in ſequentibus ſeculis. Judicet porro lector, quæ illius auctoritas ſit, qui contradicit primis Patribus, & Magiſtris dignioribus Eccleſiæ Chriſti. Egregiæ tot inſignium virorum auctoritati addatur, quod ſi unquam Chriſto placuiſſet alicubi de Euchariſtia loqui, eamque graphice deſignare, verbis non potuiſſet magis perſpicuis rem conficere. Quid enimvero referunt verba illa, *Caro*, *Sanguis*, *Manducare*, *Bibere*? Chriſtus *Joann.* 3. 5. ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*; & omnes, præter Calvinum unum, intelligunt de Baptiſmo ſermonem eſſe. Chriſtus *Joan.* 6. 53. ait: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem &c.*, nec de Euchariſtia intelligendus erit hic ſermo? Conſueverat Chriſtus myſteria ſua verbis proponere, antequam poneret opere, nimirum ut facta a diſcipulis libentius crederentur, nec admiratione hærerent: *Ut cum factum fuerit credatis ...ut non ſcandalizemini; ...ut eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* *Joann.* 13. 19., *Cap.* 16. 1. 4. Ante inſtitutionem Baptiſmi præmiſerat *Joan.* 3. 5.: *Niſi quis renatus fuerit &c.* Antequam morti ſe traderet, paſſionem, & mortem ſuam prædixit. Antequam ad Cælos aſcenderet, inquit *Jo.* 16. 28. 5.: *Ego vado ad Patrem ... Vado ad eum, qui miſit me.* Ante miſſionem Spiritus Sancti, ſic eum promiſit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* *Jo.* 14. 16 Se prænuntiaverat reſurrecturum. *Matth.* 16. 21. Euchariſtia autem, Corporis & Sanguinis ſui Sacramentum, potiſſimum ſuæ dilectionis opus, ineffabile myſterium, non erat præconizandum, pro-

promittendumque, priuſquam formaretur, ne improviſum opprimeret, neve imparata contremiſceret fides? Porro ſi id Chriſtus & debuit, & fecit; ubinam, quam prælaudato *Cap.* 6.? Proteſtantes fatentur de ſumenda Euchariſtia præceptum urgere, quod niſi a Chriſto propoſitum eſſet, aſſerunt omnes non coercere. Ubinam autem loci hoc deſumere valent extra prædicti capitis verba: *Niſi manducaveritic carnem filii hominis &c., non habebitic vitam in vobis?* Verba illa: *Accipite, & manducate*, præcepti vim non habent, ſed adſtantium invitatio erat, non omnibus facta. Ea autem: *Hoc facite in meam commemorationem*, formam non ſapiunt præcepti, ſed potius finem explicant, cujus gratia facientes facerent. Si Euchariſtia, ut eſt Sacramentum, gratiæ promiſſionem, etiam in doctrina Proteſtantium, annexam habere debet, quo indagari poterit hujuſmodi promiſſio Chriſti, quam ibi: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, Joan. 6. 5. Qui manducat hunc panem vivet in æternum? Ibid. verſ.* 59. Hæ animadverſiones efficaciſſimæ, præter verborum Chriſti perſpicuitatem, ſatis evincunt inibi Chriſtum Euchariſtiæ inſtitutionem auſpicatum fuiſſe. Quoniam vero nimium Picenine vides, ſi verba illa de Euchariſtia intelligantur, actum iri chimæricum tuum typicum ſenſum; idcirco pernegas de Euchariſtia inibi loqui. Miror tamen perfidiam tuam, invidam etiam Præceptori tuo amantiſſimo, Calvino ſcilicet, qui non dubitat Caput illud Euchariſtiæ accommodare, ut videre eſt *Lib. 4. Inſt. cap.* 17. §. 1., & alibi. Tridentina autem Synodus, etſi conceptis verbis non decreverit, qui ſenſus fuerit verborum Chriſti *Cap.* 6. D. Joannis; attamen dum hujuſmodi verba Euchariſtiæ coaptet, ut *Seſſ.* 13. *cap.* 2. & 4. facit, ſatis ſe probare Chriſtum ibi de Euchariſtia fuiſſe loquutum indicavit.

36. Sed præſtat adhuc te audire *pag.* 350. opponentem: *Capharnaitas a Chriſto jam paſtos, avidos fuiſſe panis terreſtris, quorum cupiditatem Chriſtus ut vinceret, de cæleſti pane ſermonem inſtituit, tanquam indeclinabiliter ipſis neceſſario. Panis hic Chriſtus erat, quemadmodum ipſe erat aqua viva Samaritana promiſſa Joan.* 4. 10. *Quemadmodum autem fas erat aquam bibere hauſtu omnino ſpirituali, ita panem manducare eſu omnino ſpirituali.* Utique Chriſtus Samaritanæ potum dare promiſit *aquam* ſalientem, neutiquam autem ſe eſſe hujuſmodi *aquam*, quemadmodum hic panem ſeipſum aſſeruit: *Qui bibit ex aqua, quam ego dabo ei.* Sic Samaritanæ *ibid. verſ.* 13. *Ego ſum panis vivus... Si quis manducaverit ex hoc pane.* Ita Capharnaitis *Jo.* 6. 41. 52. In aqua a Chriſto Samaritanæ promiſſa, Baptiſmus, quo abluitur corpus, & mundatur anima, a D. Cypriano *Epiſt. ad Cæcilium*, aliiſque ſignificatus agnoſcitur. At in pane Sacramentum inſtituit Euchariſtiæ, dum accepto pane ait: *Hoc eſt Corpus meum*; quamobrem dum apud D. Joannem ipſum audiamus, *panem* promittendo, dicere: *Ego ſum panis vivus*, & *qui manducat meam carnem habet vitam in ſemetipſo*, omni ratione ducimur credere, panem indicaſſe, & Corpus ſuum in Sacramento, quod inſtituere deſtinabat, & conſequenter de eſu, & potu non mere ſpirituali, ſed Sacramentali & ſenſibili fuiſſe locutum. *Quare* (D. Auguſtinus *Tract.* 26. *in cap.* 6. *Joan.*) *manducaverunt, & mortui ſunt? Quia quod videbant credebant, quod non videbant non intelligebant.* Quare autem alii manducaverunt, & mortui non ſunt? *Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt, ſpiritaliter guſtaverunt &c.* Subjicit inde: *Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum. Sed aliud eſt Sacramentum. Aliud virtus Sacramenti, quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur. & accipiendo moriuntur.* Comparationem itaque Chriſtus inſtituebat inter manna cibo datum Hebræis, & panem quem fidelibus ſuis promittebat. Si manna nedum ore, ſed ſpiritu manducabatur, panis etiam quem promittebat, panis erat nedum ſpiritu, ſed ore ſumendus: hic autem,

ju-

Digitized by Google

xta D. Auguſtini intellectum, panis rat Euchariſticus. Veruntamen quia l hunc digne manducandum non ſufficit venter, ſed requiritur fides, ropterea addit S. D. *Tract.* 25. *in p.* 6. *Joan.: Ut quid paras dentem, & utrem? Crede, & manducaſti.* Quorca Chriſtus, ut fideles ſuos diſporet ad ſui Corporis viſibilem manicationem, quæ ipſis in Sacramento odeſſet, eoſdem inſtruere inſtituit uomodo ſpiritualiter ipſum manduce deberent, nempe ad ipſum eundo, in ipſum credendo, quæ neceſſaria ſpoſitio eſt ad fructum Sacramenti recipiendum. Ergo Picenine ſemper ecus eris in tui erroris caligine, nidiſcernere diſcas in ſermone Chri- quæ in exordio ſunt, quæ vero in roceſſu ſequantur. In exordio de ſpirituali comeſtione fidei omnino loquitur, ſed a ſpirituali, qua diſcipurum animos intus paraverat, tranſit l aliam, nempe Sacramentalem coeſtionem: *Caro mea vere eſt cibus,* *ſanguis meus vere eſt potus.* Hæc ariter D. Auguſtini intelligentia eſt ico citato *Tract.* 26. *in Joann.* Primum portet ad Chriſtum ire, & in ipſum redere, quod eſt ſpiritualiter ipſum anducare; deinde oportet ad ſacram enſam accedere, Corpus illius ſuicere, & Sanguinem bibere, quod eſt acramentaliter ipſum manducare: in umma, *aliud eſt Sacramentum, aliud irtus Sacramenti.* Quot Sacramentater ipſum manducant, qui non ſpiitaliter manducantes, non vitam, ſed orrem potius recipiunt? *Quam mul- de Altari accipiunt, & moriuntur, accip endo moriuntur!*

37. Iterum garris Apolog. *pag.* 351., *hriſtum loqui de manducatione per uam in me manet, & ego in ipſo. Er- non loquitur de manducatione Paigarola, juxta quem, conſumptis in omacho ſpeciebus, non amplius manet hriſti Corpus. Ergo loquitur de ſpiituali manducatione, qua fit credendo hriſtum per fidem in nobis habitare.* Erras ſemper hic ſermo tuus oritur ex afectatiſſima ignorantia tua, dum non capere diſſimules aliud eſſe Chriſtum Sacramentaliter in nobis manere, aliud ſpiritualiter in nobis eſſe per gratiam, & fidem. Conſummatis in ſtomacho ſpeciebus, Sacramentaliter nobiſcum amplius non manet Chriſtus, manet tamen per gratiam ſpiritualiter in anima communicantis: ſi autem ſermo factus Panigarolam tangit, te quoque tangit, qui tenes, Chriſtum in pane eſſe ſaltim in typo. Chriſtus de illa manducatione loquitur, qua qui manducat in Chriſto manet, & Chriſtus in eo; at Calviniſtarum manducatio talis eſt, qua digeſto pane in ſtomacho, non amplius, nec in typo, Chriſti Corpus manet: ergo Chriſtus non loquitur de manducatione Calviniana. At inſanum profecto eſt quod ſubdis, nimirum: *Si Chriſtus manet in Fratre, quia Frater manducat Chriſtum, ita ſi Frater manere debet in Chriſto, Chriſtus manducare debet Fratrem.* Attende me. Si Chriſtus maneret in Picenino, quia Piceninus in Chriſtum credit, Piceninus deberet manere in Chriſto, & ſic Chriſtus in Piceninum credere. Hi porro vortices ſunt frequentiſſimi, qui ſemper te miſere abſorbent. Si hic ſermo vim habet, Chriſtum nempe in Calviniſta eſſe, quia in Cœna manducat typum Corporis Chriſti, ergo Calviniſta in Chriſto eſt, quia Chriſtus manducat typum Corporis Calviniſtæ. Si Calviniſta in Chriſto eſſe poteſt, quem credit, & in typo manducat, quin Chriſtus manducet, & credat in Calviniſtam, quare Catholicus non poteſt eſſe in Chriſto, quem in Sacramento realiter manducat, quin Chriſtus manducet Catholicum? Chriſtus Sacramentaliter in me manet, propterea ipſum manduco, non ego tamen Sacramentaliter in Chriſto maneo, propterea Chriſtus me non manducat. Apage vero cum nugis hiſce tuis ineptiſſimis.

38. Suſcipis Apolog. *pag.* 351.: *Poteſt Euchariſtia manducari, & perire, ſi manducetur indigne. Caro autem Domini nequit indigne manducari, ſiquidem manducare eſt credere.* Ergo

Ergo Chriſtus de manducatione non loquitur juxta ritum Panigarolæ: ſiquidem multi ſumentes Euchariſtiam pereunt. Unde habes quod caro Chriſti nequeat *indigne* manducari? Indigne accedens ad Sacramentum, quare non manducat carnem, nec bibit Sacramentaliter Sanguinem Chriſti? Qui manducat Euchariſticum Panem, Sacramentaliter manducat carnem Chriſti, re ipſa juxta fidem Catholicam, juxta ſectam Calvinianam *typice*. Panis Chriſti *indigne* manducari poteſt, ut ſupponit D. Paulus 1. *Cor.* 11.: *Qui manducat, & bibit indigne &c.* Ergo in Sacramento manducari poteſt caro Chriſti, & *indigne* manducari. D. Auguſtinus Tract. 26. *in Joannem* ad prælaudata verba: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti, ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat, & bibit, quia immundus præſumpſit accedere ad Chriſti Sacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt*. Et in *Tract.* 27.: *Multi denique, qui vel corde ficto carnem illam manducant, & ſanguinem bibunt, vel cum manducaverint, & biberint apoſtatæ fiunt, nunquid manent in Chriſto, & Chriſtus in eis? Non ergo quocunque modo quiſpiam manducaverit carnem, & biberit ſanguinem Chriſti, manet in Chriſto &c.* Poteſt igitur caro Domini manducari, & *indigne*, atque reminiſci debebas exclamationis ejuſdem S. Doctoris *Tract.* 26. *in Joann.*: *Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur!* Inſurgis ſolitis garritibus tuis, Ambroſium revocans *in Pſ.* 118. *ſerm.* 18. *num* 5. dicentem: *Chriſtus eſt mihi cibus, mihi potus. Quomodo morietur habens pro cibo vitam*. Sed ignoras D. Ambroſium loqui de eo qui cibum illum manducat nedum Sacramentaliter, ſed ſpiritaliter; tum etiam neſcis cibum de ſe ad ſalutem operari, ſed male affecto nocivum eſſe. Ita Chriſti caro in Sacramento cibus eſt vitæ, ſed mors *indigne* ſumenti: *Et ſancta poſſunt obeſſe* (D. Auguſtinus *Tract.* 6. *in Joann. num.* 15. *de Conſecr. diſt.* 2. *Cap. Et ſancta*). *In bonis enim ſancta ad ſalutem inſunt, in malis ad judicium. Certe enim fratres novimus quid accipiamus, & utique ſanctum eſt quod accipimus, & nemo dicit non eſſe ſanctum: & quid ait Apoſtolus? Qui autem manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit. Non ait quia illa res mala eſt, ſed quia ille malus, male accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. Nunquid enim mala erat buccella, quæ tradita eſt Judæ a Domino? Abſit. Medicus non daret venenum: ſalutem medicus dedit; ſed indigne accipiendo, ad perniciem accepit, qui non pacatus accepit*. Si Chriſtus de carnis ſuæ comeſſatione loquens, vitam manducanti promittit nulla facta exceptione, hanc tamen D. Paulus interſerit: *Probet autem ſe ipſum homo &c.* Chriſtus vero eam non appoſuit, quia hæc verba *Qui manducat meam carnem &c.*, pronuntiavit pone cum jam auditores ſuos docuerat digne manducare, ſcilicet ſpiritualiter fide, priuſquam Sacramentaliter carnem ſumerent; quare ſubdens: *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo, & vivet in æternum &c.*, idem apud ipſum erat, ac dicere: Qui manducat meam carnem *fide viva*, & bibit meum ſanguinem, non peribit in æternum.

39. At iterum *pag.* 351. blateras, *Chriſtum loqui de eſca neceſſaria, & ad uſum, pro tempore quo Galilæis hæc prædicabat. Qui manducat meam carnem &c., niſi manducaveritis carnem &c., verba ſua ſunt de præſenti, non de futuro. Ergo non loquitur Chriſtus de manducatione carnis ſuæ in Sacramento, quod nondum inſtituerat*. Immediate tamen verba pronuntiaverat de futuro, *Joan.* 6. 51.: *Panis quem ego dabo... Si quis manducaverit... Niſi manducaveritis &c., non habebitis vitam in vobis*;

is; quibus infertur hæc propoſitio: .i manducaveritis, habebitis vitam n vobis; quamobrem ſubdendo *Qui nanducat &c.*, fit locutio cauſalis, juaſi dicat: Quia qui manducat meam arnem, & bibit meum ſanguinem, in ne manet, & ego qui vita ſum in pſo maneo. Enimvero ubique, ſed ie potiſſimum, uſu Scripturarum ignarum te prodis, quod interdum præſens pro futuro, vel præterito uſurpare ſoleant. Chriſtus apud D. Lucam ajebat: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*. Corpus Chriſti dari in proximo deſtinabatur, ſed nondum dabatur, quare præſens pro futuro poſitum eſt. Quomodo dictum illud intelliges D. Pauli *Ephes.* 2. 6., Deus nos *conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu?* Id porro fiet, ſed factum non fuit: quid igitur factum a D. Paulo dicitur? Vide D. Hieronymum in Commentariis *Cap.* 2. *ad Epheſ.*; ubi inter cetera duo hæc reſponſa reddit, nempe in divina præſcientia quod futurum eſt pro facto accipi, atque hunc eſſe Scripturarum morem, futurum per præteritum declinare; & plura exhibet exempla. Tu nihilominus hariolari non ceſſas, inquiens, *Chriſtum loqui de manducatione, quæ aſcenſioni ſuæ in Cælum non repugnet: hinc non loqui de vera manducatione carnis ſuæ, quam dum Panigarola in Cælo eſſe credit, mille millium locorum eſſe fingit ſuper terram*. Oſtendi jam, veram carnis Chriſti comeſtionem, neque aſcenſioni, neque ſtationi ejus in Cælo ullam habere repugnantiam: ibi enim localiter præſens apprime credi poteſt, quin de Sacramentali ejus præſentia millibus millium locis ſuper terram contingat dubitare.

40. Nec ceſſas *pag.* 351. ineptiis faſtidire tuis, ſcilicet quod *cum Servator cognoſceret de his diſcipulos ſuos murmurare, ait: Hoc vos ſcandalizat? Quid ergo ſi videritis filium hominis aſcendentem ubi erat prius? Quod vult innuere, ut explicat D. Auguſtinus Tract.* 27. *in Joannem: Cum videritis filium hominis aſcendentem ubi prius erat, tunc intelligetis diſtribuere Corpus ſuum non eo modo quo putatis. Tunc intelligetis non morſibus conſumi gratiam ejus*. Quomodo reputabant diſcipuli Chriſtum Corpus ſuum eſſe diſtributurum? Forte quod in fruſta conciſum viſibiliter erogaturus eſſet, ex quo ſcandalum ſumebant. Quamobrem ut errorem Chriſtus tolleret, ait: Cum videritis filium hominis aſcendentem in Cælum omnino integrum, tunc intelligetis non eſſe eo modo quo putatis: *Illi enim* (ait D. Auguſtinus) *putabant eum erogaturum Corpus ſuum, ille autem dixit ſe aſcenſurum in Cælum, utique integrum. Certe vel tunc videbitis quia non eo modo, quo putatis, erogat Corpus ſuum. Certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non conſumitur morſibus*. Non ergo D. Auguſtinus negat Chriſtum Corpus ſuum daturum, ſed negat eo modo erogaturum, quo diſcipuli putabant, ideſt in fruſta, viſibiliter, quaſi gratia conſumeretur morſibus. At inſiſtis *pag.* 352.: *Chriſtus Judex ſententiam pronuntiat ventribus illis, dicens: Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quidquam; verba quæ vobis dico, ſpiritus ſunt, & vita. Id apud D. Auguſtinum (ibidem) eſt ſpiritualiter factum intelligere. Et Tertullianus (Lib. de reſurrect. carnis cap.* 37.): *Caro non prodeſt quidquam, ideſt ad vivificandum. Verbum caro factum eſt; ideo ut vivificet, oportet eam appetere, & comedere auditu, intellectu ruminare, fide digerere*. Reſpondeat Auguſtinus (*Tract.* 27. *in Joann. num.* 5.), ſi caro non prodeſſet, Verbum caro factum non eſſet, ut nobiſcum habitaret. Si ergo *per carnem nobis multum profuit Chriſtus, quomodo caro nihil prodeſt?* Caro nihil prodeſt, *quomodo illi intellexerunt: carnem quippe ſic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu vegetatur*. „ Caro erat velut „ vaſi attendere debes quod in ipſa „ erat, non quod illa erat. Apoſtoli „ fuerunt miſſi; ergo eorum caro ni-

,, hil nobis profuit? Si autem Apoſtolorum caro nobis profuit, nihil prodeſſe poterat Domini caro? Unde vox Verbi ad nos pervenit, niſi per carnem? Unde ſtilus, unde Scriptura? Hæc omnia profecto ſunt opera carnis, ſed agitata, tanquam organum ſuum, a Spiritu Sancto ,, *Spiritus ergo eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam, ſicut illi intellexerunt carnem. Non ſic ego do ad manducandum carnem meam.* Ita Auguſtinus. Dum Chrſtus ait: *Caro non prodeſt quidquam ...Verba mea ſpiritus ſunt, & vita*, & dum D. Auguſtinus ſubdit *ſpiritualiter intelligenda ſunt*, ſtulte Picenine inſers: Chriſtus ergo non re vera dat carnem ſuam, ſed in ſpiritu, & typo. Etenim ſi Chriſtus ſæpe repetit: *Caro mea vere eſt cibus, ſanguis meus vere eſt potus*, quid ultra dicere poterat? Ex præcitatis itaque verbis inferri tantummodo valet, carnem nihil prodeſſe, & Chriſtum non eam daturum eo modo quo putabant Galilæi; carnem nempe mortuam, ſine ſpiritu, carnem viſibiliter manducandam, & dilaniandam, ut ea quæ in macello venditur: non autem non eſſe daturum veram ſuam carnem, modo tamen inviſibili, & in forma Sacramenti, nec ita non prodeſſe quidquam. Si caro Chriſti in Incarnatione aſſumpta, & a ſpiritu Verbi agitata tantum profuit; quare ab eodem Spiritu vivificata in Sacramento non proderit caro? Chriſti caro ut prodeſſe valeat, eſſe debet ſpiritu vivificata, ut autem re ipſa nobis proſit, participes & nos eſſe debemus tum carnis, tum ſpiritus Chriſti, media charitate membra ejus effecti; idcirco inſinuavit nobis Dominus, carnem ſuam manducando, & ſanguinem ſuum bibendo, *ut in illo maneamus, & ipſe in nobis*, quia *ſpiritus eſt qui vivificat*. Hoc eſt Sacramentaliter & ſpiritualiter ſimul manducare, poſitum ab Auguſtino. Hoc eſt appetere, manducare auditu, ruminare intellectu, dictum a Tertulliano. Hinc novum prodit reſponſum hactenus dicta declarans, videlicet *carnem Chriſti non prodeſſe quidquam*, carnis ac ſenſuum perceptione acceptam. *Caro* autem, ut Chriſti caro accepta, *non prodeſt quidquam*? Chriſtus ergo *carnis* nomine non hoc ſecundo modo eam ſumpſit, quaſi diceret: *Caro mea nihil prodeſt*, ſed primo modo, quaſi diceret: *Mea caro ſecundum carnem, non fide intellecta, nihil prodeſt.* Familiare fuit Chriſto *carnis* nomine carnalem notitiam ſignificare, quod patet ex ipſius verbis *Matth. 16. 17.: Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi*, & *Joann. 3. 6.: Quod natum eſt ex carne, caro eſt*, ubi *carnis* nomine carnalis notitia, & carne accepta ſignificatur quam ob rem concludit D. Auguſtinus *Tract. 27. in Joann.: Ergo nec carnem debemus ſapere ſecundum carnem.*

41. At clamas rance *pag. 352.: Profecto ignoro qua cogitationes ſint magis abſurda, vel illa Capharnaitarum, vel Jeſuitarum. Ubi illi putabant Chriſtum loqui de manducatione ſua carnis dilaniata, qualis in macello venditur, iſti ita intelligunt, quaſi integer totus debeat glutiri. Ergo ſi caro Chriſti non prodest manducata more Capharnaitico, neque more Jeſuitico.* Enimvero putas nos integrum glutire Chriſtum, ſicut Cete illud Jonam glutivit, quantus iſte erat? O rotundum, & plumbeum caput! Interroga ſaltim, ut diſcas quod ex te non capis. Manducare carnem Chriſti intellectu *Capharnaitico*, monſtrum eſt horrendum, ingens; vorare, dentibus terere, & ore verſare viſibilem, & dilaniatam hominis carnem! At Chriſti carnem manducare ritu, ut ais, *Jeſuitico*, myſterium grande eſt, mirabile Sacramentum panem ſenſibus exhibere, menti vero fide inſtructæ Corpus Chriſti; viſibile hoc inviſibile facere, ſenſibile hoc inſenſibile, diviſibile hoc indiviſibiliter ſub ſpeciebus panis contineri. Miracula hæc ſunt, quæ Deificum Sacramentum conſtituunt myſterium inter alia fidei noſtræ arcanum, ineffabile. Quantumvis autem, juxta D. Thomæ do-

doctrinam Opuſculo 59. *de Sacramento Altaris cap.* 7., nihil apud nos ſit, quod valeat prodigiis hujus myſterii prorſus comparari, adeo ut quodcunque proponatur exemplum, multa habeat quibus diſtet; nihilominus ad qualemcunque hujus myſterii illuſtrationem, quædam ſimilia referam, quę idem S. Doctor proponit. 3. *p. qu.* 76. *ar.* 1. *ad.* 3., *ibidem art.* 3. *in corp.*, 4. *cont. Gent. cap.* 67., *Quodlib.* 7. *qu.* 4. *art.* 8. Igitur quemadmodum ſub illis ſpeciebus ſubſtantia panis tota erat in omnibus, & tota in minima eorum parte, ita Corpus Chriſti per conſecrationem ſubſtantiæ panis ſuccedens, totum eſt in tota quantitate panis conſecrati, & totum in qualibet parte ipſius. Quemadmodum autem panis antea in fruſta diviſus, re vera in omni ſua parte integram habebat naturam, & ſubſtantiam panis, ita in partes diviſa quantitate conſecrati panis, valet dici, in ſingulis partibus, non minus ac in omnibus, integrum adeſſe Chriſti Corpus; quibus ſequitur, quo modo ſubſtantia de ſe non frangitur dentibus, non glutitur, ſed mediis accidentibus, ita Corpus Chriſti de ſe non glutitur, nec manditur ore, ſed tantummodo glutiuntur, & manduntur accidentia, ſub quibus Chriſti Corpus manet. Audiamus D. Thomam, qui 3. *p. qu.* 76. *ar.* 1. *ad* 3. poſtquam dixerat: *Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento per modum ſubſtantiæ*, ſubjicit: *Propria autem totalitas ſubſtantiæ continetur indifferenter in pauca, vel magna quantitate: unde & tota ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti continetur in hoc Sacramento poſt conſecrationem*; quod repetit *art.* 3. *in corp.*, ubi ſtatuit: *Totus Chriſtus eſt ſub qualibet parte ſpecierum panis etiam Hoſtia integra manente, & non ſolum cum frangitur.* Mirabile hoc ſane; ſed verum, & oculis carnis non percipitur, ſed tantum fidei. Qui carnis oculis Chriſtum intuebatur, nihil videbat, nec agnoſcebat, niſi hominem ſimilem ceteris. Ita ipſum intuebantur Hebræi: ideo blaſphemiam putabant quod ſe Filium Dei faceret, Deum, & hominem. At qui fidei lumine ipſum contemplabantur, in illo homine Verbi Perſonam agnoſcebant, & Filium Dei adorabant. Intueris Euchariſtiam Picenine carnis tuæ luminæ, nec præterea vides niſi panem, & chimæram appellas excogitare, ſub eo qui panis videtur, adeſſe Chriſti Corpus. Permitte ergo, permitte oculo fidei introſpicere, non Calvinum, ſed Chriſtum audi oſtendentem tibi panem illum, ac dicentem: *Hoc eſt Corpus meum*, tuncque non nudum panem, ſed ſub ſpeciebus panis velari intelliges verum Chriſti Corpus.

42. Nec ceſſas *pag.* 352. iterum dicere: *Si caro Chriſti cibus eſt animæ, quid ergo corpus vult eam ſumere? Quid ore manducare? Quid paras dentem, & ventrem, ſtulte Capharnaita?* Si caro Chriſti cibus eſt animæ, quid ad Cœnam tuam Calviniſta paras dentem, & ventrem, ut ſumas, frangas, digeras panem, quem a miniſtro ſuſcipis? Fortaſſis dices, cum panis ille figura ſit Corporis Chriſti, illum te ore manducare, ſpiritu vero Chriſtum: nempe paras dentem, & ventrem typis, & ſymbolis, animam autem, & mentem paras prototypo. Tum ego: Dum tu ore panem manducas, ais Corpus Chriſti manducare tantum in typo; ego autem manducando ore quod panis videtur, & ſpecies illas, quæ non tantum ſignificant, ſed re vera continent Corpus Chriſti, mediis iſtis re vera verum Chriſti Corpus in me recipio. Si corpus cum anima vivum glutiri poſſet, corpus manducaretur ore, non anima, quæ tamen cum corpore perveniret ad ſtomachum. Os itaque manducat Sacramentum, & ſtomachus ſpeciebus illis nutritur; ſpiritus manducat Corpus Chriſti introductum cum Sacramento, & anima gratia vegetatur, & donis ejus. Nec ſcandalum ſumas, audiens ore nos Chriſti Corpus ſumere: ſiquidem hunc loquendi modum docuerunt D. Auguſtinus, & venerabiliores Patres. D. Auguſt. *Epiſt.* 118. *nunc* 54. *ad Januarium*; *Placuit Spiritui Sancto*, *ut*

ut in honorem tanti Sacramenti, intro Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam ceteri cibi; nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur. Panigarola neceſſariam cenſet realem introductionem Corporis Chriſti in ſtomachum communicantis, quia carnem ſuam Chriſtus vocat cibum *vere*, non figurative; cui ſic contradicis *pag.* 352.: *Franciſce! Non id vere manducatur, quod ſpiritualiter manducatur? Non ergo Chriſtus eſt lux vera, vitis vera? Jo. 1. 9. cap. 15. 1. Juxta vanum commentum tuum Chriſtus non eſſet lux vera, nec vera vitis, quia nec lux, nec vitis eſt abſque figura.* Quid porro intelligis ſpiritualiter tantum manducare? Nunquid manducare tantum *in typo*? Qui Agnum paſchalem comedebat, ſignum, & figuram tranſitus, nunquid comedebat vere & tranſitum? Si autem intelligas realiter manducari Corpus, non dentibus corporis, ſed animæ, & ſumendo Sacramentum ingredi ſecum in ſtomachum Corpus Chriſti in ipſo contentum, quod animam paſcat, non corpus, una ſentimus: hæc tamen non eſt comeſtio mere ſpiritualis, ſed ſpiritualis una, & Sacramentalis. Non valet vociferari, *Chriſtus eſt lux vera, vitis vera*, quoniam ex ipſo Evangelii contextu nemo eſt qui metaphoram non agnoſcat, nempe quod *lux vera, vitis vera* dicitur, non quod re vera *lux* ſit, & *vitis*, ſed quod ipſi re vera conveniant proprietates, quæ luci, ac viti conveniunt, ſcilicet *illuminare* mentem, & ſibi copulare fideles, ſicut palmites copulantur viti. At cum ait: *Caro mea vere eſt cibus*, nulla ſuppetit ratio, ut figurata, & typica reputetur locutio, ſiquidem contentione orta inter auditores circa ſenſum verborum Chriſti, nedum non indicavit loqui non proprio, ſed metaphorico ſenſu, ſed dicta confirmavit: *Amen amen dico vobis, niſi manducaveritis &c. Caro mea vere eſt cibus*. Ex quibus non figuratus, ſed verus ſenſus deduci debet. Quemadmodum Chriſtus dicitur *lux vera, vitis vera*, ut ex eo intelligatur Chriſti virtus, quia ſic luce ejus illuminatur Orbis, ſicut ejus doctrina illuminantur mentes, & quomodo palmites vitam, & humorem habent a vita, ita anima ab ipſo vitam ſortitur; pari etiam ratione caro Chriſti intelligi poteſt cibus verus, quia ſicut ceteris cibis re vera ſumptis vegetatur corpus, ita & ipſa realiter in Sacramento, & ſpiritualiter fide ſumpta, animam paſcit.

43. Poſtulas Apolog. *pag.* 353. in favorem typici ſenſus tui D. Auguſtinum audiri *Lib.* 3. *de doctrina Chriſtiana cap.* 16., *citato a Calvino Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 6., *qui explicans Chriſti verba Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c., inquit: Facinus, vel flagitium videtur jubere. Figura ergo eſt, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuaviter, atque utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa, & vulnerata ſit.* Putas jam tenere cauſam, ſed quantum erras! Ex te Chriſtus in hoc *Cap.* 6. D. Joannis non loquitur de Sacramentali ſuæ carnis manducatione, ſed de ſpirituali fidei eſca. Tametſi ergo juxta D. Auguſtinum ſermo Chriſti figuratus ſit, nihil exinde evinci poteſt contrarium veritati carnis ſuæ in Sacramento. Regula a D. Auguſtino præſcripta, cui ſtatim refert verba Chriſti *Niſi manducaveritis &c.*, hæc eſt: *Si præceptiva eſt locutio, aut flagitium, aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Hæc una ex regulis a Tyconio acceptis. Nunquid autem intelligenda eſt ampliſſime, abſque exceptione, quaſi quod propoſitio quælibet, quæ flagitium, aut facinus jubere videatur, aut beneficentiam vetare, ſtatim ad figuram referri debeat? Hac ratione ad figuram referenda eſſent Dei juſſa ad Abraham de ſacrificio Filii *Gen.* 22. 2., de argenteis per Hebræos ab Ægyptiis accipiendis *Exod.* 1. 3., de internecione Amalecitarum 1. *Reg.* 15. 3., de vulnere ſibi infligendo a Michæa 3. *Reg.* 20 37., de

: acceſſu Oſeæ ad Meretricem *Oſea* . 2. Hæ quippe omnes præceptivæ ɪcutiones ſunt flagitium jubentes, & ːcinus, quantum ad extimam ſpeciem, : charitatem, ac juſtitiam vetantes. alidum autem argumentum Socinus aberet, paſſionem & mortem Chri- ı pro peccatis noſtris figuratam aſ- rendi, cum trux, barbarum, & ini- uum videatur, Deum innocentis mor- :m voluiſse ad nocentium redemptio- em. Si hæc figura non eſt, cur lo- utio Chriſti in caſu noſtro figura e- it? Auguſtinus litteralem rejicit ſen- ım, quo videretur Chriſtus flagitium, rimenque præcepiſſe, & beneficentiam etaſſe, ut eſſet carnem hominis vora- e, & ſanguinem bibere. At quo ſen- u litteræ crudelis videretur Chriſti lo- utio? Nunquid manducando realiter uidem, ſed inviſibili forma, non den- ibus fractam, non dilaniatam car- em, non quaſi mortuam, ſed vivam, uæ intret in nos mediis ſpeciebus, juibus velatur, cujus eſu anima ve- :etatur? Non equidem, etenim latet ane hic magnum myſterium, vincens ɪmne cogitatum noſtrum, non flagitii amen, aut crudelitatis umbra appa- :et. Videbatur itaque impium ſane ıc barbarum Chriſti carnem mandu- are Capharnaitarum ſenſu, dilanian- lo ſcilicet, in fruſta ſcindendo, fran- ;endo dentibus ut uſualem carnem; juo ſenſu D. Auguſtinus ait præce- ɔtivam Chriſti locutionem figuratam :ſſe, non quod intelligeret carnem ſuam nonniſi typice manducandam, ſed quanquam vere manducanda eſſet, non tamen in ſpecie propria, ſed ſub ſpecie, & figura panis: neque ad a- endum corpus, quomodo aliis carni- ɔus veſcimur, ſed ad vegetandam men- :em memoria paſſionis, & mortis ſuæ. Hic ergo ſenſus realis habetur, veræ ſcilicet carnis manducatio, & ſenſus figuratus, manducatio ſcilicet non im- propria, ſed ſub aliena figura, non ad vegetandum corpus, ſed mentem, memoria quod caro illa pro nobis crucifixa ſit. Quæ omnia optime re- ſpondent verbis conſtituentibus Sacra- mentum, in quo ut Apoſtoli caperent Corpus ſuum ipſis elargiri non in ty- po, ſed veritate, ait: *Accipite, & manducate: Hoc eſt Corpus meum.* Ut autem cognoſcerent non in ſpecie pro- pria, ſed ſub figura, & imagine panis eſſe manducandum, *accepit panem, & dedit eis.* Ac tandem, quo ſcirent fi- nem, cur ſub ſpecie panis Corpus ſu- um ſumendum eſſet, ait illis: *Hoc fa- cite in meam commemorationem.*

44. Figuratæ locutiones in dupli- ci genere ſunt. Primum cum verba non propria ſignificatione, ſed a lo- quente aſſumuntur ad ſignificandum diverſum ab eo quod de ſe referunt. Sic Chriſtus de ſe dicebat: *Ego ſum oſtium, ego ſum vitis.* Alterum vero cum verba aſſumuntur ad ſignificandum proprie quod de ſe referunt, & præ- terea ad aliud indicandum, quod de ſe verba non indicant. D. Paulus *Ga- lat.* 4. 22. ait, Abraham duos habuiſ- ſe filios, unum de Ancilla, alium de libera, & ſtatim ſubdit *ibid.* 24.: *Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta.* Hic figura latet non in verbis, cum Abraham re vera duos habuerit filios, Iſaacum ex Sara li- bera, & Iſmaelem ab Agar Ancilla; ſed quia hi duo filii Abraham figura ſunt veteris, & novi teſtamenti, id- circo D. Paulus ſubdit: *Quæ ſunt per allegoriam dicta.* Ita ex D. Auguſtini mente in verbis Chriſti *Niſi mandu- caveritis carnem filii hominis &c.*, fi- gura, & allegoria non eſt in voce *carnem*, quaſi Chriſtus vellet intelligi carnem ſuam non eſse manducandam vere, ſed tantum *typice, & figurati- ve*, ſed figura eſt in modo, quia non Capharnaitarum ſenſu manducanda e- rat, & ſub propria ſpecie, ſed in ſpe- cie, & figura panis; & inſuper, quia propria ſignificatio vocis *carnem* referebatur ad ſignificandam memo- riam a manducante habendam paſ- ſionis, & mortis Chriſti; quare ait S. Doctor *figura eſt*, non quod vox *caro* proprie ſumenda non ſit, ſed: *Præcipiens paſſioni Dominicæ eſſe com- municandum, & ſuaviter, atque uti- liter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa ſit.* Ita

Lan-

Lanfrancus *Epiſt. canonica 18. ad Domnaldum, apud Arduinum tom. 6. Concil. pag. 1186.: Figuram vocat figuratam locutionem. Neque enim negat veritatem carnis, & Sanguinis Chriſti: quod pleriſque Schiſmaticis viſum eſt, & adhuc non ceſſat videri.* (De Berengario loquitur, & ſectariis ejus). Porro ſi Calviniſtarum quiſpiam quæreret, cur D. Auguſtinus nullam mentionem faciat de hoc ſenſu litterali Catholico, nimirum de carne non manducanda in propria ſpecie, ſed a litterali Capharnaitarum ſenſu immediate tranſeat ad ſenſum myſticum, & quod a D. Auguſtino figurata locutio abſolute dicenda non fuerat, quæ litteraliter intelligi poterat, quin videretur Chriſtus flagitium, & crimen præcepiſſe; reſpondendum non ibi D. Auguſtinum hæc attigiſſe, quia non id ejus intentum permittebat. Debebat S. Doctor ibidem exemplum præbere, in quo figuralis ſenſus accommodaretur locutioni, quæ flagitium & crimen videretur præcepiſſe, & beneficentiam vetaſſe. Ad hunc finem exemplo Chriſti uſus eſt *Niſi manducaveritis carnem meam.* Eo igitur ſenſu id ſumere tenebatur, quo videretur Chriſtus flagitium jubere, quod ſane evincebat proponens Capharnaitarum ſenſum, non vero Catholicum. Prætermiſſo itaque litterali ſenſu Catholico, a ſenſu litterali Capharnaitico tranſiit ad figuratum, ut exemplum regulam traditam explicaret. Aliis porro locis ſuorum Operum, fatetur carnem Chriſti realiter eſcam noſtram eſſe in Sacramento, ut videre eſt *qu. 57. in Levit., lib. de peccat merit. & remiſſ. cap. 20. Tract. 11. & 26. in Joannem, Serm. 11. & 49. de verbis Domini, in Pſ. 33. & 98., & lib. 2. cap. 9. contra adverſ. Legis & Prophet.*, ubi hæc habet: *Mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Jeſum, carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde, atque ore ſuſcipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & humanum ſanguinem potare, quam fundere.* Prælaudato igitur a te loco Auguſtinus de hoc non meminit, quia ad intentum non erat. Immo nec tibi prodeſt ex hoc textu Auguſtini mentem ſcrutari, quippe ſi carnem Chriſti manducare nihil aliud eſt, quam memoriam recolere paſſionis ejus, ſuperflua erit Cœna & panis ad manducandam carnem ejus, ſive in proprio, ſive in ſenſu figurato, quia ſola ſufficiet memoria.

45. Quanquam faſtidioſiſſimum ſit aures dare continuis ineptiis, ac ſophiſmatibus tuis, ferendum tamen, & ſuſtinendum, neceſſiſſe videamur. Ergo in Apologia *pag.* 353. ſic aerem verberas: *Quoniam de comedenda carne Chriſti res eſt, addamus carnem Chriſti animas etiam triumphantes manducare. Deus promittit dare victoribus ad manducandum de ligno vitę, & de Manna. Lignum Chriſtus eſt, Manna Chriſtus. Nonne Scriptura ait: Sedebitis ad menſam cum Abraham, Iſaac, & Jacob? Nonne quod panis comedetur in regno Dei? Inſanum eſſet inferre velle propriam comeſtionem. Comedunt igitur beata animę proprie Manna abſconditum.* Inſanam hanc deducere illationem, ingenii tui, non alterius cujuſque character eſt; ſicut quod caro Chriſti manducari nequeat, niſi in ſenſu improprio, & figurato, quemadmodum dicitur, Beatos Manna manducare, & de fructu ligni vitæ, & ſedere ad menſam cum Abraham: quæ cum impropria ſint, & figurata, non propterea inferri licet, Hebræos Manna manducaſſe tantum in figura, ſive Adam in typo tantum comedisſe de fructu ligni vitæ. & ideo panem Euchariſticum non comedi niſi improprie, nec ad illam menſam accedi niſi *metaphorice*. Si hujuſmodi illationes inſaniæ ſunt, reputa tecum ipſe, & comperies, non minorem inſaniam eſſe. velle carnem Chriſti manducandam eſſe ſemper improprie, quia ſcriptum reperis, impropriam manducationem aliquando indicari. Inferri autem etiam poſſet, Beatos, etſi Manna, & fructum ligni improprie comedant, non tamen Chriſtum in figura comedere, dum præſen-

ſentem videant. Ergo neque in terris Chriſtum in figura comedi, etſi improprie comedatur; vel e contra, ſi in figura manducatur in terris, a beatis etiam in figura manducatum iri in Cælis. Habetur comeſtio quæ impropria eſt, ſed & illa quæ propria eſt. Iterum ſubdis: *In Patria, & in via Chriſtus improprie comeditur. Illic quia videtur, & communicatio habetur gloria ſua. Hic quia creditur, & communicatio habetur gratia ſua: Crede, & comediſti.* Bene totum; ſed bene etiam datur realis comeſtio Chriſti hic in Sacramento; diverſa a comeſtione beatorum. Hic enim oſtendens Chriſtus verum panem, ait: *Hoc eſt Corpus meum, accipite, & manducate.* Tam perſpicua vero, cunctiſque manifeſta locutio, a te putide Calviniſta non alterius ſenſus, quam tropici, & figurati capax venditatur?

§. V I.

Nonnulla regula ad recte cognoſcendum tropicum, & figuratum ſenſum.

46. QUaſdam Panigarola regulas refert ad indagandum quæ ſententia figuras aut ſimilitudines præſeferat. At tu miles ſemper glorioſus Apolog. *pag.* 354. jactas *illas te oppugnare poſſe*; ſed urbanitatis gratia eas concedis, ex ipſis autem velle te in verbis Chriſti pro inſtitutione Cœnæ probare figuras, & ſimilitudines. *Ego*, ais, *in ipſum retorqueo ſuam primam regulam ſic: Si circumſtantia verborum figuram oſtendit, aſſero hanc perſpicue reperiri in verbis Chriſti, ſcilicet Chriſtus nedum dixit hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus, ſed inſuper dixit hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datum eſt, Luca* 22. 19., *hic eſt Sanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, Matth.* 26. 28. Si tamen legiſſes verſionem Græcam, & Syriacam Tremellii, quem ſuſpectum non habes, cuncta deprehendiſſes de præſenti enutiata apud D. Matth. *qui pro multis effunditur*, & apud D. Marcum; apud D. Lucam vero *qui vobis datur, qui pro multis effunditur.* Si duæ hæ verſiones omnia de præſenti enuntiant, quid verſio tua enuntiat de præterito, *datus eſt, effuſus eſt?* Cur Bellarminum culpas, ideo quod *in Lib.* 5. *de Miſſ. cap.* 12. ſcribat, omnia apud Evangeliſtas & D. Paulum eſſe de pręſenti, *datur, & effunditur*, & Panigarola *Lect.* 17. dicat omnia in pręſenti enuntiari *datur, traditur, funditur?* In Vulgata D. Matthæus in futuro loquitur: *Qui pro multis effundetur.* Ita & D. Marcus 14. 25. D. Lucas narrans de Corpore, ait: *Quod pro vobis datur*; de Sanguine vero in futuro: *Qui pro vobis fundetur.* Ex hac varietate quam rationem vales deſumere ad promovendas chimęras tuas? Eja vero, etiam permittatur ſola interpretatio tua, omnia ſcilicet *de præterito*, aut *de præſenti* enuntiari, & quemadmodum in Triumpho habes *pag.* 154., *in verbis Sacramenti eſſe vox datur, vel datum, funditur, vel effuſus eſt*, quomodo ex his quæſo deducis datum, effuſum eſſe tantum in *figura*? Forte quod Corpus nondum datum erat, nec Sanguis effuſus? Verum jam ex D. Hieronymo ſatis oſtendi in Comment. *in cap.* 2. *ad Epheſ.*, morem eſſe Scripturarum præteritum dicere quod futurum erit, & in pręſenti enuntiari brevi futura, potiſſimum ex ore Dei, in cujus conſpectu facta jam ſunt quæ decreta ſunt fieri. Quapropter dicere: *Hoc eſt Corpus meum, quod datum eſt vobis: Hic eſt Sanguis meus, qui funditur, vel effuſus eſt pro multis*, idem prorſus eſt ac dicere: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis deſtinatum eſt eſſe in Cruce: Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis deſtinatus eſt fundi*; quia quod prædeſtinatum eſt, cùm pro facto apud Deum ſit ex infallibillitate ſcientiæ ſuæ, & decretorum ſuorum, ideo pronuntiatur factum, quanquam nobis futurum ſit. Ita Auguſtinus intelligit oracula omnia quæ in Pſalmis de Chriſto ut facta narrantur: *Quæ ventura prophetantur, ſecundum*

tempus futura ſunt; ſecundum ſcientiam vero prophetantium jam pro factis habenda. Tanquam facta dicit quæ futura erant, quia apud Deum quod futurum eſt jam factum eſt. Tibi ergo Propheta videbas futura nobis, jam vero facta in illius Providentia, & Prædeſtinatione certiſſima. Enarrat. in Pſal. 3., in Pſal. 84. & 43. & 126. Corpus ergo quod dandum erat, Sanguis ille qui erat effundendus nobis, jam eſt datum, jam eſt effuſus, ſive dabatur, & effundebatur, in præſcientia Chriſti; idcirco dicens *datum eſt, effuſus eſt, datur, effunditur*, idem erat ac nobis *dabitur, effundetur*. Dici etiam poteſt, quod futurum eſt in veritate, dicitur jam factum, quia jam factum eſt in figura, cui expoſitioni favet D. Auguſtinus *Enarr. in Pſ. 113.*; quare dum Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod datum eſt: Hic eſt Sanguis meus, qui effuſus eſt*, deſignare voluit Sanguinem illum dare, qui effuſus erat in figura in veteri lege, & ideo non in figura dabat, quia jam in figura datum fuerat, tum etiam quia nec veroſimile, nec credibile eſt, quod Chriſtus, qui figuras abrogare venerat, ſub nova figura Corpus ſuum & Sanguinem Apoſtolis porrigeret, quæ jam in figura habebant. Immo fas eſt aſſerere, quod quemadmodum Chriſtus non in figuris amplius, ſed in veritate præſens erat, ſic Corpus, & Sanguinem ſuum daret non amplius in figura, ſed in veritate, ſub ſpeciebus panis, & vini; eo vel magis, quod cum Apoſtoli jam manducaſſent Agnum paſchalem, figuram Chriſti, ſuperfluum erat iterum ſub forma panis ab ipſo dari, ſi non aliter quam in figura dabatur.

47. Ex præmiſſis animadverſionibus tuis ſic more tuo differis *pag. 354.*: *Panis erat Corpus Chriſti, quomodo Corpus Chriſti datum erat, fractum, crucifixum. Corpus Chriſti datum, fractum, crucifixum non erat niſi in figura: & panis nonniſi in figura erat Corpus Chriſti*. Gabriel Virgini Mariæ dixit: *Hic* (Chriſtus) *erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum*. Chriſtus ergo vocari debebat Altiſſimi Filius, quomodo ſedere debebat in ſolio David, & regnare in domo Jacob. Chriſtus regnare non debebat in ſolio David, & in domo Jacob in ſenſu *proprio*, & reali, ſed tantum in ſenſu *metaphorico*, atque ita vocari non debebat Filius Altiſſimi in ſenſu *proprio*, & vero, ſed tantum *metaphorico*. Pejora ne valent audiri, ex erroneis principiis tuis? Superius jam dixi, eandem Scripturæ locutionem, & ſenſum *proprium* ex una parte, & ſenſum *metaphoricum* ac *figuratum* ex alia referre poſſe. Quam ob rem dato etiam quod verba illa *datum, fractum, effuſum* ſumerentur in ſenſu metaphorico, & figurato, non ſequitur, Corpus intelligi debere in ſenſu figurato, cum nihil præceſſerit, quo Apoſtoli ſuaderi poſſent, Chriſto dicente *hoc eſt Corpus meum*, loqui in ſenſu *figurato*. E contra, ſuaſi jam Corpus Chriſti adeſſe ſub ſpeciebus panis, audientes *quod pro vobis fractum eſt, vel frangitur*, ſatis jam inſtructi erant, ut crederent hanc fractionem in figura dumtaxat fieri, ideſt ex fractione ſpecierum, quia communis loquendi modus fert contento tribui, quæ continenti conveniunt; unde quemadmodum Chriſtus dum dixit: *Quis me tetigit?* quanquam non niſi in veſtibus tactus, omnes tamen ipſum intellexerunt, ita dicere poterat, ex fractione ſpecierum panis Corpus ſuum ſub ipſis contentum frangi, comparative ad Corpus ſub veſte, & optime ab Apoſtolis intelligi figura locutionis. Jam autem oſtendi *Corpus* jam *datum* ſenſum non habere figuratum, quia deſignat jam *datum* coram Deo in præſcientia ſua, & prædeſtinatione certiſſima, ſive jam datum in figura, quod tum dabatur in veritate. Quapropter circumſtantia a Panigarola propoſita, evidenter oſtendit locutionem propriam, & omnem figuram excludit. Quod autem locutiones iſtæ: *Ego ſum vitis, vos palmites .... Petra*

au-

Digitized by Google

autem erat Chriſtus, ſumi debeant in ſenſu figurato, non autem proprio, vanum eſt te probando laborare, quæ plus te valde novimus. Non admittimus tamen hanc talem eſſe figuram, in qua nomen rei ſignificatæ ſigno tribuatur, ut in locutione *hoc eſt Corpus meum*, in qua prætendis Corporis nomen tribuendum eſſe pani, quem habes ut nudum ſignum. Prima metaphora ſtatim pronuntiata obvia fit omnibus, qui etiam ſtatim capiunt quæ ſit proportio inter vitem, inter petram, & Chriſtum. Altera tamen obſcura nimium captui, niſi explicetur: quamobrem cum Chriſtus non eam explicuerit, totum evaneſcit figuratum ſomnium tuum. Non eam explico, quod eſſet *Corpus ſuum jam datum, & Sanguis ejus jam effuſus*, propter duo. Primo, quod cum Evangeliſtæ varie loquantur, certo non conſtat Chriſtum *in præſenti*, aut in *futuro* loquutum quodve diceret *datum* eſt, vel *datur*, an potius in *futuro*. Secundo tametſi Chriſtus loquutus fuiſſet in præterito *datum*, *effuſus*, nullus ex his vocibus figuratus ſenſus fieret in verbis *Corpus*, & *Sanguis*, quippe aut ſit ſenſus *Hoc eſt Corpus meum verum, quod jam datum fuit in figura: Hic eſt Sanguis meus verus, qui jam effuſus fuit in figura*, aut ſit ſenſus, quod datum jam ſit in Dei præſcientia, nimirum: *Hoc eſt Corpus meum, quod jam dedi, & deſtinavi vobis*; ſive demum quia tametſi in hac voce *datum* poſſit aliqua figura conſiderari, non ſequitur etiam in voce *Corpus* refundi, cum eadem locutio valeat ex parte figuram habere, non ex alia. Enimvero ſi non valeret quod homo iratus cum ſit leo, ſit tantum metaphorice, dici debeat verus quidem homo, ſed iratus metaphorice, ſic non valet quod Euchariſtia ſit Corpus Chriſti, datum & fractum in Euchariſtia, & Corpus Chriſti non detur, non frangatur niſi ſub figura; hinc Euchariſtia non ſit Corpus Chriſti niſi in figura, & metaphora. Porro quemadmodum qui tangebat veſtes, tangebat Corpus Chriſti, ita qui frangit ſpecies Panis, ſub quibus adeſt Corpus Chriſti, frangit Corpus Chriſti. Quæ in præſens ſatis.

48. Nunc de ſecunda regula a te attacta Apolog. *pag.* 355.: *Juxta Panigarolæ ſententiam nequit Chriſtus figuram ſui Corporis inſtituiſſe, quippe qui in inſtanti erat abrogandi Synagogæ figuras. Ego autem* (ſubdis) *ut Solem perſpicuam argumenti ſui vanitatem oſtendam. Frater hic confundit typos cum tropis, figuras figuris, figuras facti cum figuris verborum. Chriſtus volebat abrogare veteris Teſtamenti figuras, quæ ſunt facti &c.* Si vero probem, ſemel acceptis Chriſti verbis *hoc eſt Corpus meum* in ſenſu figurato, figuram ſimul haberi verbi, & facti, quid tum orator magnifice? Chriſtus figurate pronuntians *hoc eſt Corpus meum*, figura manet in verbis; ſed verba pronuntians, & panem indicans, figura fit in facto: figura quippe facti eſt, dum factum, ſive res aliqua ſumitur, ad aliam ſignificandam. Chriſtus Cœnam inſtituit. En factum. Accipit panem, & dat, ac vult hoc factum, hanc rem, panem nempe, figuram eſſe ſui Corporis. Hæc autem eſt facti figura. Agnus paſchalis occiſus figura fuit mortis Chriſti, manducatus figura fuit Corporis Chriſti in Euchariſtia: quæ figuræ erant in facto. Loco Agni Chriſtus accepit panem, quem voluit ſui Corporis eſſe figuram, nec erit figura in facto? Dum comedebatur Agnus verba erant *hic eſt tranſitus*, nempe figura tranſitus: & hæc figura erat dictionis; quod tamen aderat Agnus figura tranſitus, figura facti fiebat. Chriſtus in Cœna ait *hoc eſt Corpus meum*, nempe figura Corporis mei. Hic figura continetur in verbis, ſed dans panem tanquam ejus figuram, quare figura non extenditur ad factum? Pitenine mi blaterare facile, ſed blaterata conſtanter tueri non item facile. Cum Chriſtus diceret: *Tranſeat a me Calix iſte ... Percutiam paſtorem... Paſce oves meas*, figuræ quidem in verbis, non ita in facto. Verum ſi ad manus accipiens Calicem, dixiſſet: *Hæc eſt paſſio mea*, ſi ovem oſtendens

diceret: *Hæc eſt figura fidelium meorum*, vel *Corporis mei*, figuræ eſſent non in verbis tantummodo, ſed & in factis. Sic etiam dum Chriſtus accipiens panem dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, ſi figura erat in verbis, erat & in facto.

49. Neque minor eſt loquacitas tua, dum *pag.* 355. ais, *Panigarolam ſe oppugnare*, ferme ac ſi hinc aſſerat, *Chriſtum non potuiſſe figuras dare*, hinc vero *ſpecies Sacramentales figuram eſſe Corporis Chriſti, immo & Corpus Chriſti ſui ipſius figuram*: ſiquidem figuræ, quas Panigarola, & nos negamus, ſunt quæ *vacua* ſunt, quæ *umbra* ſunt ſine corpore, quemadmodum illæ veteris legis; non eas autem negamus, quæ *plena* ſunt, ideſt quæ figuratum continent, quemadmodum nos profitemur vere ſub ſpeciebus Corpus Chriſti contineri. Attende D. Auguſtino *Lib.* 3. *quæſt. ſuper Lev. qu.* 57.: *Solet autem res quæ ſignificat, ejus rei nomine quam ſignificat nuncupari, ſicut ſcriptum eſt: Septem ſpicæ, ſeptem anni ſunt, & multa hujuſmodi* (En figuræ vacuæ, quæ mere ſignificant). *Quærenda etiam locutiones, quibus per id quod continet, ſignificetur id quod continetur, ut quoniam anima ſanguine tenetur in corpore (nam ſi fuerit effuſus abſcedit), per ipſum aptius ſignificata ſit anima, & ejus nomen ſanguis acceperit: ſicut Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur &c.* Ecce ſigna ſignato ſuo plena, quemadmodum ſanguis ſignum eſt animæ, quæ tenetur in corpore, & Eccleſia ſignum fidelium, quos capit. Euchariſtia autem inter ſigna iſtius ſecundi ordinis, non autem primi, ab eodem D. Auguſtino indicatur *ibidem* petente: *Sed cum Dominus dicat: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; quid ſibi vult, niſi quod a ſanguine ſacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, ſi illis ſacrificiis verum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum: a cujus tamen ſanguine in alimentum ſumendo, non ſolum nemo prohibetur, ſed ad bibendum potius exhortantur, qui volunt habere vitam?* Animadvertendum hic a D. Auguſtino Animalium ſanguinem in ſacrificiis antiquis, Chriſti Sanguini in ſacrificio Euchariſtiæ comparari. Si primus re ipſa erat in ſacrificiis antiquis, Sanguis etiam Chriſti ab illo figuratus re vera eſt in ſacrificio Euchariſtiæ. Si autem diverſo modo in alimentum ſumitur Chriſti ſanguis in Euchariſtia, ac in antiquis ſacrificiis ſumebatur, fateri neceſſe eſt in alimentum ſumi non ſolo fidei affectu, ita quippe in antiquis etiam ſacrificiis ſumebatur, ſed re vera oris ſumptione, ad alimentum animæ.

50. Apolog. *pag.* 355. hæc velociter ſcribis: *Habemus ſigna, ſymbola, monumenta præſentium, ac præteritorum*. Adde etiam futurorum, & bene habes; quæ tamen non ſunt ut antiqua, *infirma, & egena elementa*, ut D. Paulus tradit ad Galat. 4. 9., ſed plena his quæ ſignificant. *Baptiſmus ſymbolum eſt noſtræ regenerationis*, ſed aqua Baptiſmi non eſt infirmum ſignum, cum in ſe contineat, per Jeſu Chriſti merita, gratiam regenerantem, nec tantummodo ſignificat, ſed ſignificando efficit regenerationem noſtram. Si, ut ais tu, *Cœna ſignum eſt, memoria mortis Chriſti*, & ut Catholicus tenet, pignus etiam gloriæ; in ſe tamen continet realiter illud ipſum Chriſti Corpus, cujus mortis memoria eſt; viſibilis quidem ejus mortis in Golgotha monumentum eſt, ſed eandem mortem continet inviſibiliter renovatam: a quo nec ipſe Calvinus videtur recedere *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 17. §. 10. & 11. Ais, *Fratrem* male ad rem D. Pauli verba citare 1. *Cor.* 10. 11.: *Hæc autem omnia in figuris contingebant illis*. Tu ſane ea involvis, quæ non capis. Quid intelligit Frater? Nempe, *D. Paulum locutum fuiſſe de figuris, & umbris, quemadmodum ſerpens æneus figura erat Chriſti*. Quid tu? Nempe, *Apoſtolum locutum fuiſſe de exemplis moralibus*. Videamus modo qui ſcopum attingat. D. Paulus ait 1. *Cor.* 10. 6. & 7.: *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus*

con-

concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis. D. Paulus hæc profert, poſtquam locutus fuerat de tranſitu Iſraelitarum per mare, de manna, quo paſti fuerant, de petra, quæ adaquavit eos, de quibus cum dixiſſet male uſos fuiſſe, monet hæc omnia nobis figuras eſſe ſcriptas ad diſciplinam noſtram, ne male illis utamur, quemadmodum illi. Duo igitur hic video, unum, quod tranſitus maris, manna, & petra deſerti figuræ ſint plurium veritatum in nova lege, quod te negaturum non arbitror; alterum, quod abuſus iſtorum poſitus ſit ad diſciplinam noſtram. Tu hoc ſecundum concedis, primum inconſiderate negas. In veteri lege omnia erant facta in figura nobis, & beneficia a Deo collata illi populo figuræ erant eorum, quæ abundantius facienda erant nobis. Supplicia inflicta illi populo figuræ erant eorum quibus gravius puniemur, ſi datis donis male abutamur. Hujuſmodi erat D. Pauli intentum, ait D. Joannes Chryſoſtomus *Hom. 23. in cap. 10. 1. ad Corinth.: Sicut enim in beneficiis figura præceſſerunt, & deinde ſecuta eſt veritas, ita in ſuppliciis eveniet. Vides quo pacto non tantum puniendos oſtendis, ſed etiam magis quam illi. Nam ſi alia quidem figura eſt, alia veritas, neceſſarium eſt ut in ſuppliciis multum, ſicut in muneribus excedatur.* Legatur D. Auguſtinus *Lib. 22. cap. 24. contra Fauſtum*, ubi habet: *Omnia enim illa, ut dicit Apoſtolus, figura noſtra fuerunt.* Legatur etiam *Lib. 16. cap. 28.*, & *Lib. 18. cap. 6. Frater* ergo ſi male ad rem dictum refert D. Pauli, male ad rem idem refert ipſe D. Auguſtinus: quod nemo proferre audebit, niſi tui furfuris blatero.

51. Panigarola hæc etiam habet: *Si Chriſtus Eccleſiæ ſuæ tradere volebat figuram ſui Corporis, nonne jam aderat? Nonne habebatur Agnus? Agnus, quod animam habeat, dignior eſt Pane. Cur nobiliori cœtui traditurus fuiſſet ignobilius ſignum &c. In legali Cœna dabatur Agnus, in Evangelica datur Panis tranſubſtantiatus in Corpus ſuum.* His diverſimode occurris *pag. 356.*, ſomniando *Fratrem ſupponere differentiam inter Sacramenta Synagogæ, & Eccleſiæ eſſe, quod illa figura erant, & iſta contineant bona figurata. At ſi ita eſt, quomodo S. Paulus docet 1. Cor. 10. 2. 3. 4. Iſraelitas baptizatos fuiſſe in nube, & in mari, & manducaſſe eandem eſcam ſpiritalem, & bibiſſe eundem ſpiritalem potum?* Hic bone vir, Calvini tui ſententiam ſupponis *Lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 23.*, nimirum inter Sacramenta novæ & veteris legis nullam intercedere differentiam in efficacia, ſed tantum in ritu. Nos tamen, qui falſiſſimum habemus hujuſmodi aſſertum, tenemus Sacramenta vetera gratiam ſignificaſſe, non contuliſſe, nova vero & ſignificare, & conferre; quod ante nos D. Auguſtinus aſſeruit *Enarr. in Pſ. 72.: Sacramenta non eadem* (loquebatur de veteri, & novo Teſtamento), *quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem. Sacramenta veteris Teſtamenti promiſerunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promiſſa, quid quæris promittentia?* Veteres baptizati fuerunt, & eandem eſcam manducaverunt, & eundem potum biberunt in figura, ſed non in veritate, & eandem eſcam, ſed non eodem modo. Nubes, & mare figuræ fuerunt noſtri Baptiſmi. Manna figura Euchariſtiæ. Baptizati in nube, & in mari eandem eſcam manducaverunt, eundem potum biberunt Spiritu, fide, & in typo tantum, quæ nos revera comedimus, & bibimus. Audiamus iterum D. Auguſtinum *Enarrat. in Pſ. 76.: Idem itaque in myſterio cibus, & potus illorum, qui noſter; ſed ſignificatione idem, non ſpecie, quia idem ipſe Chriſtus illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus eſt. ...Omnes quidem eundem cibum ſpiritalem manducaverunt, & eundem potum ſpiritalem biberunt, id eſt ſpiritale aliquid ſignificantem &c.* Idcirco D. Paulus non ait, manducaſſe eun-

dem

dem realem cibum, ſed eundem *ſpiritalem*, ideſt illi in figura, quia abſens, nos in veritate, quia præſens. Calvinus *Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 10.* cogi ſe novit hanc veritatem fateri, dum non vult Euchariſtiam nudum eſſe, & vanum *ſignum*; ſed vult in ipſa, in eadem collatione ſymboli rem ipſam nobis dari: *Niſi enim quis fallacem Deum vocare volet, inane ab ipſo ſymbolum proponi nunquam dicere audeat .... Atque omnino iſthæc piis tenenda eſt regula, ut quoties ſymbola vident a Domino inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certo cogitent, ac ſibi perſuadeant.* Propterea dixerat, animas noſtras paſci Carne, & Sanguine Chriſti, non ſecus ac corpus paſcitur pane, & vino, & corporaliter. Et quanquam incredibile videatur in tanta locorum diſtantia Carnem Chriſti in nos uſque penetrare poſſe, reminiſci tamen debemus quantum ſupra nos valeat occulta virtus Spiritus Sancti, & quam ſtultum ſit velle modulo noſtro ejus metiri immenſitatem: *Quod ergo mens noſtra non comprehendit, concipiat fides, ſpiritum vere unire quæ locis disjuncta ſunt.* Ita Calvinus de Euchariſtia loquitur, qui certe non ita loqueretur de quovis Sacramento veteris legis. Hinc autem patet, ex opinione etiam Calvini, nova Sacramenta non eſſe mera ſigna beneficiorum Dei, ſicut vetera, ſed ulterius re vera continere quę ſignificant. Quomodo vero conveniant, Euchariſtiam tantum eſſe Corporis Chriſti figuram, & ab ea nobis proponi nedum per fidem ſed realiter ipſum Chriſti Corpus, & re vera iſto nos paſci, uniri, ac penetrari, ęnigma ſane eſt a te Picenine extricandum, niſi velis ſibi repugnantem dici Magiſtrum tuum.

32. Poſtulas Apolog. *pag. 356., ſi in Cœna panis datur tranſubſtantiatus in Corpus Chriſti, cur in Baptiſmo non detur aqua tranſubstantiata in Sanguinem Chriſti?* Si in Cœna datur panis ut figura Corporis Chriſti, cur in Baptiſmo non datur aqua ut figura Sanguinis Chriſti? Fas eſt igitur dicere, id evenire, quia in inſtitutione Cœnæ Chriſtus de Pane dixit: *Hoc est Corpus meum*, & de Vino: *Hic est Sanguis*; at vero in inſtitutione Baptiſmi non dixit aquam eſſe ſuum Sanguinem, nec aquam nobis propoſuit Chriſtus tanquam Sanguinis ſui ſymbolum. Ita Calvinus ipſe reſpondet *Lib. 4. Inst. cap. 17. §. 10.* Interrogas iterum: *Si panis dandus non erat ut figura Chriſti, cum haberetur Agnus, neque præcipiendus erat Baptiſmus tanquam ſymbolum regenerationis, cum jam haberetur Circumciſio.* Verum iſto: Agnus erat figura Chriſti, ſicut Circumciſio Baptiſmi. Chriſtus non figuram Baptiſmi, ſed verum dedit Baptiſmum figuratum in Circumciſione. Ergo Chriſtus in Cæna non ſui Corporis figuram, ſed ſuum verum Corpus dedit. Baptiſmum autem ſymbolum eſſe regenerationis nihil officit, etenim Corpus etiam Chriſti in Sacramento eſt ſymbolum noſtrę ſpiritualis refectionis. Et quemadmodum Baptiſmus verus eſt Baptiſmus in Circumciſione figuratus, ita Chriſti Corpus in Sacramento eſt verum Chriſti Corpus figuratum in Agno, neutiquam vero Corporis Chriſti figura. Strides inde, quippe quod *differentia, & excellentia novi Teſtamenti non innititur materiæ externæ ſuorum Sacramentorum, quaſi nobilior eſſe debeat, ſed facilitati, claritati &c.* Inſuper: *Si panis non eſt Agno nobilior, minus ſane erunt panis ſpecies, quas exhibemus velut figuram Corporis Chriſti.* Neque hic, Domine Picenine, Panigarolæ mentem aſſequutus es; non enim prætendit noſtris Sacramentis abſolute deberi materiam nobiliorem, ſed ſi jam in Agno figura aderat Chriſti, ſuperfluum erat novam ſuperaddi. Dato vero quod Chriſto placuiſſet aliam deſtinare ſui Corporis figuram, prima abrogata, Agnus melior videbatur, quam panis. Porro reſponſum tuum vim potius addit, quam infirmet dictum Panigarolę, quippe cum excellentia Sacramentorum novæ legis innitatur facilitati, & claritati, Agnus autem majori facilitate, & claritate figura ſit Chriſti,

ſti, quam Panis, decebat itaque, ſi Agnus jam erat Chriſti figura, iſtum confirmari, non Panem ſubſtitui, ſemel hic nonniſi figura eſſe deberet. Species porro Sacramentales, ſi nobiliores de ſe non ſunt, cum tamen contineant verum Corpus Chriſti, nec vacuæ figuræ ſint, ſed plenæ, qualibet ſubſtantia nobiliores fiunt, quemadmodum veſtis induens Regem, qualibet alia veſte, quamvis pretioſiori, dignior efficitur.

53. Quod panis Euchariſticus nuda non ſit figura, ex eo probat Panigarola, quod panis Catechumenorum, quia merum ſignum erat Corporis Chriſti, ipſis etiam Catechumenis ſumi permittebatur; e contra iſta, nempe Hoſtia conſecrata, nec inſpici illis concedebatur: teſtem autem refert D. Auguſtinum *de peccat. meritis & remiſſ.* Ad hæc Apolog. *pag.* 357. valde tonas, quod Panigarola librum non decernat, minus caput, in quo a D. Auguſtino id ſcribatur. Deinde ſubdis, *lib. 2. de peccat. meritis & remiſſ. c.* 26. apud D. Auguſtinum te legiſſe: *Non uniusmodi eſt ſanctificatio, nam & Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem manus impoſitionis, puto ſanctificari. Et quod accipiunt, quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur; quoniam Sacramentum eſt.* Hic de pane Auguſtinus loquitur, qui non eſt Corpus Chriſti, & dabatur Catechumenis. Porro ſi panis habebatur Chriſti ſignum, qui non erat Corpus Chriſti, habebatur ergo panis, qui erat Corpus Chriſti non in ſola figura; alias quid referebat a D. Auguſtino dici, *quamvis non Corpus Chriſti?* Sed ais: *Quomodo poterat panis ille eſſe ſignum Chriſti, & Sacramentum, ut eum Auguſtinus appellat, ſi non erat Hoſtia conſecrata? Sacramentum eſt.* Reſumo: Quomodo eſſe poterat Sacramentum Euchariſtiæ, ſi non erat Corpus Chriſti? Euchariſtia apud Auguſtinum ſemper eſt Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, & tamen ipſe fatetur quod erat ſignum, & Sacramentum, non erat tamen Corpus Chriſti: juxta igitur Auguſtini ſenſum ut ſit Corpus Chriſti ſatis non eſt quod ſit ſignum. At vero quomodo dicitur Sacramentum? Quia Sacramentum erat Catechumenis, quanquam baptizatis Sacramentum non eſſet. Ignorare quippe non debes, tametſi Catechumenis non permitterentur Sacramenta Eccleſiæ, ſacra tamen quædam erant, quibus participabant, quæ ipſis quodammodo Sacramenta erant: quod ex eodem Auguſtino demonſtratur, qui opponit Catechumeni Sacramentum Sacramento baptizati; poſtquam enim dixerat in Eccleſia bonum Catechumenum malo baptizato præferri, teſtatur nec propterea injuriam ſe facere Baptiſmo: *Aut Catechumeni Sacramentum Sacramento Baptiſmi præferendum putamur, Lib. 4. de Bapt. contr. Donat. cap.* 21. Habebatur ergo Catechumenorum Sacramentum, quibus ſal erat Sacramentum, de quo Canon extat *Concil. Carthagin. III.* Id fatetur & ipſe Auguſtinus *Lib.* 5. *de catechizandis rudibus cap.* 26.; & *Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 11. de ſe loquens adhuc Cathecumeno, ait: *Et ſignabar jam ſigno Crucis ejus, & condiebar ejus ſale.* Catechumenis Sacramentum etiam erat ſacer Panis, ſed non Euchariſticus, qui diſtribui ſolebat ad charitatis, & unitatis ſignum his, qui impediebantur a ſumptione Euchariſtiæ; qui Panis Catechumenis etiam dabatur, & *Eulogia*, ut infra dicam, nuncupabatur. Hic a Divo Auguſtino *Sacramentum* dicitur, quod ſit res ſacra, & media diſpoſitio Catechumenis ad Euchariſtiam debito tempore ſumendam. Apud D. Auguſtinum *Sacramentum* erat quælibet res ſacra, & quodlibet ſacrum ſignum, quod valeat ad ſanctificationem: neque id concedere Picenine dubites, ſiquidem S. Doctor *lib.* 2. *contr. adverſ. leg. & prophet. cap.* 9., vocat *Sacramentum* etiam Matrimonium, quod tu numerare negas inter Sacramenta. Ceſſa igitur contendere in hac voce *Sacramentum*, quippe multiplicare cogeris Sacramenta plus quam tu velles.

54. Ni-

Digitized by Google

54. Nihilominus pertinaciter inſiſtis *pag.* 357., D. Auguſtinum loqui *de reliquiis S. Cœnæ; Panis quippe, qui reſiduus erat, dabatur Catechumenis.* Reſpondet tamen Panigarola, *hoc impoſſibile eſſe, ſi Catechumeni neque ad Cœnam videndam admittebantur; idcirco Miſſa erat Catechumenorum, ſic nuncupata, quia a Sacerdote finitis precibus, ſive imminente oblatione, ab Eccleſia dimittebantur.* Quomodo ergo reliquias Euchariſtiæ ſumebant, qui Euchariſtiam nec intueri poterant? Sequitur D. Auguſtinus *Tract.* 11. *in Joann.: Si dixerimus Catechumeno: Credis in Chriſtum? Reſpondet: Credo. Et ſignat ſe Cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de Cruce Domini ſui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum: Manducas Carnem filii hominis, & bibis Sanguinem filii hominis? Neſcit quid dicimus, quia Jeſus non ſe credit ei.* Itaque non modo eam intueri, ſed nec ullam ipſius notitiam habere permittebantur. Ita Tertullianus *Apolog. cap.* 7., & ipſe Auguſtinus *Tract.* 86. *in Joann.*, & in *Pſal.* 80. Neque ipſis locus erat in Eccleſia, dum de Auguſtiſſimo Sacramento ſermo habendus eſſet; unde Auguſtinus ſolitus erat dicere: *Fideles bene me intelligunt.* Et D. Joannes Chryſoſtomus *Hom.* 40. *in* 1. *ad Corinth.* ſtudebat obſcure loqui, agendo de Myſteriis: *Et cupiebam ſane clare proferre verba, ſi per profanos illos liceret . . . dicam tamen, ſed quantum fieri poteſt adumbrate.* Quomodo igitur Picenine prætendis, Euchariſtiæ reliquias Catechumenis diſtribui ſolitas, cum neque ſi Euchariſtia eſſet audire ipſis dabatur? Quod panis qui reſiduus erat poſt diſtributionem Euchariſtiæ quibuſdam in locis pueris daretur, alibi autem per Clericos, & laicos fideles conſumeretur, alicubi vero per ipſos communicantes, ac demum alibi igni traderetur, hæc omnia ſimul pro nunc tibi permittimus; ſed quod Catechumenis etiam erogaretur, non admittimus, inſtructi a D. Auguſtino, qui *Tract.* 11. *in Joann.* animadvertit, quod quemadmodum niſi qui mare prius tranſierant manna manducabant, ita carnem Domini non comedebant niſi qui prius per aquas Baptiſmi tranſiiſſent: *Ecce dico manna. Notum eſt quid acceperunt Judæi, populus iſte Iſrael, notum eſt quid illis pluiſſet Deus de Cœlo: & neſciunt Catechumeni quid accipiant Chriſtiani. Erubeſcant ergo quia neſciunt; tranſeant per mare rubrum, manducent manna, ut quomodo crediderunt in nomine Jeſu, ſic ſe ipſis credat Jeſus.* Nemini non baptizato, etſi aſcendiſſet tertium, vel quartum gradum inter Catechumenos, permittebatur reliquias ſumere Euchariſtiæ, immo nec illas panis oblati a populo ad conſecrationem, juxta Theophilum Alexandrinum.

55. Panis cujus Catechumeni fiebant participes *Eulogia* dicebatur, qui benedictione ſanctificatus diſtribuebatur, & de loco in locum inter fideles mittebatur ad unitatis ſignum, quod & Catechumenis permiſſum erat. Epiſcopi vero in teſtimonium alternæ communionis, viciſſim alter alteri mittere conſueverant. D. Paulinus hunc D. Auguſtino mittens, ſcribit: *Panem unum, quem unanimitatis indicio miſimus charitati tuæ, accipiendo benedicas,* apud Auguſt. *Epiſt.* 31. *nunc* 25.; & D. Auguſtinus Paulino, *Epiſt.* 34. *nunc* 31.: *Panis, quem miſimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis veſtræ benignitatis.* Videatur Vitringus *de triplici Cœna par.* 3. *cap.* 65., & Gloſſarius Græcobarbarus Meurſii verb. *Eulogia.* Aliquantum prolixus fui, ut malæ fidei, & inſaniæ tuæ commenta pateant, qui univerſæ vetuſtati contradicere non metuis, dummodo Panigarolæ reſtitiſſe videaris. Neque Auctores, quos refers, quidquam ſubſidii præſtant cauſæ tuæ. Etenim Commentariorum Auctor ſuper *Epiſt.* 1. *ad Cor. cap.* 11., non D. Hieronymus, ut falſo ſupponis, ſed Pelagius eſt, vel aliquis Pelagianus; præter quam quod ibi legitur, reliquias Euchariſtiæ inſumi ſolitas ab his qui obtulerant, alias: *Quicunque non obtuliſſet, non communicabat, quia omnia ſoli qui obtulerant,*

rant, *inſumebant*. Catechumeni autem panem certe non offerebant ad ſacrificium, quinimmo tempore oblationis ab Eccleſia mittebantur. Si ergó ſoli offerentes inſumebant, Catechumeni non inſumebant. Theophilus Alexandrinus *Canon.7.* minus tibi ſavet, dum Catechumenos apertiſſime excludit nedum a reliquiarum participatione, ſed & ab ipſa oblatione: *Qua in ſacrificii rationem offeruntur, post ea qua in ſanctorum uſum conferuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex iis bibat, vel comedat, ſed ſolum Clerici, & qui cum eis ſunt fideles fratres*. Quod attinet ad Heſychium, vel Hiſychium *lib. 2. in Levit.cap.* 8., quid quæſo prætendis eruere, dum ferat morem fuiſse reliquias Euchariſtiæ ſua ætate igne inſumi? Si inſumebantur igne, non ergo Catechumeni aſſumebant. Heſychius Euchariſtiam vocat *panem*. *& carnem, quia Corpus Christi, panem, & vinum*, ideo dicit Moyſen *Levit.8 31.* juſſiſſe *propterea carnem cum panibus comedi, ut intelligeremus illud ab eo myſterium dici, quod ſimul panis, & caro est, ſicut Corpus Christi panis, vini*. Hoc ad rem facit noſtram. Africę conſueviſſe Catechumenis Euchariſtię reliquias diſtribui, ſolemniſſimum eſt mendacium tuum, quod ſatis evincitur ex textibus D. Auguſtini ſupra laudatis.

56. Videamus modo an tibi melius probate contingat, in Eccleſia Conſtantinopolitana hujuſmodi reliquias a Catechumenis inſumi ſolitas. Teſtes appellas *pag.* 357. Evagrium *lib. 4. Hiſt. cap.* 35., ac Nicephorum *lib. 17. cap.* 15., quorum primus ſequens factum narrat: *Vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli, ut ſi quando multa admodum particula puri, & immaculati Corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholas frequentabant, accerſerentur, caſque manducarent*. Nicephorus autem: *Conſuetudo a multo tempore imperanti Urbi fuit, ut cum pluſculum de partibus immaculati, divinique Corporis Domini Dei, & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti reliquum eſſet, Sacerdotes puros incorruptos ex eis, qui ad Praeceptores ad ludum litterarium irent, accerſerent, qui jejuni reliquias eas ederent*. Particulæ Euchariſtiæ ab Evagrio, & Nicephoro, non *panis*, ſed *Corporis puri, immaculati, & divini Chriſti Dei noſtri, & Servatoris Jeſu Chriſti* appellantur. Inter pueros interſuit Hebræi filius, qui cum ceteris particeps factus eſt *Corporis Domini*. Hic etiam Euchariſtia appellatur *Corpus Domini*. Pater idcirco iratus filio, profeſſione vitriarius, in fornacem ardentem, in qua vitra coquebantur, filium projecit. Inibi triduum manſit illæſus, ſicut tres pueri in fornace Babylonis. Mater facinus detexit, & evulgavit, quæ deinde cum filio baptizatur; ſed Pater obſtinatiſſimus, a Juſtiniano ſupplicio Crucis damnatur. Ex hoc facto nunquid infers, Catechumenos etiam ad participationem Euchariſtiæ fuiſſe admiſsos? Verum ſi id te ſuadeat, ſuadebit etiam promiſcue tunc temporis admitti infideles omnes non Catechumenos, qualis puer ille Hebręus erat, quem Catechumenum fuiſſe, nec Evagrius, nec Nicephorus ferunt. Puer ille ſtatim baptizatus fuit, quia illorum temporum diſciplina, etſi Catechumenis Euchariſtiæ uſum prohiberet, ſemel tamen quis fortuito factus eſſet particeps Corporis Domini, expers fiebat Catechumenatus inducias, & velut ſatis inſtructus, illico Baptiſmo, & Confirmatione conſecrabatur. Id probat Joannes Baptiſta Caſalius *de Vet. Sacr. Chriſt. ritibus cap.* 20., quod confirmat auctoritate Timothei Alexandrini, Balſamonis, & Auctoris Conſtitutionum quæ adſcribuntur D. Clementi *lib. 7. cap.* 26. Nondum ergo Piceniне, quanquam magno verborum apparatu frondens, probatti Catechumenorum panem fuiſſe Euchariſticum, & invicta ſtat Panigarolæ ratio. Si autem panis, vel alius cibus ſanctificatus, quę pariter ſigna erant Corporis Chriſti, Catechumenis diſtribuebatur, Euchariſticus vero panis omnino ipſis prohibebatur, profecto illis temporibus Euchariſtia non merum ſignum

Corporis habebatur, ſed verum Chriſti Corpus. Nec valet ſtulta illatio tua, ſcilicet, cum illis temporibus Catechumeni neque ad aquam Baptiſmi, immo nec ad Baptiſterium videndum admitterentur. conſequenter inferri poſse, tum temporum ſorte credi aquæ baptiſmalis tranſubſtantiationem: etenim ex defectu elenchi ita hariolaris. Non enim a Panigarola panis tranſubſtantiatio ex eo probatur, quod Catechumenis Euchariſtia videri non permitteretur; ſed hæc eſt ejus ſermonis ratio: Catechumeni panem ſignum Corporis Chriſti comedebant, panem vero Euchariſticum haud ſumere, quin nec videre poterant. Ergo Euchariſticus panis multo plus erat quam nudum ſignum, & figura Corporis Chriſti.

57. Hoc argumento preſſus, rationis expers, non fraudis, lectorem a propoſito diſtracturus, verba mutas, & ex conſuetudine inſumendi particulas, novitate redarguis *pag.* 357. Romanam Eccleſiam, *quæ longo tempore ſervat Hoſtiam conſecratam, in ciborio eam occludens velut in carcere.* Inde petis, *quare Panigarola velit Hoſtiam occludi in Pyxide?* Ineptus garritus iſte multum refert ad magnificam Triumphi tui pompam, utpote qui magis magiſque te prodit Eccleſiaſticæ vetuſtatis jejunum, qui neſcis, primis ſeculis Euchariſtiam Romæ ſervari conſueviſſe a Summis Pontificibus, & mitti Epiſcopis abſentibus, in teſſeram communionis, & pacis; ſiquidem tametſi panis mitti ſolitus in pignus amoris ut plurimum non eſſet Euchariſticus, interdum tamen & iſte mittebatur. Hujus praxis teſtis eſt Irenæus, qui *Epiſt. ad Victorem* ſcribit, quod Pontifices in Apoſtolica Sede ejus prædeceſſores, ſcilicet Anicetus, Pius, Hyginus, Teleſphorus, & Sixtus, quanquam cum Aſiaticis non convenirent in celebratione Paſchatis, & in forma jejunii, pacem tamen ſecum habuerunt, & in ſignum mutuæ communionis *Euchariſtiam tamen miſerunt &c.* Cyprianus autem *Lib. de lapſis* id confirmat, referens perſecutionis tempore in uſu fuiſſe, quod fideles in Eccleſia Euchariſtiam recipientes, domum deferrent, ut quotidie ſumerent clam a perſecutoribus; & duo facta narrat, unum cujuſdam mulieris, a qua Euchariſtia (a Cypriano dicta *Sanctum Domini*) in ſcrinio recondita, cum impuris manibus ſcrinium aperire tentaſſet, globum ignis erumpentem vidit, quo ſpectaculo territa ab incepto deſtitit; alterum ſacrilegi cujuſdam hominis, qui a manibus Sacerdotis clanculum recipiens *Sanctum Domini.* hoc neque tangere valuit, & reſeratis manibus, vidit non *Sanctum Domini*, ſed cinerem tenere. Primis ergo illis ſeculis ſi Euchariſtia publice non ſervabatur ex infidelium metu, ſecreto tamen cuſtodiebatur a Sacerdotibus; & fidelibus, reverenter in domibus ſuis. Fidelibus etiam longe peragrantibus dari mos erat, ut refert Euſebius *lib. 5. Hiſt. cap.* 24. D. Ambroſius Oratione *pro Satyro*, fratris commendans pietatem, narrat quod naufragio proximus, *ne vacuus myſteriis e vita exiret*, a Sacerdotibus petiit divinum fidelium Sacramentum, *non ut curioſos oculos arcanis inſereret, ſed ut fidei ſuę conſequeretur auxilium*, ſiquidem Sacramentum in orario involvi poſtulavit, *et orarium involvit in collo*, & ſic munitus exiliens in mare, primus evaſit incolumis. Non quæ remanebant omnia conſumebantur, ſed quæ ſupererant jam cibatis communicantibus, immo & ſervatis quæ repentinis caſibus opportuna eſſent; ſecus, quomodo Serapion, apud Euſebium *lib. 6. Hiſt. cap.* 36., puerum miſiſſet, ut a Sacerdote ſibi delata Euchariſtiæ particula, hanc ſumeret in agone mortis, ſi tota inſumpta eſſet? Quomodo D. Joannes Chryſoſtomus potuiſſet Innocentio I. Pontifici ſcribere *Epiſt.* 1., Milites ab Imperatore miſſos ut ipſum occiderent, Sanguinem effudiſſe ſervatum pro Neophytorum communione, ſi nihil hujuſmodi ſervatum fuiſſet? *Locum in quo Sancta condita ſervabantur ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos myſteriis, & viderunt omnia quæ intus erant, quin & Sanctiſſimus*

Chri-

Chriſti Sanguis (Sanguinem vocat, non typum Sanguinis), *ſicut in tali tumultu contingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt*. Quomodo Optatus *lib. 2. cont. Parmenian. cap. 19.* de Donatiſtis Epiſcopis ſcripſiſſet: *Juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno divini judicii. Nam iidem canes accenſi rabie, ipſos dominos ſuos, quaſi latrones, Sancti Corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt?* Indicia autem hæc ſunt perſpicua, in Eccleſiis Euchariſtiam ſervatam, & perſecutionum tempore apud fideles retentam fuiſſe. Pace autem reddita Eccleſiæ, etiam in Eccleſiis cœpit cuſtodiri, ſed ea ratione, ut non alia re maneret, niſi quæ ſufficere poſſet fidelium neceſſitatibus; reliquum autem inſumebatur, ut oſtendunt teſtimonia a te relata, qui Bellarminum *lib. 4. de Sacr. Euch. cap. 4.* præ aliis legere poteras, & ad ea, ſi tanti vales, occurrere, quæ prælaudatus Auctor in hac re optime probat.

58. Vides ſtadium præteriiſſe; quamobrem *pag. 358.* ſuſcipis: *Redeant Panigarolæ regulæ. Tertiam, & quartam jungo.* Interim doles, *ipſum Calviniſtas traducere tanquam hæreticos Diabolo deteriores*; ex quo convicio inferre prætendis, Panigarolam *hæreticum* eſſe, non te, ſiquidem *hæreſis, & maledicentia comites ſunt*. Si ita, male de te Picenine; peſtilentiſſimus enim omnium hæreticus es, ſiquidem duplum ex ternis Operum tuorum partibus confic unt improbiſſima maledicta & putidiſſimæ calumniæ adverſus Catholicos. Porro ſi Calviniſtæ non hæretici, cur Marcionitæ, Manichæi, Ariani, Neſtoriani? Cur apud te etiam Sociniani, Anabaptiſtæ, aliique ſimiles? Hi omnes negarunt, negantque, æque ac tu, ſe hæreticos eſſe, re veratamen hæretici ſunt. Si tibi diſpliceat dici hæreticum Diabolo deteriorem, cur non reſpondes rationi factæ? Diabolus (ait Panigarola) aſſerens Chriſtum verum eſſe Dei Filium, Ario minus hæreticus fuit. Cum autem ipſe Diabolus fateatur Filium poſſe lapides in panem convertere, minus hæreticus fuit quam qui negat Chriſtum poſſe panem in proprium Corpus vere mutare. Ais te reſpondere, & differentiam indicare, quin a ſermone te ſubtrahas, ſiquidem *hæreſis a maledicentia nunquam ſejungitur*. Enimvero ſi a maledicentia hæreſis agnoſcenda ſit, ſatis erit ſcripta legere Lutheri, Calvini, Picenini, quotque a Pſeudoreformatoribus edita ſunt ſacrilega dogmata, quæ cum iniquiſſimis conviciis, & maledictis undique ſcateant, adverſus etiam venerabiliores viros, ſanctitate, & doctrina inſignes in Eccleſia Chriſti, id valebit, ut omnino conſtet quo hæreſis & maledicentia commoretur. Quod ſi noſtri reſpondentes, irato ſcripſerunt calamo, id fecerunt, ſicut petiti ad necem inculpato defenſionis jure ſolent aggreſſores lædere, ne lædantur.

§. VII.

Sequuntur vindiciæ Tranſubſtantiationis.

59. Novum aliud noviſſimum reddis reſponſum rationibus Panigarolæ in Apologia *pag. 358.*, nimirum: *Si Franciſco Panigarolæ placeat cum Diabolo Tranſubſtantiationem credere, ſibi reputet. Quæ neceſſitas ad Dei omnipotentiam confugere, ut probetur Tranſubſtantiatio?* De Tranſubſtantiatione ſermonem habere non poſſumus, quin ad Dei omnipotentiam confugiamus, quemadmodum de Incarnatione loqui neſcimus, niſi principium illud attendamus ab Archangelo Gabriele, tanquam omnium regulam, nobis traditum: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Lucæ 1. 37.* Tranſubſtantiatio, non minus ac Incarnatio, myſterium eſt & arcanum, quod ſola Dei omnipotentia efficere poteſt. Poſito autem non eſſe impoſſibile Deo panem in ſubſtantiam Corporis Chriſti convertere, ut ſciamus an re vera id factum ſit, Dei verbum in Scripturis revelatum

debemus conſulere, qua ratione an vere divina Incarnatio facta ſit, unice ex Scripturis ſcire poſſumus, & inveſtigare. Si Panigarola aſſerit, Filium Dei vere factum eſſe hominem, quia Deus ipſe in verbo ſuo id revelat, ipſe etiam revelat panem in Corpus ſuum mutare, ubi ait, quod panis videtur, hoc eſſe Corpus ſuum. Porro ſi primum auditur, & creditur, ita ſecundum. Quid autem ad hæc Picenine? Nempe: *Nego Deum creatura poteſtatem dare velle creandi Creatorem ſuum. Quomodo id probat Capuccinus?* (ideſt Panigarola). Et ego id nego. Quis tamen unquam aſſeruit, data Tranſubſtantiatione creaturam creandi Creatorem ſuum habere poteſtatem? Hoc eſt chimæras fingere in odium veritatis. Dumtaxat aſſeritur, dum Sacerdos in perſona Chriſti ea verba pronuntiat, quæ in Cœna Chriſtus pronuntiavit, verbis iſtis, ex efficacia a Chriſto donata, facit quod Chriſtus fecit, nimirum tranſmutat ſubſtantiam panis in ipſum Corpus Chriſti; quod ejus promiſſioni innititur: *Hoc facite in meam commemorationem.*

60. Addis *pag.* 358., Panigarolam velle quod *aptemus ſupremo abſolutam potentiam, qualem aptant ſui Scholaſtici: quod Deus poſſit perſonaliter uniri cuilibet creaturæ, rationali, & irrationali: ſive quod potentia Dei abſoluta conſideretur abſque reſpectu ad ſua divina attributa. Ita loquuntur ejus Scholaſtici.* Scholaſtici noſtri concedunt a divina omnipotentia poſſe fieri quidquid non implicat fieri, nec ſane coarctamus cum Calvino *Lib.* 1. *Inſtit. cap.* 16. §. 3. Dei omnipotentiam ad ea tantum quę facit, ſed extendimus ad infinita quę non facit, & *facere* tamen *ipſe* poteſt. Hinc fit, quod licet Calviniſtis ardua videatur doctrina noſtra, cum doceat Deum poſſe cuilibet creaturæ uniri, rationali, & irrationali, nobis tamen hoc poſſibile videtur, quia poſito Deum rationalem creaturam aſſumere potuiſſe, & hominem fieri, nulla nobis videtur contradictio in aſſerendo poſſe aliam quamlibet aſſumere, & fieri *ſaxum*, *truncum*, quanquam id fieri condecens non reputemus. Etenim virtus illa omnipotens, quæ vincere potuit infinitam diſtantiam inter Deum, & hominem, unionem iſtorum faciens, cur, ſi vellet, non poſſet in una Hypoſtaſi unire *truncum*, *& Deum*? Hæc tamen opinio eſt, non dogma: quod ſi tibi non placeat, rejice a Theologia tua, nec ideo dolebimus. Quod vero divina omnipotentia conſideretur abſque reſpectu ad ſua divina attributa, ſcilicet quod valeat facere *juſta, & injuſta, abſque clementia, & ſapientia, mentiri, peccare, ſe ipſum negare &c.*, hæc inſipienter loqueris, quippe quod iſta non eſt Dei omnipotentia, quam Theologia noſtra contemplatur, quæ a Deo expreſſe removet hujuſmodi monſtra, nempe mendacium, peccatum, & hujuſmodi, velut omnipotentiæ contraria, & defectus potentię, non potentiam. Monſtrum hoc omnipotentiæ utique in Calviniſticis Scholis fingitur, dum aſſerunt Deum æque poſitive velle, & concurrere ad omnia opera impia, & flagitioſa, juſta, & injuſta, ut in primo Tomo oſtendimus. Omnipotentia, cui Tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti adſcribimus, non eſt potentia ad iniquitatem, mendacium, peccatum, ſicut nec illa qua Deus poſſet ſibi unire ſaxum, vel truncum. Quot immutationes factæ ſunt a Dei omnipotentia, quæ re vera factæ creduntur quia in Dei verbo revelantur? Quare ergo cum idem Chriſtus panem nobis dat in Corpus ſuum immutatum, renuemus credere id vere poſſibile factu, immo factum omnino a Dei potentia?

61. Tu vero, qui dummodo non taceas reſpondiſſe putas, contendis Apolog. *pag.* 359. *ex Tranſubſtantiatione abſurdiſſima ſequi: quod eſt contra quartam Panigarolæ regulam. Inde ſequuntur nedum jam indicata abſurda, verum etiam primo, quod in prima Cœna manducata fuerit caro Chriſti crucifixa, antequam crucifigeretur.* Hæ nugæ. Porro ſcias, Chriſtum carnem ſuam in prima Cœna dediſſe in ci-

bum

bum quæ tum in ipſo erat, in quo nondum crucifixa, crucifigenda brevi tamen erat. Carnem igitur ſuam dedit non crucifixam, ſed crucifigendam; quanquam dici poſſet dediſſe carnem ſuam myſtice crucifixam, priuſquam re vera crucifigeretur, dum myſtica diviſio Sanguinis facta in Sacra Cœna, figura fuit realis ſeparationis mox faciendæ in Cruce: quemadmodum a Calvino dicitur quod panis a Chriſto datus, in figura comedendam præbebat eandem illam carnem, quæ nondum re vera crucifixa erat, mox tamen debebat crucifigi. Alterum quod ſomniaris abſurdum eſt, *Chriſtum in omnibus Euchariſtiis crucifigi; panis quippe eſt panis qui frangitur*. Non hæc abſurditas, ſi recte intelligatur, ut D. Auguſtinus ſcribit *Epiſt.* 23. *ad Boniſac.* nunc 98. Abſurdum non eſt, quod Chriſtus in ſe re vera ſemel crucifixus, in Sacramento myſtice iterum crucifigatur: *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? Et tamen in Sacramento, non ſolum per omnes Paſcha ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur qui interrogatus, eum reſponderit immolari*. Itaque Chriſti Corpus ſemel in ſemetipſo crucifixum, quotidie myſtice crucifigitur in Euchariſtia: & eadem caro, quæ in propria ſpecie ſemel immolata fuit in Calvario, quotidie immolatur ſuper altare ſub ſpecie panis. Illic immolatus fuit Chriſtus reali Sanguinis ſui effuſione, hìc immolatur quia idem Sanguis myſtice ſeparatur a Corpore. Franguntur ſpecies panis, & vini, nec tamen dividitur, aut frangitur Corpus Chriſti, ſed totum in qualibet ipſius parte recipitur.

62. Tertium monſtrum, quod tuo Marte tibi componis, eſt: *In prima Cœna Chriſtus duo habuit Corpora; unum totum extenſum, viſibile, & palpabile; aliud inextenſum, inviſibile, impalpabile. Unum adſtans menſæ, aliud manducatum in menſa. Unum cibum diſtribuebat Apoſtolis, alterum Apoſtolis cibus erat*. Sed hæc chimærica monſtra, fœtus ſunt imaginationis tuæ. Chriſtus in Cœna non habuit duo corpora, ſed unum tantum, licet in modo diverſum. Corpus Chriſti in ipſo viſibile fuit, & palpabile, ſub ſpeciebus autem panis inviſibile, & impalpabile, uno modo adſtans menſę, alio modo cibus menſæ. Uno modo cibum diſtribuebat Apoſtolis, alio cibus illorum erat: eo pari paſſu, quo, juxta D. Auguſtinum *Enarrat. in Pſalm.* 33. *conc.* 2., Chriſtus dum manibus accepit panem, ferebat Corpus ſuum, & ferebatur: *Ferebatur in manibus ſuis. Quomodo ferebatur in manibus ſuis? Quia cum commendaret ipſum Corpus ſuum. & Sanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles. & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: Hoc eſt Corpus meum*. Aliud hariolaris abſurdum, inquiens quod *ſequatur Chriſtum comedi a ſceleratis, & a viliſſimis animalibus*. Quod flagitioſi manducent, id ſupponit D. Paulus 1. *Cor.* 11. 29.: *Qui manducat, & bibit indigne* (quanquam ex ipſius pravitate). *judicium ſibi manducat, & bibit*. Eorum qui manducaverunt manna quidam mortui ſunt; & tamen omnes manducaverunt. Inter Apoſtolos qui Corpus Chriſti in Cęna ſumpſerunt, Judas laqueo ſe ſuſpendit; & tamen, juxta D. Chryſoſtomum *in Hom. de proditione Judæ*. & D. Auguſtinum *Tract.* 26 *in Joannem* Judas ipſum manducavit: *Nonne buccella Dominica venenum fuit Judæ? Et tamen accepit: & cum accepit, in eum inimicus intravit; non quia malum accepit, ſed quia bonum male malus accepit*. Nunquid pręrenderes, ſi impius Judę ſimilis accedat ad Euchariſtiam, Sacramentum non acciperet? Igitur impius accipit Sacramentum, in quo realiter continetur Chriſti Corpus. Quid repugnantię, quod impii accipiant Corpus Chriſti? Ex te impii manducant figuram Corporis Chriſti, per nos verum Corpus Chriſti in Sacramento comedunt, ſed in perditionem ſuam comedunt; hinc D. Auguſtinus *Tract.* 27. *in Joann.*: *Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat dilectiſſimi, ut Carnem Chriſti, & Sanguinem Chriſti non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali*

(cu

(en impii manducantes Carnem Chriſti in Sacramento), *ſed uſque ad ſpiritus participationem manducemus, & bibamus .... Etiamſi multi nobis nobiſcum manducant, & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine diverſa tormenta.*

63. Quod Corpus Chriſti edere poſſint viliſſima animalia, abſurdum tibi videtur, & tui ſimilibus. Attamen ſi minus abſurdum non fuiſſet, Corpus Chriſti viſibile, & palpabile a feris dilaniari, vel Sanguinem ejus ſtillantem a Cruce, ut poterat, a canibus, vel aliis animalibus lambi, negabis ne idcirco Chriſtum habuiſſe verum Corpus, & verum Sanguinem, ad evitanda hæc inconvenientia? Si hoc non obſtante in Chriſto verum Corpus, & verum Sanguinem viſibilem, & paſſibilem confiteris, cur detrectabis concedere in Sacramento verum eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti, quia Sacramentum ab immundis animalibus comedi poſſit? Si fera voraret, panis accidentia voraret, non dilaniaret, ut illic accidiſſet, Corpus Chriſti; & ſi biberet, accidentia vini biberet, non autem, ut illic, in propria ſpecie ejus Sanguinem. In feræ ſtomacho perſeveraret Corpus Chriſti, ſtantibus ſpeciebus, nullum effectum ibi producens, quemadmodum quocunque alio loco ſtaret, ubi ſpecies Panis conſecrati reponerentur. Quod ſi animalis ſtomachus indecens locus eſſet Chriſti Corpori, indecentior eſſet peccatoris pectus, in quo eſt peccatum: & tamen fert in ipſum ingredi, ibique eſſe, dum ad Euchariſtiam ſumendam ille accedit. Minus vero officit quod ut aliud abſurdum ſequi contendis, ſcilicet *poſſe Carnem illam corrumpi, quæ in tumulo corruptionem non ſenſit;* etenim dicere potius debebas, corrumpi poſſe accidentia Panis, neutiquam vero Chriſti Corpus. Immo quemadmodum dum corpus corrumpitur, anima non inficitur, ſed tantum in corpore eſſe deſinit, ita corruptis ſpeciebus Euchariſticis, Corpus Chriſti non corrumpitur, ſed unice deſinit eſſe ſub illis. Alia abſurda habere te ais, *quæ ſufficerent ad plures implendas paginas. Cum veneno inficitur Hoſtia, vel Calix, peto a Panigarola ubi ſit venenum, in Pane, ac Vino, an potius in Carne, & Sanguine Jeſu? Si in Pane, & Vino, ſibi contradicit, quia ejus judicio Panis, & Vinum non adſunt amplius. Si vero in Carne, & Sanguine Jeſu, en abſurdam impietatem.* Ineptiſſimæ huic animadverſioni reſpondetur, ſi veneno inficeretur Hoſtia, aut Sanguis, venenum non eſſet in Pane, & Vino, quia ſubſtantialiter non ſunt, minus vero in Corpore, & Sanguine Chriſti, quæ indiviſibili modo, quo ibi ſubſtant, apta non ſunt quidquam ſenſibile in ſe recipere. Eſſet itaque in ſpeciebus Panis & Vini, quæ realiter remanent, ac præſertim in utriuſque quantitate, quæ quemadmodum ibi corporis munera gerit, ceteras ſuſtentans qualitates Panis, & Vini proprias, ita capax ſit aliam qualemcunque ſuſtinere affectionem extrinſecus advenientem, vel uniri alteri cuique ſubſtantiæ quippe cum Dei omnipotentia ſuſtentetur. apta eſt recipere in ſe quidquid Panis reciperet, & Vinum. Remanente igitur quantitate, cum omnibus dimenſionibus ſuis, figura ſcilicet, forma, colore &c., ceſſant vana omnia mirabilia tua; qui ſane poteras tacere etiam caſus Victoris III. Papæ, & Henrici VII. Imperatoris, quod veneno perierint, aut in Hoſtia, aut in Calice ſacro ipſis propinato, tum quia ad rem non pertinent, tum etiam quia male cohærent. Victorem III. veneno periiſſe dubium eſt, & mera ſuſpicio fuit, venenum propinatum ipſi fuiſſe in Calice ſacro. Quod attinet ad Henricum VII., vulgatum fuit in Hoſtia venenum ſumpſiſſe, ſive in ablutione poſt Communionem ſuſcepta: at Spondanus evidenter probat hanc fabulam eſſe, *ad ann.* 1313. *num.* 6.

64. Quaſi vero confecta re adverſus *Tranſubſtantiationem*, ſcenam comples mimico plauſu, ſcilicet: *Ab Franciſce! Ad merendam tot abſurditatibus fidem, parum refert clamare: Omnipotens,*

tens, Omnipotens Deus eſt, anima mea. Ad rem hìc facit reſponſum D. Auguſtini *Epiſt.* 2.. *nunc* 102. *ad Deogratias cap.* 6. Pagano datum, qui irridebat cuncta noſtræ fidei myſteria, & inter cetera portentum Jonæ a Cete glutiti: *Ad hoc reſpondetur* (ait ille), *quod aut omnia divina miracula credenda non ſunt, aut cur hoc non credatur cauſa nulla ſit. In ipſum autem Chriſtum, quod tertia die reſurrexerit, non crederemus, ſi fides Chriſtianorum cachinnum metueret Paganorum.* Si Calviniſtæ non contendunt, quomodo tres Perſonæ realiter inter ſe diſtingui valeant, unam eandem habentes naturam, quomodo Deus homo fieri queat, Deus humanis ærumnis ſubjici, flagellis cædi, plagis vulnerari, crucifigi, & morti ſe tradere; cur incredibile ſuadere contendunt, quod Panis immutari poſſit in Corpus Chriſti, quod Corpus illud integrum ſtare poſſit ſub illis ſpeciebus, & ibi eſſe ſua indutum quantitate? *Aut omnia divina miracula credenda non ſunt, aut cur hoc non credatur cauſa nulla eſt.* Scripturæ quæ cetera myſteria nos docent, & iſtud docent.

65. Hoc unum deerat, quod ignaro vulgo perſuaderes, ut facis *pag.* 359., *Tranſubſtantiationem repugnare Sacramentorum naturæ, in quibus ſignum in ſignati naturam non immutatur, ut perſpicue patet in Baptiſmo.* Sacramentorum natura non alia lege præſcribitur, nec innoteſcit, niſi ex voluntate, & dictis Chriſti Auctoris, remota quacunque humana ratione. Porro Chriſtus de Baptiſmo loquens, non dixit aquam eſſe Sanguinem ſuum, quemadmodum accepto pane ait: *Hoc eſt Corpus meum*, & de Calice: *Hic eſt Sanguis meus.* Quamobrem ſi nulla nobis ratio ſubeſt, ut credamus aquam in Baptiſmo fieri Chriſti Sanguinem, ſubeſt tamen, qua credere teneamur Panem in Euchariſtia immutari in Corpus, & Vinum in Sanguinem ipſius. Quod Sacramentum quodlibet *ſignum ſit ſenſibile*, ex Scripturis docemur, quodpiam vero Sacramentum nudum eſſe ſignum, quod rem ſignificatam non contineat, unde Piccenine habes? Si de Baptiſmo id aſſeras, aſſentiar, nunquam vero de Cœna, quia Chriſti verba contrarium affirmant. Nec valet dicere: *In Baptiſmo aquam video, & regenerationem meam credo*, quia Chriſtus ait *Joann.* 3. 5.: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua &c. In Cœna vero Panem video, alimentum meum video, quia Chriſtus ait: Accipite, & manducate.* Quia autem ibi video in figura tantum tingi Sanguine Chriſti, non enim Chriſtus ait aquam illam eſſe Sanguinem ſuum; hìc vero, etſi Panem, & Vinum videam, quia Chriſtus hæc ſymbola exhibens ait illum eſſe *Corpus ſuum*, iſtum eſſe *Sanguinem ſuum*, qualicunque ſenſuum teſtimonio Chriſti dictum præferendum cenſeo, ac teneo ibi nullam fieri aquæ immutationem niſi in figura, hìc autem immutationem fieri Panis in Corpus ſuum, Vini in Sanguinem, non in figura, ſed in veritate ſubſtantiæ. Hæc eſt vera, & unica ratio diſcernendi inter hujus, vel illius Sacramenti naturam. *Regeneratio mea eſt ſpiritualis*, ut blateras in Apolog. *pag.* 360. *Spirituale eſt etiam alimentum meum.* Veriſſime. *Utrumque ſenſibilibus ſignis exprimitur.* Illa *ſub aqua ſymbolo, quod corpus meum abluit, & figura eſt Sanguinis Chriſti, qui animam meam abluit.* Hoc *ſub ſymbolis panis, & vini.* At hujuſmodi ſymbola aliud ſenſibus, aliud fidei meæ repræſentant; etenim ſenſibus exhibent Panem, & Vinum, fidei vero non figuram, ſed verum Corpus, & Sanguinem Chriſti. „ Ad nos venit „ Verbum, ait D. Auguſtinus *Lib.* 83. „ *quæſt.* 4., ad oſtendendum homini„ bus exemplum vitæ. Venit Spiri„ tus Sanctus ad ſignificandum donum „ illud, ad quod recte vivendo per„ venitur. Utrumque viſibiliter fa„ ctum ad transferendos carnales ho„ mines ex his quæ oculis cernuntur, „ ad ea quæ mente concipiuntur. „ Venit Verbum in forma hominis, & „ venit Spiritus Sanctus in forma Co„ lumbæ, & linguarum ignis „. Porro qui aſſereret Columbam illam, & linguas,

guas, Spiritum Sanctum repręſentantes, non in veritate fuiſſe Spiritum Sanctum, ſed nudam ipſius figuram, nunquid propterea ſequeretur, quod Chriſtus homo viſibilis re vera non fuerit in Perſona divini Verbi, & Filius Dei, ſed nuda imago, & figura? Qui ita diſſereret, Catholicus ne haberetur, an potius Neſtorianus, & Socinianus? Attamen eadem eſt in re noſtra tua Picenine differendi ratio, dum in Baptiſmo Sanguinem Chriſti in figura tantum, non in veritate repræſentari aſſerens, infers neque in Cœna in veritate contineri. Aqua non eſt Sanguis Chriſti: ergo Panis non eſt Corpus Chriſti. In Baptiſmo non eſt aquæ immutatio: ergo in Cœna nulla eſt Panis, ac Vini immutatio. Lepida, & acutiſſima dialectica! Credendum tamen Chriſtum in natura, & ſubſtantia Filium Dei, quia æternus Pater ſic eum pronuntiavit: *Hic eſt Filius meus dilectus*; Columba vero credenda eſt duntaxat figura Spiritus Sancti:, quia ſcriptum eſt: *Deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie, ſicut Columba. Lucæ 3. 22.* Ita credendum, Panem, & Vinum in Cœna ſubſtantialiter eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti, quia id ipſe teſtatus eſt, inquiens: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus.* Aqua vero Baptiſmi credenda eſt ſola figura, & ſignum Sanguinis Chriſti, quia *aquam* hanc ſemper Chriſtus nominat, non Sanguinem ſuum.

66. Si in Baptiſmo *ſpiritualiter regeneror*, & in Euchariſtia *ſpiritualiter paſcor*, ut advertis, quod tamen me paſcit, non eſt Panis, nec Vinum in ſubſtantia, & figura tantum Corporis Chriſti, ſed eſt ipſum Chriſti Corpus, & ipſe Sanguis, ſub ſpeciebus Panis, & Vini. *Corpus, & Sanguis Jeſu eſt cibus meus, & potus meus, ſpiritualis, & myſticus*, ait ſiſtam in verbis tuis; non quod utrumque in figura tantum accipiam, ſed quod non ſub propria, ſed ſub aliena ſpecie accipiam. Subdis etiam Apolog. *pag.360.: Quemadmodum anima induit veſtem, ſic comedit cibum. Totum eſt myſticum, & ſpirituale.* Neque id contendimus. At quemadmodum, ut ipſe opinaris, indumentum animæ non eſt figura, ſed ipſamet juſtitia Chriſti apprehenſa per fidem; ſic alimentum animæ non eſt figura, ſed verum, & idem Corpus Chriſti ſumptum in Sacramento, & fide digeſtum: & ſane phantaſticum eſt ingenium tuum, qui cum audias Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, vis juſtitiam ipſam, qua Chriſtus juſtus eſt, nos juſtificare; e contra cum audias Chriſtum dicentem: *Caro mea vere eſt cibus*, prætendis Carnem Chriſti cibum nobis eſſe tantum in figura. Ægrotantium ſomnia, & aniles fabulæ appellari poſſunt ſiniſtræ animadverſiones tuæ. *Non fingo*, ais, *corporalem manducationem, & ſpiritualem cibum.* Et ego aſſero corporalem comeſtionem Sacramenti, quod cum in ſe contineat Corpus Chriſti, intra me defert idipſum Corpus, quo anima mea paſcitur. Et quemadmodum corporaliter abluendo corpus in Baptiſmo, ſpiritualiter abluitur anima, ita corporaliter comedendo ſenſibile Panis, ſpiritualiter alitur anima. Iterum Apolog. *pag.360.* ais, *Sacramenta non iſſe poſita ad trahendum Chriſtum ad terram, ſed ad elevandum ſpiritum noſtrum uſque ad Cęlum.* Reſpondeo: Sacramenta Chriſtum ad nos deſcendere faciunt, ut nos aſcendamus ad ipſum, hac tamen differentia, nempe, alia effectus Paſſionis ejus ad nos deferunt, Euchariſtia vero nobis confert Chriſtum ipſum. Calvinus ipſe neſcit id prorſus negare, *Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 3.: Solidam habemus teſtificationem in hoc Sacramento, ut certo ſtatuendum ſit, vere nobis exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur; hoc enim verbum nec mentiri, nec illudere nobis poteſt: Accipite, edite, bibite, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hic eſt Sanguis, qui in remiſſionem effunditur.* Tanta eſt veritatis efficacia, ut ab inimiciſſimo ſuo, etiam nolente, confeſſionem valeat extorquere. D. Irenæus *Lib. 4. adverſ. hereſ. cap. 34.* a te relatus, ait Sacramentum duo habere, *unum terreſtre, aliud*

ca-

cæleſte; *& Sacramenta ſigna eſſe viſibilia inviſibilis gratiæ:quod docet etiam Catechiſmus Romanus p.2.ca.1.ad qu.4.*,a qua certiſſima doctrina inde petis, *quod ſignum Panigarola habeat in Cœna ſua?* Cum autem reſpondeat ſpecies eſſe figuram Corporis, quod ſub ipſis latet, ſuſcipis iratus: *Ego id pernego, & abſurdiſſimum habeo.* Sed pateant quæſo tantæ abſuditatis cauſæ: *Oportet ſimilitudinem eſſe inter ſignum, & ſignatum. Quæ porro ſimilitudo eſſe poteſt inter ſpecies, quæ non nutriunt corpus,& Chriſti Corpus nutriens animam?* Taces, ſimilitudinem inter ſignum,& ſignatum eſſe debere proportionis, non adæquationis; quæ negari nequit inter ſpecies, ſive accidentia ſenſibilia Panis, & Vini, quæ nutriunt corpus, & ipſum Chriſti Corpus,quod alit animam. Ab hoc ſenſibili ducitur mens, præeunte fide,in conſiderationem Corporis & Sanguinis Chriſti, quæ ſub ſpeciebus animam paſcunt.Species illa Columbæ viſa ſuper Jordanem, tantam ſane habuit proportionem, ut Spiritum Sanctum indicaret, qui totus eſt amor. Quare igitur ſpecies Panis, & Vini, quæ reales ſunt, non apparentes, nobis in Cœna exhibitæ, tantam habere nequeunt habitudinem, quæ repræſentet Chriſtum cibum nobis factum. ? Si accidentia ſunt objectum, quod ſenſibus percipitur, non ipſa ſubſtantia, dum oculus ſenſibiliter videt, guſtus ſapit, tactus tractat Panem, quanquam non ibi Panis ſubſtantia ſit, nihil tamen deeſt, per quod mens non valeat a ſenſibili cibo ad inſenſibilem ſe transferre. *Qui manicam videt, infert ſub manica eſſe manum*, & eadem ratiocinatio fieret, ſi ſenſibile tantum adeſſet, ſine ſubſtantia manicæ. Itaque videns ſenſibile Panis, & Vini,quæ ſunt corporis alimenta, differet ibi eſſe Corpus Chriſti, & ejus Sanguinem, animæ cibum, tametſi nulla ſit ſubſtantia Panis, & Vini. Nihil proficis argumento tuo, quod nihil valeat.

67. Quamobrem aliam ingrederis viam, Panigarolæ inſultans Apolog.*pag.* 360., quod afferat *idem Corpus Chriſti in Hoſtia ſignum eſſe ſui ipſius.* Putas autem hoc ſyllogiſmo eum conterere: *Signum Sacramenti eſt viſibile. Corpus Chriſti in Hoſtia eſt inviſibile. Ergo Corpus Chriſti non eſt ſignum ſui*; qui loquendi modus manifeſtat ſermonem Panigarolæ a te non intelligi. *Signum Sacramenti eſt viſibile.* Hoc veriſſimum.Quis vero unquam aſſeruit, Corpus Chriſti de ſe ſolum eſſe Sacramentum, quin potius rem ſignificatam,& contentam inSacramento? Corpus Chriſti in Sacramento eſt ſignum, & ſemetipſum ſignificat immolatum in Cruce, quia myſtica ſeparatio Corporis ſui a Sanguine, quæ fit in hoc Sacramento, eſt memoriale ſignum realis ſeparationis Sanguinis in Calvario effuſi. Hic Panigarolæ ſermo. In quo peccat? Num quod ſignum eſſe debeat ſenſibile? Utique ſignum quod excitet ſenſum, non illud quod moveat intellectum. D. Thomas 3. *p. q.* 60. *ar.* 4. *ad* 1. ſanc docet, rationem ſigni rebus ſenſibilibus potiſſimum convenire, quod iſtæ primo nobis objiciantur. Negari tamen nequit, intelligibilia quoque aliorum notitiam in nobis poſſe excitare, dum ipſa per ſenſibilia nobis manifeſtantur, ideoque Corpus Chriſti per ſpecies Sacramentales nobis indicatum poſſe ſuæ Paſſionis memoriam ad mentem noſtram revocare, tum etiam ſemetipſum deſignare; cum res aliqua ſub aliena ſpecie poſſit ſui ipſius ſignum eſſe, ut docet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 8. *qu.* 1. *ar.* 2. *qu.* 2. *ad* 3., probans Sanguinem Chriſti in altari conſecratum, ſignum eſſe ſui effuſi in Cruce. Non hic ſignum cum ſignato confunditur, ſed mens tua errorum tenebris miſere involuta, ipſa confunditur.

68. Præterire non debeo Panigarolam a nota liberare, quam ex familiari benignitate tua ipſi imponis, nempe ſibi contradixiſſe, quod hinc dixerit *Panem tranſubſtantiatum non amplius appellari Panem, hinc vero aſſerat Eucharistiam Panem appellari, quia juxta Scripturæ phraſim, omne comeſtibile Panis dicitur.* Si attente Pa-

nigarolam legiſſes, nec umbram contradictionis deprehendiſſes. Panigarola probare vult, Chriſtum in menſa Panem accepiſſe, ſed Panem non dediſſe, bene vero Corpus ſuum, quod ex textu probat Evangelii, ubi apud D. Matthæum *cap.* 26. legitur: *Accepit Panem*. Quando autem Apoſtolis dedit; non amplius dixit *hic eſt Panis*, ſed *hoc eſt Corpus meum*; & notat, tum apud D. Marcum *cap.* 14., tum apud D. Lucam *cap.* 22. idem inſinuari, quo valide Calvinus oppugnatur. Si dum Chriſtus illum accipit, credo *Panem*, quia a Chriſto Panis dicitur, quare dum Chriſtus id diſtribuit, & *Corpus* appellat, renuis *Corpus* ipſum credere, contendens *Panem* eſſe? Tuum erat hujus argumenti vim infringere, non fraudulenter difficultatem vitare, contradictionis crimine. Enimvero Panigarola explicando alios Scripturæ textus, præſertim D. Pauli 1. *Cor.* 11., in quo videtur Euchariſta Panis nuncupari, primo reſpondet Scripturæ morem eſſe *Panis* nomine quodlibet comeſtibile appellare; at nunquid ideo ſibi repugnat? Sibi repugnat qui idem affirmat ſimul, & negat de eodem, ſecundum idem. Verum qui affirmat quod Chriſtus Euchariſtiam erogando diſcipulis, non *Panem* eam appellavit, ſed *Corpuc ſuum*, tametſi concedat in Scripturis *Panis* nomine Euchariſtiam nuncupari, non idem affirmat, & negat *ſecundum idem*, ſed *ſecundum diverſa*. Contradictorium eſſet affirmare Chriſtum Euchariſtiam appellaſſe, & non appellaſſe *Panem*. Sed affirmare Chriſtum eam non dixiſſe Panem, D. Paulum vero, & Scripturam alibi eam nominaſſe Panem, non eſt ſibi contradicere, minus autem ſi explicetur vox *Panis*, quod non ad ſolum Panem ſignificandum aſſumatur, ſed quodlibet etiam comeſtibilis ſpeciem exhibens. Ita Panigarola loquitur, & probat. Manna certe Panis non erat. Scriptura tamen *Pſal.* 77. 24. 25. eam Panem vocat: *Panem Cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo*. Joſeph cum convivium fratribus ſuis parari vellet, famulis dixit *Gen.* 43. 31.: *Ponite panes*, & ſubditur: *Biberuntque, & inebriati ſunt cum eo*. Quis ſibi ſuadebit, hoc convivium ſolo pane eſſe paratum? Ergo apud Hebræos, ex modo loquendi, Panis nomine quodlibet alimentum intelligitur. Chriſti divinitas panis non erat, attamen Chriſtus Joann. *cap.* 6. 50. ait: *Hic eſt panis de Cælo deſcendens*, quia cibus eſt animæ. Quare igitur Panigarola aſſerere nequit, quod quamvis Euchariſtia Panis non ſit, nihilominus, quia comeditur, *Panis* nuncupatur, ſi Chriſtus ipſe eam diſtribuens amplius non *Panem*, ſed *Corpus* ſuum eam appellat? Fortaſſis, quia D. Paulus 1. *Cor.* 11., dum Euchariſtiam *Panem* vocat, de *Pane* loquitur *præciſo*, *& ſpecifico*, *quem Chriſtuc accepit*, *& fregit*, *deſignato ex pronomine hoc*? At jam demonſtratum, Chriſtum quidem accepiſſe, & fregiſſe Panem, ſed dum diſtribuit, non amplius *Panem*, ſed *Corpus ſuum* hoc vocavit. Dignari debes his ſerio reſpondere, ſi valeas, non gerris, & calumniis velle perſuadere eſſe *Panem* quia *Panis* in Evangelio appellatur, negare autem *Corpus eſſe Chriſti*, dum Chriſtus ipſe id eſſe aſſerat *Corpus ſuum*.

69. Allud Panigarolę reſponſum eſt, Euchariſtiam *Panem* dici, non quod *talis ſit*, *ſed quia paulo ante erat*: *frequentiſſime enim res appellantur non eo tantum nomine ejuc quod ſunt*, *ſed illius quod prius erant*, *ſicut virga Aaronis &c. Ex. gr. ſi vinum mihi dono des, quod acetum fiat*, *tecum colloquendo non improprie loquar*, *ſi dicam: Hoc eſt vinum*, *quod a te dono accepi*; *non quod vinum ſit*, *ſed quia jam fuit*. Ita Panigarola, & optime. Non ita, ſuſcipis tu *pag.* 361. Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 15. jam ſic reſpondit: *Virga vere mutata eſt in ſerpentem. Hujuc mutationic teſtes erant omnium adſtantium oculi. In Cœna vero contrarium accidit*. Nunquid quia oculi non ſunt teſtes, Panis vere non immutatur in Corpus Chriſti, quemadmodum virga in ſerpentem converſa eſt? Si deſint oculi qui falli poſſint, veram eſſe reputantes, quæ ſpecie tantum im-

mutatio ſiat, non deeſt tamen teſtimonium Chriſti, ipſis oculis certo certius. Porro ipſe teſtatur, quod oculis Panis videtur, eſſe Corpus ſuum; num a Calvino & Picenino non meretur fidem? Oculi Tobię hominem in Raphaele videbant, & ceteri ſenſus teſtes erant. Raphael tamen de ſe teſtatur oppoſitum, et ait: *Ego enim ſum Raphael Angelus &c. Tob.* 12.15., & fides ei adhibetur. Chriſtus aſſerit *hoc eſt Corpus meum*, etſi oculis videatur Panis, & adhuc negatur? Mutatio virgæ in ſerpentem ſenſibilis fuit, mutatio Panis in Corpus Chriſti inſenſibilis eſt. Illa videtur, iſta creditur. Scis quare? Panigarola docet: Miracula non cuncta eadem, quia non omnia ad eundem finem facta, dum quædam fiant ad confirmandam fidem, & hæc ſenſibilia eſſe debent; alia vero ad tentandam fidem, & hæc non ſenſibilia eſſe debent, quia, ut ait D. Gregorius *Hom. 26. in Evang.*: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio prabet experimentum*. Chriſtus Thomæ oſtendebat Corpus ſuum cum locis clavorum, & volebat ſuam divinitatem ab ipſo credi. Quid tu Picenine, qui oculi, manus, aliorumque ſenſuum teſtimoniis unice fidendum prætendis? Incredulus diceres: Quomodo Deum credam, ſi video hominem? Quomodo ſpiritum, ſi carnem video? Non hoc D. Thomas reddidit inſaniſſimum reſponſum, ſed dixit: *Dominus meus, & Deus meus. Jo.* 20. 28. Vidit hominem, & Deum credidit: *Aliud vidit, aliud credidit*. D. Gregorius *Hom. 26. in Evangelia*. Virga in ſerpentem converſa eſt, ut Ægyptii crederent Deum eſse, qui in Moyſe loquebatur, & operabatur: ideo fieri debuit ſenſibilis immutatio. Panis convertitur in Corpus Chriſti fidelibus in Chriſtum credentibus, ut iſtorum fides magis probetur: & ideo inſenſibilis immutatio fieri debet, & Panis oſtendi, & Corpus Chriſti credi; ſicut D. Thomæ humanitas oſtendebatur, ut divinitatem crederet, & fidei ſuæ teſtimonium præberet: *Hoc enim fidei eſt, accipere qua non videntur*. D. Chryſoſtomus *Hom. 86. in Joann.* Sed nobis narras, *Serpentem, ex ſententia D. Auguſtini, virgam eſſe appellatum, quod iterum ad virgam reſtituendus erat. Corpus Chriſti, ex ſententia Panigarola, non iterum redit in Panem*. Virga Moyſis, non virga, ſed ſerpens erat; attamen quia reformandus erat in virgam, virga dicta eſt. Ergo Euchariſtia, etſi non Panis, quia pridem Panis, nomen Panis retinere poterit. Quanquam autem non redeat ad Panem, parum refert, quia ſi per ea, quæ non ſunt, ſed fuerunt, res valeant appellari, parum intereſt quod ſint, nec ne, in priſtinam ſubſtantiam reverſuræ. Utique D. Auguſtinus *Lib. 2. quæſt. ſuper Exod. qu.* 21., de virga loquens, ait: *Eo nomine appellata res eſt, unde reverſa eſt, non in quod verſa eſt, quia in id etiam converſa eſt*. At iſta eſt ſufficiens cauſa, non unica; ſiquidem ſi ipſa virga Moyſis e ſerpente in virgam reverſa eſt, virgæ tamen Ægyptiorum ſerpentes facte non apparentes, ſed veri, quemadmodum ibidem concedit D. Auguſtinus, non in virgas reſtitutæ, ſed ſerpentes manſerunt; & tamen Scriptura nedum illam Moyſis, quæ ex ſerpente in virgam reverſura erat, ſed illas etiam Magorum, quæ ex ſerpentibus in virgas reformari non potuerunt, virgas appellat: *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Exod.* 7. 12. Adam (*Gen.* 2.) Evam vocat: *Hoc nunc os de oſſibus meis*; nec os tamen erat amplius, ſed mulier, neque in os revertenda erat. Cæci vident, muti loquuntur, ſurdi audiunt, claudi ambulant, aiebat Chriſtus Joannis diſcipulis (*Joann.* 2.), & tamen nec amplius erant, nec futuri muti, cæci, claudi, ſurdi. Ergo etſi Euchariſtia in Panem non redeat, Panis tamen dici poteſt. Addo, Scripturam ipſam communiter res nominare juxta externam ſpeciem qua videntur. Sic ſerpens ęneus, ſerpens appellatur, Angeli ſub ſpecie humana apparentes, homines dicuntur; & ideo Euchariſtia Panis ſpeciem præſeferens, *Panis* nominatur. Etenim, ut docet D. Auguſtinus *lib. 3. cont. duas Epiſt. Pelagian. cap. 6.*, &

 ſerm.

ſerm. 48.*de verb. Dom.* nunc *ſerm.* 134., mos eſt Scripturæ res ſimiles nuncupare nomine eorum quibus aſſimilantur, vel eorum quæ videntur eſſe, quæ tamen non ſunt: *Solet & ſimilitudo capere nomen ejus rei, cujus eſt ſimilitudo. Homo dicitur verus: ſed etiam ſi pictum in pariete oſtendas, & quæras quid ſit, reſpondetur: Homo. Peccatum ergo appellata eſt caro habens ſimilitudinem carnis peccati, ut eſſet ſacrificium pro peccato.* Quanto magis igitur nomine Panis Euchariſtia valet nuncupari, quæ non modo ſimilitudinem, ſed proprietates omnes Panis ſecum affert, colorem, ſaporem, effectus omnes efficit, quos Panis efficiebat?

§. VIII.

Varia D. Auguſtini loca vindicata a perverſis Picenini argutationibus.

70. Clamitas Picenine *pag.* 361., quod D. *Auguſtinus in Pſ.* 3., *a Calvino citatus Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 17. §. 21., *conſiderat patientiam Chriſti, qui Judam ad convivium adhibuit, in quo Corporis ſui figuram diſcipulis diſtribuit;* at vero *Panigarola reſpondet: Optime, quia ſpecies dedit, quæ ſignum erant Corporis ſui. Quid monſtruoſum magis dicit valet?* Peto in quo imaginarium monſtrum hoc habeatur? Aſt illico audio te magis clamantem: *Quomodo Judas ſumere poterat accidentia abſque ſubſtantia?* Verum quid D. Auguſtinus indicare voluit, ubi patientiam Chriſti admiratus, pronuntiat: *Adhibuit eum ad convivium, in quo Corporis & Sanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit, & tradidit?* Loquebatur forte de contento, & ſignificato Sacramenti, quin potius de Sacramento ipſo, quod viſibiliter tradebat? Falleris, ſi id putes; audies quippe D. Auguſtinum appellare ſacram Cœnam modo Corpus, & Sanguinem Domini, ut in *Pſalm.* 33. *num.* 6.: *Unde autem commendavit Corpus, & Sanguinem ſuum?* Et *num.* 10.: *Ferebatur enim in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait hoc eſt Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis;* alibi autem eam vocat figuram, Sacramentum Corporis ſui, & Euchariſtiam. His porro quid indicatur? Niſi quod S. Doctor interdum eam accipit pro continente, pro ſigno, ac pro ſenſibili Sacramento, interdum vero pro re ſignificata, & contenta in Sacramento, quæ eſt Corpus & Sanguis Chriſti Domini noſtri. Quando ait Chriſtum longanimem patientem adeo fuiſſe, quod adhibuit Judam ad convivium, in quo Corporis ſui figuram tradebat, loquitur de Sacramento, & de ſenſibili, quod exhibebat, & hoc re vera ſignum erat, & figura ſui Corporis, ſed non loquitur, nec aſſumit Sacramentum pro re in ipſo contenta. Et quod ita ſit, oſtendo *ex Pſ.* 10. *num.* 6., ubi de Chriſti clementia tractans erga Judam, ait: *Traditorem ſuum tanta patientia pertulit, ut ei primam Euchariſtiam* (en Sacramentum) *confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut ceteris Apoſtolis traderet.* Et in *Epiſt.* 136. nunc 44. de eadem re agens, aſſerit: *Et tamen primum Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui, nondum illo* (Juda) *expulſo, communiter omnibus dedit.* Et loquendo de Judæ, congruebat eum admiſſum dicere ad figuram, ad Sacramentum, & ad Euchariſtiam potius, quam ad Corpus, & Sanguinem ſuum, ſiquidem, quia impius, adhibitus fuit ut ceteri ad participationem Sacramenti, ideſt ſenſibilis ſpeciei, non ad communionem ſui Corporis, & Sanguinis, quo ad effectum aſſequendi vitam animæ, dum quod aliis cibus, ipſi venenum fuit. Hac premiſſa animadverſione, quæ aliorum textuum norma eſſe poteſt, dico D. Auguſtinum, loco a Calvino citato, de Sacramento loqui, & de ſenſibili, ſub quo latet Corpus Chriſti, quod ſenſibile ſunt ipſa accidentia, ſive ſpecies panis: quare Panigarola veritatem, non monſtrum prodit, ſcribens Chriſtum Judæ ſpecies tradidiſſe, quæ ſignum erant Corporis ſui. 71.

71. At inſurgis, quærens *pag. 361.: Quomodo Judas ſumere poterat accidentia, ſive ſpecies, ſine ſubſtantia? Vel iſta ſpecies alicui inerant ſubſtantia, vel ſine ſubſtantia extabant. Si abſque ſubſtantia, abſurditatem congerit ſuper aliam. Quis unquam aſſeruit accidentia, nempe colorem &c. extare poſſe abſque ſubjecto? Hoc monſtroſiſſimum, ait D. Auguſtinus, & a veritate alieniſſimum. Si autem ſpecies illa accepta a Juda alicui inerant ſubſtantia, hanc vellem a Fratre deſignari. Erat hac ſubſtantia Panis? Minime, reſpondebit, non amplius Panis aderat. Erat hac ſubſtantia Corpus Chriſti? Poterant ergo accidentia tranſire de ſubjecto in ſubjectum, de Pane in Corpus Chriſti?* Poſſem ad Doctores noſtros te mittere, a quibus late diſceres quæ ignoras; verumtamen quod mihi propoſuerim tibi in omnibus adeſſe, reſpondeo, ſpecies, & accidentia viſibilia Panis, quæ Chriſtus Judæ tradidit, fuiſſe abſque ſubſtantia, ſicut ſine ſubſtantia extant adhuc omnes conſecratæ ſpecies. Quod ſi hoc eſt monſtrum, peto ex te cauſam. Monſtrum ne erit quod ſubſtantia, cui connaturale eſt de ſe ſtare, non in aliis, re vera ſubſiſtat in extranea perſona, quemadmodum humanitas Chriſti ſubſiſtit in perſona Verbi? Si hoc monſtrum, tum Incarnatio erit hujuſmodi. Si non iſta monſtrum, quid monſtri, accidentia nata ineſſe alicui ſubſtantiæ, extare de ſe abſque ſubſtantia? Quis divinæ omnipotentiæ prohibet, ne quemadmodum humanitatem Chriſti facit in perſona Verbi ſubſiſtere, itidem faciat accidentia eſſe ſine ſubſtantia?

72. Ubinam vero D. Auguſtinus *id pronuntiat monſtruoſum, & a veritate alienum? In lib. 2. Soliloqu.* Capitulum autem cur taces? Ubi zelus ille tuus, accenſus contra Panigarolam, alioſque, ſi ad minimum prætereant Patrum allegare textus? Id habet Auguſt. *lib. 2. Soliloqu. cap. 12.: Monſtruoſum enim, & a veritate alieniſſimum eſt, ut id quod non eſſet, niſi in ipſo eſſet, etiam cum ipſum non fuerit poſſit eſſe;* quod *cap. 19.* repetit. At de quo loquitur ibi S. Doctor? De accidentibus materialibus ſenſibilibus, quod monſtruoſum ſit, iſta, miraculo etiam, eſſe poſſe abſque ſubſtantia? Minime gentium; ſed de ſcientia, & veritate loquitur; quodque iſtæ immortales ſint, immortalem etiam animam eſſe probat, quæ ipſarum eſt ſubjectum: *Quod ſi qualibet diſciplina* (ita *cap. 19.*) *ita eſt in anima, ut in ſubjecto inſeparabiliter, nec interire veritas poteſt; quid quæſo de animi perpetua vita, neſcio qua mortis familiaritate, dubitamus?* Porro etſi monſtruoſum videretur, ſcientiam, & veritatem, quæ inſeparabiliter ſunt in anima, ſine ipſa ſtare in qua ſubjectantur, monſtruoſum tamen non eſt a Dei omnipotentia ſervari quantitatem, ceteraque accidentia ſenſibilia abſque ſubſtantia, ſiquidem in hoc caſu quantitas, quæ prima eſt diſpoſitio, & proprietas materialis ſubſtantiæ, qua etiam media, cetera accidentia in ſubſtantia ſuſtentantur, munus gerit ſubjecti ſubſtantivi ceterorum: & hoc modo inſunt in Euchariſtia accidentia panis; nimirum quantitas, & ipſius dimenſio, de ſe ſtat: cetera vero, color ſcilicet, ſapor, figura, inhærent quodammodo, & ſuſtentantur a quantitate, & a dimenſionibus. Ita D. Thomas *in 4. diſt. 12. qu. 1. ar. 1. qu. 3. in corpore: Virtute autem divina confertur dimenſionibus quæ fuerunt panis, ut ſine ſubjecto ſubſiſtant in hoc Sacramento, quod eſt prima proprietas ſubſtantiæ, & conſequenter datur eis ut ſuſtineant alia accidentia, ſicut & ſuſtinebat quando ſubſtantia eis ſuberat, & ſic alia accidentia ſunt in dimenſionibus ſicut in ſubjecto, ipſa vero dimenſiones non ſunt in ſubjecto.* Addo, D. Auguſtinum monſtruoſum habere, quod accidentia naturaliter ſubſiſtant ſine propria ſubſtantia, monſtruoſum tamen non habet, divinæ omnipotentiæ miraculo ſine ſubjecto eſſe poſſe: neque enim intentum ſuum petebat ſcrutari quæ Deus poſſet, ſed quid conveniret attentis naturis

turis rerum, ut inde inferret quod ſi naturæ ſcientiæ & veritatis, quæ accidentia ſunt animæ, competit ipſa immortalitas, & perpetuitas, hæc animæ, in qua illæ ſunt, debeant convenire. Immo quemadmodum D. Auguſtinus non negat animam mortalem eſſe attenta Dei omnipotentia, ſi vellet eam ad nihilum redigere, ita non negat ejus accidentia ſeparabilia eſſe attenta Dei omnipotentia, ſi ea ſeparare vellet. Ergo remanent in Euchariſtia dimenſiones Panis virtute divina ſine ſubjecto, & quanquam loco Panis adveniat ſubſtantia Corporis Chriſti, non tamen ut ſubjectum ad eas ſuſtinendas, ſed ut contentum ſub illis. Ita non tranſeunt de ſubjecto in ſubjectum, ſed remota earum ſubſtantia, a Deo ſine ipſa ſervantur, a quo, quam ab iſta, in eſſe ſuo magis dependent. Hoc ſanæ Philoſophiæ minime opponitur, quæ accidentis eſſentiam non conſiderat, quod actu alteri inhæreat, ſed quod petat, & debeat de ſe inhærere ſubſtantiæ; neque veræ Theologiæ repugnat, quæ Dei omnipotentiam contemplatur ſupra rerum omnium naturas eminentem: minus vero hoc repugnat perfectioni Corporis Chriſti, quinimmo in hoc mirabile ſe explicat, dum non ceſſet in Cælo intuentium oculis in propria ſpecie viſibilem ſe præbere, & tamen occultum & inviſibile ſit ſub ſpeciebus panis.

73. Prætermiſſis accidentibus, Apolog. *pag.* 262. in arenam deſcendis, munitus D. Auguſtini textu, quem prætendis a Panigarola depravatum; hinc ferox, & minax ipſum inſultas. Textus autem eſt *Epiſt.* 23. nunc. 98. *ad Boniſac. Epiſc.: Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quemdam modum Sacramentum Corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt, Sacramentum Sanguinis Chriſti Sanguis Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei fides eſt.* Nempe hic ſincerus textus, a Calvino ipſo relatus *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 21., quo tu ſic arguis: I. *D. Auguſtinus ait, Sacramentum ſecundum quemdam modum eſſe Corpus Chriſti. Si Corpus Chriſti eſſet per Tranſubſtantiationem, omni modo eſſet Corpus Chriſti. Ergo non eſt Corpus Chriſti per Tranſubſtantiationem.* Sed D. Auguſtinus docet, Sacramentum eſſe ſecundum quemdam modum Corpus Chriſti. Si autem nuda figura eſſet Corporis Chriſti, nullo modo eſſet Corpus Chriſti: quamobrem Calviniſtæ pertinaces ſunt in hac illatione, quod ſi Sacramentum eſt figura Corporis Chriſti, non eſt ergo Chriſti Corpus. Itaque Sacramentum non eſt Corpus Chriſti tantum in figura. Ad hæc Divus Auguſtinus ait, Sacramentum ſecundum quemdam modum eſſe Corpus Chriſti, tu autem id negas, quomodo ergo D. Auguſtino conſentis? Panigarola reſpondet, Sacramentum non omni modo, ſed ſecundum quemdam modum eſſe Corpus Chriſti, quia etſi contineat Corpus Chriſti inviſibili modo, non tamen illud continet ſenſibili, ac viſibili ſpecie ad oculos corporis, ſed ad illos tantummodo fidei. Id ſignificare vult D. Auguſtinus, dum ait *ſecundum quemdam modum*, & tu ais *ſecundum nullum modum*. Optimus ac fidelis Interpres D. Auguſtini! Dici etiam poteſt, Sacramentum tantum eſſe Corpus Chriſti *ſecundum quemdam modum*, ſi accipiatur *quantum ad elementorum ſpeciem*, *& formam*, ſed proprie tamen, & veritate eſt Corpus Chriſti, ſi Sacramentum accipitur *quantum ad ſubſtantiam quam continet*. Ita Algerus *lib.* 1. *cap.* 6. Præterea licet Sacramentum proprie ſit Corpus Chriſti, poteſt tamen dici eſſe *ſecundum quemdam modum*, quia ipſe inviſibilis in Sacramento eſt ſignum ſui viſibilis, palpabilis, & olim paſſibilis, & mortalis. Ita explicant D. Auguſtinum & Lanfrancus *lib. de Corpore, & Sanguine Domini cap.* 14., & S. Anſelmus inclytus ejus diſcipulus *de Sacram. Altar. cap.* 11.

74. Secundo autem ita diſſeris: *Sacramentum Cœna D. Auguſtino eſt Cor-*

pus Chriſti propter ſimilitudinem inter ſignum, & ſignatum, ratione cujus Sacramenta nomina accipiunt ipſarum rerum. Quis dixit, ipſum Sacramentum ſumptum juxta externam, & ſenſibilem ſpeciem, non eſſe ſignum, nec ſumere nomen a ſignato, quod eſt Corpus Chriſti? Quis unquam aſſeruit, Sacramentales ſpecies proprie eſſe Corpus Chriſti, nec potius *metonymice*, quatenus ſignum, & continens nominatur ab ipſa re ſignata, & contenta? Hoc nempe D. Auguſtino eſt externam ſpeciem eſſe *quodammodo Corpus Chriſti*. Hac ratione frangendo ſpecies, dicitur frangi Corpus Chriſti; & communicantis lingua purpurata dicitur Sanguine Chriſti, jam ſumptis ſpeciebus vini: *Illa ſpecies viſibilis panis, non eſt caro, nec Corpus Chriſti, niſi quod hoc nuncupatur ex conſuetudine Scripturarum, qua plerumque Sacramenta ſortiuntur nomina earum rerum, quarum ſimilitudinem aliquam gerunt. Ideo & earum rerum Sacramenta ſunt. Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.* Sic a D. Anſelmo *Tract. de Sacram. Alt. cap. 11.* explicatur D. Auguſtinus. At quid hinc pro cauſa tua? Forte, quia a D. Auguſtino Cœna, ſecundum externam ſpeciem, ſignum nuncupatur, & figura Corporis Chriſti, in ea verſari opinione eum putas, videlicet in veritate Corpus Chriſti non continere, nec ei adjungi? Quantum erras miſer! Diſce a Præceptore tuo Calvino *Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 21.*: *Nam etſi eſſentia ſymbolum a re ſignata differt, quod hæc ſpiritualis eſt, & cæleſtis, illud corporeum, & viſibile, quia tamen rem cui repræſentandæ conſecratum eſt, non figura tantum, ceu nuda, & inanis teſſera, ſed vere etiam exhibet, cur non ejus appellatio in ipſum jure competet? Quod ſi humanitus excogitata ſymbola, quæ imagines ſunt rerum abſentium potius, quam notæ præſentium, quas etiam ipſas fallaciter ſæpiſſime adumbrant, earum tamen titulis interdum ornantur; quæ a Deo ſunt inſtituta multo majori ratione rerum nomina mutuantur, quarum & certam, minimeque fallacem ſignificationem ſemper gerunt, & adjunctam habent ſecum veritatem.* Hæc Calvinus, cui ſubſcribit fidelis diſcipulus Albertinus *lib. 2. pag. 794.*: *Symbolum, ac ſignum ex ſe, vi ſignificationis, non excludere præſentiam rei, cujus ſignum eſt.* Qua doctrina poſita, cujus veritatem fatentur Calvinus, & Proteſtantium Scholæ, peto ex te Picenine, in qua ſchola diſſerere habeas eleganti hac forma: D. Auguſtinus aſſerit Sacramentum Cœnæ eſſe Corpus Chriſti, propter ſimilitudinem, quæ intercedit inter ſignum, & ſignatum; ergo Sacramentum Cœnę in veritate non continet Corpus Chriſti, cujus eſt ſignum? ergo non habet ſibi adjunctam veritatem? Arca Noe figura erat Eccleſiæ, realiter tamen Noe, & filiis ejus adjungebatur, qui illorum temporum Eccleſia erant. Ablutio externa Baptiſmi ſane adjungitur internæ ablutioni, cujus eſt figura: & corporalis manducatio Panis Euchariſtici, juxta Calviniſtas, adjunctam habet ſpiritualem manducationem, quam repræſentat. Porro ex ſignis alia inſtituta ſunt ut ſignati abſentis præſentiam ſuppleant, & hæc realiter non continent, nec ſignati adjunctam ſecum habent veritatem. Hujuſmodi fuerunt paſchalis Agnus, Manna, Petra deſerti, Panes propoſitionis, Serpens æneus: quæ nec conjuncta erant, nec præſentem indicabant ſignati veritatem. Alia autem inſtituta ſunt ut externæ tantum ſpeciei defectum ſuppleant, & viſibilia quodammodo indumenta ſunt eorum, quæ de ſe viſibiliter videri, & præſentari nequeunt, cum ſint inviſibilia. Hujuſmodi fuit flammarum ſpecies in Rubo, Columba in Jordane, Serpens in terreſtri Paradiſo, humanæ ſpecies ab Angelis aſſumptæ, & ſimilia. Ad hoc genus D. Auguſtinus refert ſpecies externas Cœnæ, quæ ſunt ſigna Corporis Chriſti præſentis, ad hoc inſtituta dumtaxat, ut externam ipſius formam ſuppleant, quia tametſi re vera præſens ſit, in-

vi-

viſibili tamen, ac ſenſibus nobis imperceptibili modo ibi adeſt. *Ex his omnibus quę ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quod Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figura ſint ſecundum ſpeciem viſibilem. At vero ſecundum inviſibilem ſubſtantiam, ideſt divini Verbi potentiam, Corpus, & Sanguis Chriſti vere exiſtunt.* Ita Ratramus *lib. de Corp. & Sangu. Dom.*

75. Nihilominus Apolog. *pag.* 362. contendis rem ita ſe habere non poſſe, & tertiam rationem tuam ſic componis: *Sacramentum Cœna eſt Corpus Chriſti apud D. Auguſtinum, quemadmodum Sacramentum fidei* (Baptiſmus ſcilicet) *eſt fides. Sacramentum fidei eſt fides, quin unum in aliud immutetur. Ergo Sacramentum Cœna apud D. Auguſtinum eſt Corpus Chriſti abſque Tranſubſtantiatione.* In hoc argumento a *ſimili*, quod quatuor terminis redundat, probandum erat, paradigma a D. Auguſtino inſtitutum inter Sacramentum Corporis Chriſti, & Sacramentum fidei, omnino in omnibus cohærere. At non iſta eſt ſimilitudinum ratio, quinimmo ea eſt, quod ſimilia in uno conveniant, in alio vero differant. Si ſimilitudo par omnino ſumenda eſſet, quot errores occurrerent in doctrinis Patrum! D. Auguſtinus *lib.* 3. *de pecc. merit. & remiſſ. cap.* 2., ut modum explicet quo infantes peccatum originale contrahunt, ait, quemadmodum in iſtos per alienam fidem juſtitia transfunditur, ita per alienum peccatum transfunditur injuſtitia. Si hæc ſimilitudo omnino valeret, dicendum foret, quemadmodum aliena fides ſola imputatione infantibus attribuitur, ita alienum peccatum non realiter, ſed mera imputatione ipſis attribui. Immo ſequeretur, quemadmodum infantes Sacramentum fidei recipiunt abſque actuali fide, ita poſſe recipi Sacramentum Corporis Chriſti, quin ullo modo ſumatur; quod tu non admittes, immo nec Calvinus ipſe, qui *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 3. vult quod: *In hoc Sacramento certo ſtatuendum ſit vere nobis exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus tractaretur.* Comparatio igitur inter Sacramentum Corporis Chriſti, & Sacramentum fidei, in eo a D. Auguſtino introducitur, nempe quemadmodum Sacramentum Corporis Chriſti eſt Corpus Chriſti, quia ſignum nomen accipit a re ſignificata, propter eandem rationem Sacramentum fidei eſt fides: hoc quippe, non aliud eſt S. Doctoris intentum. Differentia autem eſt in modo; etenim Sacramentum Corporis Chriſti ſemper conjungitur cum ipſo Corpore Chriſti præſente, Sacramentum vero fidei, præſertim in infantibus, a fide disjungitur, & ſupplet in ipſis defectum, & abſentiam fidei. Sacramentum Cœnæ eſt Corpus Chriſti, & Sacramentum fidei eſt fides. Sacramentum fidei de ſe conjungitur cum actuali fide, quam ſecum præſentem defers, dummodo ſubjectum ſit capax. Ergo Sacramentum etiam Cœnæ de ſe continet, & ſecum defert in animam Chriſti Corpus. Si hæc argumentatio non valet, quare tua valebit? Ratramum audiamus ad eadem verba *cit. lib. de Corp. & Sang. Dom.*: *Cernimus quod S. Auguſtinus dicit, aliud Sacramentum, & aliud res, quarum ſunt Sacramenta. Corpus autem in quo paſſus eſt Chriſtus, & Sanguis ejus de latere qui fluxit, res ſunt. Harum vero myſteria dicit eſſe Sacramentum Corporis, & Sanguinis Chriſti.* Neve reputentur eſſe mera, ac nuda ſymbola, infra ſubdit: *Unde & panis, qui offertur, ex fructibus terra cum ſit aſſumptus, in Chriſti Corpus dum ſanctificatur tranſponitur, ſicut & vinum cum ex vite defluxerit, divini tamen ſanctificatione myſterii efficitur Sanguis Chriſti, non quidem viſibiliter, ſed operante inviſibiliter Spiritu Sancto. Unde & Sanguis, & Corpus Chriſti dicuntur, quia non quod exterius videntur, ſed quod interius divino Spiritu operante facta ſunt, accipiuntur.*

76. Panigarolam *pag.* 363. reprehendis, quod non reſpondeat, dum Calvinus prælaudato loco plurimos Patres recenſeat; hinc ais D. Augu-

ſti-

ſtinum *Lib. cont. Adimantum cap.* 12. ſic loqui : *Non dubitavit Dominus dicere hoc eſt Corpus meum, cum daret ſignum Corporis ſui*. Probare Calvinus debebat, dicente Domino *hoc eſt Corpus meum*, quod Corporis ſui ſignum daret, minime includens, ſed excludens Corpus ſuum. Non valet dicere: Euchariſtia eſt ſignum Corporis Chriſti, ergo non continet re vera Corpus Chriſti, ſed tantum in figura, quemadmodum illud continebat Agnus paſchalis, Petra deſerti, Serpens æneus. Si D. Auguſtinus eodem momento, quo eam dicit *ſignum* Corporis ejus, aſſerit etiam quod non dubitavit Chriſtus dicere *hoc eſt Corpus meum*, quid neceſſe Panigarolam loqui? Optima diſſerendi ratio: Signum eſt Corporis, ergo non continet Corpus; ac ſi dicerem: Animal eſt, ergo non rationale. Senſibile illud quod Chriſtus dabat, ſignum erat ſui Corporis; ſed minime dubitans hoc dicere Corpus ſuum, innuebat ſignum eſſe non vacuum, ſed plenum, nedum ſignificans, ſed continens Corpus, dum ſigna dentur, quæ ſignificatum ſuum capiunt tanquam præſens, & ſigna dantur, quæ realiter illud capiunt, & repræſentant: atque hujus generis erat ſignum Corporis ſui, quod juxta D. Auguſtinum Chriſtus Apoſtolis præbebat. S. Doctor ait, Euchariſtiam eſſe Corpus Chriſti, quemadmodum ſanguis in Animali eſt ſignum animę. Legatur Caput jam ſupra citatum. Porro Euchariſtia ſignum eſt Corporis Chriſti, quemadmodum ſanguis eſt ſignum animæ: quod ſignum eſt animam continens, cum qua conjungitur. Euchariſtia igitur eſt ſignum re vera continens, & conjunctum Corpori Chriſti. De ſigno autem tam efficaci potuit ſane D. Auguſtinus aſſerere, quod non dubitavit Chriſtus dicere *hoc eſt Corpus meum*; tametſi enim externa ſpecies qua ipſum præbebat, Corpus ſuum non eſſet, contentum tamen in ipſa vere illud erat. Ita homo Tobiæ comes non dubitavit dicere: *Ego ſum Angelus Raphael*, quia quanquam ſpecie Angelus non eſſet, Angelus tamen erat, quia ſub ipſa latebat. D. Petrus non dubitavit dicere: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, quia etſi videret hominem, quod tamen iſti conjungebatur, nec videbatur, ſubſtantialiter erat Dei Filius. Porro ſi Panigarola tacet, loquere modo tu Picenine, & reſponde his, ſi tanti vales. *Alium Patrem*, ſubdis, quem tu non nominas, *Calvinus profert*. Tu vero locum taces. Is aſſerit: *Illi ter mille, qui Petro prædicante converſi ſunt, quem Sanguinem ſæviendo fuderunt, credendo biberunt*. Pater iſte eſt D. Auguſtinus, qui *Tract.* 40. *in Joann.* de ter nimirum millibus Judæorum, qui Petro concionante converſi ſunt, laudata verba aſſerit, relata a Calvino *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 17. §. 6. Nunquid de Euchariſtia inibi D. Auguſtinus loquebatur? Tria illa millia Judæorum biberunt ne Sanguinem Chriſti in Sacramento? Biberunt dumtaxat prædicatum a D. Petro, & ab ipſis fide ſuſceptum. Quid mirum antem ſi D. Auguſtinus ait: *Credendo biberunt*? Sequitur itaque, qui Sanguinem Chriſti bibit prædicatum, credendo bibere, & per fidem; non tamen qui bibit in Sacramento, præciſe credendo bibere. Hæc nempe inepta eſt Calvini illatio, ſcilicet, ſi aliquando Sanguis Chriſti credendo tantum bibatur, nec in veritate ſumatur, ſemper ita accipi. Qua eleganti dialectica redarguitur Panigarola, quod diſſimulet, & taceat! Melius ſane Calvinum tacuiſſe, & te puduiſſe iterum proferre hujuſmodi ineptias. Quod ad regulam attinet D. Hieronymi adverſus Vigilantium: *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*, aptare eam debueras Martino Luthero pſeudoreformationis Principi, cui competebat, non minus ac Vigilantio, tacere potius, quam Eccleſiam Chriſti tot erroribus fœdare.

77. Panigarolam diris inſectaris Apolog. *pag.* 363., quod a Calvino dictum referat, *ad nos Corpus Chriſti deſcendere velut radium a Sole*; unde clamas *ubi hæc reperiantur*? De more inſolentiſſimus ſubdis: *Nulla fides*, *pie-*

pietaſque viris, qui clauſtra ſequuntur. Monitum tamen D. Hieronymi opportune nos docet *in cap. 8. Eccleſiaſtæ: Omnis hæreticus, & falſum dogma defendens, impudenti vultu eſt.* Ad audaciam porro tuam retundendam, & ut publico pateat, nullam tibi re vera fidem deberi, locum referamus, in quo Calvinus aſſerit, Corporis Chriſti ſubſtantiam ad nos deſcendere quaſi radium a Sole. Locus eſt *Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 12.* Verba autem ejus ſunt: *Vinculum ergo iſtius conjunctionis eſt Spiritus Chriſti, cujus nexu copulamur: & quidam veluti canalis, per quod quidquid Chriſtus ipſe eſt, & habet, ad nos derivatur. Nam ſi Solem conſpicimus radiis in terram micantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus, ſuam quodammodo ſubſtantiam ad eam trajicere, cur inferior Spiritus Chriſti eſſet irradiatio, ad communionem Carnis, & Sanguinis ejus ad nos traducendam?* Et §. 24.: *Dicimus Chriſtum tam externo ſymbolo, quam Spiritu ſuo ad nos deſcendere, ut vere ſubſtantia Carnis ſuæ, & Sanguinis ſui animas noſtras vivificet.* Ita Calvinus; ex cujus doctrina in Cœna ad nos Chriſtus derivatur, & ſimul cum eo quidquid ipſe habet, & eſt. Porro Chriſtus Corpus habet. Ergo in Cœna ſecum ad nos derivatur etiam Corpus ejus. Inſuper Chriſtus Spiritu ſuo ad nos deſcendit, ut vere ſubſtantia Carnis ſuæ, & Sanguinis ſui animas noſtras vivificet. Ex hac Calvini doctrina Panigarola oſtendit maximum inconveniens, quod OEcolampadium, quem Calvinus ſequitur in hac parte, impulit negare Chriſti præſentiam in Hoſtia fuiſſe, quod ſedeat ad dexteram Patris, non diſceſſurus uſque ad finale judicium. Verum ſi nihilominus fiat, quod quidquid Chriſtus ipſe eſt, & habet, atque ejus ſubſtantia vere ad nos derivetur, ac deſcendat, & conſequenter ejus Caro, & Sanguis nos vivificet, nonne idem omnino erit? Quæ major difficultas circa diſceſſum nempe a dextera Patris oriri poteſt, ipſum derivari, vel deſcendere Carne ſua, & Sanguine in Hoſtiam, inde ſe nobis communicare, ac ipſum immediate ſe communicare nobis, quin in Hoſtiam deſcendat? Dicite Novatores, cum in ſumptione Cœnæ Chriſtus ſe vobis communicat, quid in vos deſcendit? accidens, effectus, an potius ſubſtantia ſui Corporis? Calvinus aſſerit, Chriſtum ipſum in vos derivari: *Quidquid Chriſtus ipſe eſt, & habet*, ſicut vere ſubſtantiam Carnis, & Sanguinis ſui vivificare animas veſtras. Et ſane ait D. Paulus: *Panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt? 1. Cor. 10. 16.*, ubi non ait virtutis, vel effectus, ſed Corporis Domini. Atqui ſi in vos derivatur, & deſcendit ſubſtantia Corporis Chriſti, quare non in Hoſtiam pariter valebit deſcendere? Ad hæc. Dum quidquid Chriſtus eſt, & ejus ſubſtantia in vos deſcendit, diſcedit ipſe e Cælo? Non equidem. Quid ergo irridetis nos in Hoſtiam venire aſſerentes Corpus Chriſti, quin ipſe deſcendat a dextera Patris? Hæc, & alia Calvino opponit Panigarola, juxta ejus doctrinam. His Picenine reſpondendum erat, non inſilien dum familiaribus dicteriis, & calumniis, canendo: *Nulla fides, pietaſque viris, qui clauſtra ſequuntur*, ars quippe plauſu digna non eſt hoſtem probris laceſſere, quoniam ipſi non valeas reſiſtere. Cum Auguſtino Weſtphalo aſſero, & teneo, Calvini doctrinam in hac re tricis eſſe implicatam, & contradictionibus. (*Weſtphal. in Apolog. cap. quid in verbis Cœnæ Corpus ſignificet*). Calvinus concedit *Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 3.*: *Adeo ſolidam habemus teſtificationem in hoc Sacramento, ut certo ſtatuendum ſit, vere nobis exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur. Hoc enim verbum nec mentiri, nec illudere nobis poteſt, Accipite, edite, bibite, hoc eſt Corpus meum .... Quod accipere jubet, ſignificat noſtrum eſſe, quod edere jubet, ſignificat unam nobiſcum ſubſtantiam fieri.* Idem repetit *admonit. ult. contra Weſtphal.*, & alibi. Porro ex Calvino peto: Si Chriſtus Corpore in Cælis eſt, atque ideo non eſt, nec poteſt eſſe in Sacramento

in

in unitate, & realitate præſentiæ corporeæ, ſed tantum in figura, & typo, quomodo unquam poteſt *vere nobis exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur?* Quomodo vere nobis accipientibus noſtrum fit, & edentibus una nobiſcum fit ſubſtantia? Quomodo ſimul eſſe poſſunt veritas, & figura? Patres veteres dum Agnum comedebant, quanquam ſpiritualiter etiam hunc ederent, viva ſcilicet fide in Chriſtum ſe daturum nobis cibum, aſſerere nunquid potuiſſent, Chriſtum vere in ſuis menſis habere, non ſecus ac ſi præſens oculis eorum objiceretur, ac manibus attrectaretur? Non equidem, quia in illo Agno non aderat niſi figura rei abſentis, & futuræ. Nunquid in Sacrificiis ſuis boum, & taurorum auſi fuiſſent dicere, *vere nobis exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens eſſet, aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur?* Qua fronte autem Calvinus, qui in ſua Cœna non habet niſi panem, etſi iſtum appellet figuram Corporis Chriſti, etſi aſſerat dum manducatur fide commemorari quidquid Chriſtus geſſit, & paſſus eſt pro nobis, valet affirmare, Calviniſtam vere accipere Chriſtum, ac ſi ipſum videret oculis, & attrectaret manibus? Aut realem præſentiam nobiſcum fateatur, aut ſi Chriſtum velit in Cælis ſolum Corpore præſentem, atque ideo a Sacramento Corpore abſentem, & nudam hic adeſſe figuram, ceſſet præterea ſuos fallere, ipſis ſuadens Chriſtum *vere exhiberi, non ſecus ac ſi Chriſtus ipſe præſens eſſet, aſpectui noſtro objiceretur, ac manibus attrectaretur*, niſi ſibi velit contradicere; & tandem fateatur nihil in Cœna ſua plus habere, quam quod in ſua legali Cœna habebant Hebræi, & in Sacrificiis taurorum.

78. Apolog. *pag.* 363. mones, *Calvinum docere, inutile eſſe a Cælo in terram Chriſtum trahere, ad eum occludendum ſub corruptibilibus elementis.* Attamen aſſerit etiam, quidquid Chriſtus eſt, & ſubſtantiam ejus in nos derivari, & deſcendere; quare non in Sacramentum? Dum aſſerimus Corpus Chriſti eſſe in Sacramento, non ipſum a Cælo trahimus, non occludimus ſub elementis ſenſibilibus, ſicut neque Calvinus a Cælo ipſum trahere prætendit, nec occludere, dum in nobis eſſe aſſerit. Quid amplius habes Picenine? Nempe, *Calvinum docere cum D. Chryſoſtomo, communionem cum Jeſu nos habere per Spiritum ſuum, qui ſecum facit nos eſſe unum Corpus.* Calvinus tamen ait, Spiritum Dei ad nos derivare, & deſcendere facere quidquid Chriſtus ipſe eſt, & habet, & ſubſtantiam ejus, & ſecundum hunc modum communionem nos habere cum Chriſto, & in nobis habitare. Cur non idem poteſt in Sacramento fieri? Quid ultra aſſerit? *Calvinus docet, Dei Spiritum nobis communicare virtutem ſuam ſicut Sol radios ſuos:* & docet, dum quidquid Chriſtus eſt derivatur in nos, ſubſtantiam ejus ad nos deſcendere. Aut ergo Calvinus dicta ſua retractet, aut abjura magiſtrum tuum. At re vera ipſum denegas, aſſerens, *non eſſe Corpus Chriſti quod de Cælo deſcendat, ſed animas noſtras eſſe quæ in Cælum advolant, quaſi tot Aquilæ.* Atqui Calvinus aſſerit, Spiritu Dei Chriſtum, & quidquid habet in nos derivari, & conſequenter Corpus ejus, ut radium a Sole: tu vero Calvini diſcipulus doces, non Chriſti Corpus ad nos deſcendere, ſed animas in Cælum volare. Tibi autem adhæreo, quia Corpus Chriſti proprie non deſcendit, neque ad nos, neque in Hoſtiam; etenim qui deſcendit, ſuperiora dimittit, ut inferiora loca teneat, & nos ſumus qui animabus in Cælum tendimus. Attamen, ſi quemadmodum ut aſcenderemus, divinitas ſuo modo deſcendit ad aſſumendam carnem, quare ut iterum aſcendamus, dici nequit, deſcendere Corpus Chriſti, ut carne ſua cibum nobis præſtet, & vires ad aſcenſum, ſiquidem ad Deum aſcendere nunquam poſſumus, niſi in nos deſcendat Deus gratiæ ſuæ effectibus, quod pluribus locis Scriptura tradit? Si Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ deſcendit ſu-

per Chriſtum, & ſub linguis igneis ad Apoſtolos, cur Chriſtus ad nos deſcendere non valebit ſub ſpeciebus panis?

79. Perperam Picenine textus, & momenta quæris *pag.* 363., ut probes, ad hunc indicandum aſcenſum animarum fidelium ad Cælum, Diaconum in vetuſta Eccleſia diſtribuendo Euchariſtiam clamare ſolitum: *Surſum corda; cui fideles reſpondebant: Habemus ad Dominum*; nec refert D. Auguſtinum *Serm.* 83. *de diverſis nunc* 227., *& D. Chryſoſtomum Hom.* 24. *in* 1. *ad Cor.* a te citari, quoniam ritus iſte quotidie frequentatur in Eccleſiis noſtris dum Sacerdos ſacra facit, & præfata verba intonat. Nihil tamen horum auditur in Eccleſiis tuis. *Quid autem*, ſubdis, *hac commemorare populo, ſi in vetuſta Eccleſia, ut hodie in Romana, credebatur panis tranſubſtantiatus? Juxta Panigarola doctrinam, caput, & caro in terra eſt ſub ſpeciebus panis in pyxide.* Si quidquid Chriſtus eſt, & habet, ſi ſubſtantia Carnis ſuæ & Sanguinis ſui vere derivatur, & in nos deſcendit, ut Calvinus docet, quæ neceſſitas ſurſum corda tollere? Ad hæc. Hebræus, ætate Chriſti viſibilis in vivis agens, dicere poterat: Quid hortari populum corda ad Cælum levare, ſi in Chriſto divinitas carnem aſſumpſiſſe credatur? Quid plura? Nonne Deus omnibus nobis adeſt preſens? Quid ergo ſurſum corda ferre, quaſi illo tantum habitet Deus, abſens a nobis? Quid ad hæc ſagax Picenine? Scilicet, *Corpus Chriſti in Cælo eſſe.* Ehem, quis negat? Verum quemadmodum illo in terra olim viſibili, & inviſibiliter in nos deſcendente, tenemur adhuc corda noſtra in Cælum levare, ita facere tenemur ipſo etiam in Hoſtia præſente, quippe ſi deſcendit carnem aſſumens, ut fidem noſtram in Cælum levaret, preſens item nobis fit in Hoſtia, ut a terrenis corda noſtra levantes, ad cæleſtia aſcendamus. D. Auguſtinus Sermone a te citato, ubi ait: *In Cælo eſt caput veſtrum, attollite in Cælum corda veſtra*, fatetur etiam in Euchariſtia Chriſtum eſſe præſentem. Tu qui Sermonem illum dumtaxat circa medium legiſti, ſi a principio legere dignatus eſſes, excepiſses, auditoribus ſuis S. Doctorem in hæc verba locutum: *Panis, quem videtis in Altari, ſantificatus per verbum Dei, Corpus eſt Chriſti: Calix ille, immo quod habet Calix, ſanctificatum per verbum Dei, Sanguis eſt Chriſti.* Vide quomodo D. Auguſtinus credebat Corpus Chriſti in Hoſtia, hortabatur tamen auditores ſuos cogitationes ſuas in altum tollere, nec cordibus ſuis terrenis hærere? Quoniam autem ſtudes inquirere, licet ſtulte ac inſipienter, vetuſtæ Eccleſiæ praxim, ſcito veteres in diſtributione Euchariſtiæ hac formula uſos fuiſse: *Corpus Chriſti*; cui populus annuebat, reſpondens: *Amen.* De hac formula apud latinos teſtimonium fert Divus Ambroſius *de iis qui myſt. initiantur cap.* 9.: *Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem Sanguis nuncupatur. Et tu dicis Amen, hoc eſt verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur. Quod ſermo ſonat, affectus ſentiant.* Apud Græcos fidem facit *Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſ.* 5. *myſtagog.*: *Accedens ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, ſed ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubjiciens dextra, qua tamen Regem ſuſceptura eſt, & concava manu ſuſcipe Corpus Chriſti, dicens Amen.* Hæc formula *Accipe Corpus Chriſti*, adjuncta particula *Amen*, huic æquivalet: *Accipe, hoc eſt vere Corpus Chriſti.* Id a D. Hilario docemur *Lib.* 8. *de Trinit.*: *Si enim vere Verbum caro factum eſt, & nos vere Verbum carnem cibo Dominico ſumimus; quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt?* Hic vetuſtæ Eccleſiæ ſermo.

80. Panigarola occaſionem præbet, qua ineptiæ tuæ ulterius pateant: *Vos*, ait Panigarola, *quia creditis, Chriſtum extra Cœnam ſumitis. Quid ergo in Cœna plus habetis? Quid in Sacramento habetis, quod extra Sacramentum non habeatis?* Inſtantiæ ſic reſpondes Apolog. *pag.* 363.: *Id habemus in Sacra-*

Digitized by Google

cramento, quod corroborata fides aſpectu ſacrorum pignorum mortis Jeſu, majorem habet vim, ut ſurſum ſe ferat. In ſermonibus nobis prædicatur Chriſtus pro nobis mortuus. Tonat ad aures ſonus. In Cœna vident oculi noſtri tam cruenta victimæ pignora. Viſus magis movet, quam auditus. Quamobrem unus alteri conjunctus, nos faciunt Chriſtum arctius amplecti. Reſponſum hoc tam futile eſt, quod nihil valeat omnino ad inſtantiam Panigarolæ; etenim concedit Chriſtum fide ſumi tam ab audiente concionem, quam a ſumente Euchariſtiam, & utrumque conjungi fide Jeſu Chriſto, hac una differentia, quod fides in uno per aures penetret, in altero per oculos. Quid porro plus habetis vos in Sacramento, quod extra ipſum non habeatis? Quid ſermone Cœna facit amplius? Quæ major unio Chriſti, & animę in ſumptione Chriſti ſacramentati, ac in ſumptione Chriſti prædicati? Ter illi mille concionem D. Petri audientes, ut ſupra dicebas poſt D. Auguſtinum, *quem Sanguinem ſæviendo fuderunt, credendo biberunt.* Sumentes Cœnam Sanguinem Chriſti credendo bibunt: quid ergo illis amplius habent? Si nihil amplius, quid cum Divo Paulo Patres tantam conſcientiæ exigunt munditiem ab accedentibus ad Euchariſtiam, non autem ab accedentibus ad concionem? Quid tot fremitus adverſus Judam, quod proditorio corde Corpus Chriſti in Cœna ſumpſerit, quod vero Chriſtum tam frequenter concionantem audierit, nec verbum quidem contra ipſum? Hoc ſane indicat, in Euchariſtia Corpus Chriſti recipi magis quam fide; idcirco D. Paulus *ait 1. Cor. 11. 29.: Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*; & verſ. 27: *Reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Quoniam effudit illum*, ſubdit Chryſoſtomus *Hom. 27. in 1. ad Cor. cap. 11., etiam eadem id eſſe oſtendit, non tantum Sacrificium, quemadmodum tunc eum transfixerunt, non ut biberent transfixerunt, ſed ut effunderent.* Hac phraſi ſane non redarguitur qui corde immundo ſermonem audit, nullo ſuſcepto fructu. Ergo in Cœna Chriſtus ſumitur magis quam fide. Aliud ſubdis, nimirum: *Fideles in veteri Teſtamento conjuncti erant Chriſto. Porro fideles illi proprie Chriſti carnem comedere nequibant, cum nondum in carne eſſet: ipſi in fide manducabant.* Quęſo, quæ a te diverſitas habeatur ab eſu carnis Chriſti in paſchali Cœna veteris Teſtamenti, ac in Cœna Euchariſtica? Illic Agnus immolatus, typus erat Chriſti. Hìc, ſi te audiamus, panis nudus eſt typus Chriſti. Ibi Chriſtus, etſi abſens, manducabatur ex fide præſens acceptus. Hìc idem Chriſtus manducatur, qui in Cælis ex fide præſens apprehenditur. Ibi ſymbolum aderat, cujus aſpectu augebatur fides. Hìc ſymbolum adeſt, quo pariter augetur fides. Quid ergo plus dedit Chriſtus in Cœna Euchariſtica, quod in legali non haberetur? En ubi Calviniſtæ Sacramentum cohibeant, quod theſaurus fuit a ſeculis abſconditus, perpetuum, tremendum, & ſanctiſſimum univerſæ omnium ſeculorum Chriſtianæ Reipublicæ Sacramentum. Ad nudum, ac inane ſignum iſtud contrahunt, qualis Hebræis Agnus erat, Manna, & hujuſmodi. O quam bene ipſis debetur reprehenſio illa D. Pauli *ad Galat. cap. 4. 9.: Nunc autem cum cognoveritis Deum, immo cogniti ſitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad vacua, & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Manifeſta fiat hæc veritas. Negandum non erit, Chriſtum adventaſſe, ut figuras adimpleret, & legem perficeret (*Matth. 5.*). Una quę implenda erat figura, Agnus fuit paſchalis. Hic immolandus prius, inde comedendus, utrumque a Chriſto perficiendum. Quomodo autem implevit Sacrificium Agni? Nunquid typum typo ſubſtituens? Minime. Enimvero ſi ex. gr. homo, quia abſens, damnatus fuiſſet in imagine ſuà ſuſpendi, hęc figura quomodo implenda? Nunquid altera ejus ſtatua, vel imagine ſubrogata, quæ elegantius altera depicta, vel efformata eſſet? Non equi-

equidem, nam id eſſet figuram figuræ ſubrogare. Igitur nonniſi reali, & vera perſonæ diſſolutione, ac morte. Sic Jeſus Chriſtus deſtinatus Cruci poſt peccatum Adæ, non pro ſuis, ſed pro peccatis noſtris, ut reſponderet Corpus Corpori, nec illud in veteri lege poſſet impleri, quia non homo, ſed Deus erat immortalis, & impaſſibilis, idcirco tanquam abſens, & diſtans habitus, morti dabatur in typo, & figura, in Agno, aliiſque Sacrificiis; quare Iſraelitæ ipſum immolabant in ſpiritu, & fide, credentes videlicet, ac ſperantes, quod Agnus ille verus abſque macula immolandus ſtatuto tempore eſſet pro peccatis totius Mundi. Ergo immolari in figura, ſpiritu, ac fide, non eſt re vera in perſona immolari: neque fides hanc habet efficaciam, abſentia facere præſentia; tunc autem ipſe vere immolatus fuit, quando non in figura, ſed in veritate perſonæ, in humanitate aſſumpta loco Agni occiſus fuit. Agamus modo de ſecunda parte. Nedum immolandus erat Agnus, ſed & manducandus. Quomodo impleta erit hæc figura? Nunquid panem communem præſtando, qui a Chriſtianis manducaretur in memoriam paſſionis ejus, ſpiritualiter Chriſtum apprehendentes, & ſola fide, quemadmodum Agnum manducabant Hebræi? Non equidem: hoc quippe fuiſſet typum typo ſubrogare, picturam picturæ. Quomodo ergo, niſi in ſacra menſa proprium Corpus loco Agni exhibendo, quod manducetur, ſicut in Cruce aptavit Corpus ſuum immolandum, loco Agni occiſi? Hoc ſane eſt adimplere legem a Moyſe datam, & veritatem a Jeſu Chriſto perfici. At Corpus Chriſti ſpiritualiter tantum, & fide ſumere, nec aliud aſſerere, ut Calviniſtæ effutiunt, eſt Chriſtianam legem in Judaiſmum, & Chriſtum in Moyſen commutare. Hebræi etiam Chriſtum ſumebant ſpiritualiter, & per fidem: quid ergo plus his faciunt? In quo facta eſt veritas a Jeſu Chriſto, pluſquam a Moyſe? Illic comedebatur ſpiritualiter, & ex fide Chriſtus illis abſens: hìc manducatur Chriſtus ſpiritualiter, & per fidem Corpus ejus abſens, quod in Cælo ſit. Quid igitur plus habebitur? Forte quod ibi ſub forma Agni, hìc ſub forma panis accipitur? Enimvero hoc eſt figuram in figuram commutare, ſed non figuram in ipſam veritatem. Non alius ergo reſtat modus, quam quod ibi in ſola figura, hìc in veritate manducetur; & quemadmodum Sacrificium typicum impleri non poteſt, niſi vera morte figurati, ſic typica comeſtio non poterit, nec poteſt vere adimpleri, niſi vera figurati caro in cibum præbeatur.

81. Panigarolam audacter interrogas Apolog. *pag.* 364.: *Tu vero quid habes in Cœna tua? Neque ibi habes externum ſignum viſibile, reale, neceſſarium ad quodlibet Sacramentum, ſed tantum ſpecies tuas, ideſt nihil.* Ejus partes aſſumo. In Cœna mea non nudi panis fruſtum habeo, ſicut tu, ſed verum Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, veris, realibus, ac ſenſibilibus; in ſumma quidquid ſenſibile in pane & vino præerat, remota ſubſtantia panis & vini, quę in Corpus, & Sanguinem Chriſti converſa eſt. Unde didiciſti ſubſtantiam de ſe eſſe ſenſibilem? Ais, *Corpus quod in Cœna mea ſumo, Corpus eſt chimaricum, inviſibile, impalpabile.* Nugis iſtis jam ſatis dictum; chymæricum quippe eſt velle corpus phyſicum ex ſuis intrinſecis, & eſſentialibus actu eſſe viſibile, & palpabile, quaſi a Dei omnipotentia fieri non poſſit, ut actu non ſit viſibile, & tangibile. Hebræi nec videbant, nec tangebant Chriſti Corpus, dum Lucæ 40. 30. *Tranſiens per medium illorum ibat.* Nunquid non erat viſibile Corpus? Unice quod palpas, & vides, credere tibi ſuades, nec capis, credendum nempe, quod nec videtur, nec tangitur. Si *Corpus Chriſti etiam poſt reſurrectionem ſuam viſibile fuit, & palpabile,* ideo quod diſcipulos ſuos confirmare voluit in fide reſurrectionis ſuæ. E contra in Sacramento non viſibile eſt, non tractabile, quod a fidelibus ſuis fidem teſtatam velit. Ego teneo ore Sacra-

men-

mentum ſumere, & in ipſo Corpus Chriſti verum: quid porro contra habes? Nempe *pag.* 365.: *Conſumptis ſpeciebus, perit Corpus. Hoc autem Corpus illud eſt quod in æternum manet.* At peto ex te: Quid in Cœna tua ſumere prętendis? Nudum panem, & in ipſo figuram Corporis Chriſti. Ad quid autem, ſi conſumpto pane in ſtomacho, perit figura illius Corporis, quam ſumere prætendis? Quemadmodum reſolutis ſpeciebus in me non manet Corpus illud in re, ita reſoluto pane non manet in te Corpus illud in figura. Si ergo ſuperflua & inutilis eſt præſentia, ſuperflua ac inutilis erit figura. Poſtulas: *Salvus ne es, quia Chriſtum ore manducas?* Et ego: Salvum te facis, quia Chriſtum ore manducas? Reſpondebis, ad ſalutem neceſſe eſſe Chriſtum fide manducare. Tum ego idem aſſeram. Ore Sacramentum, fide effectum ſumo Sacramenti. Quod *multi ſuſcipiant Sacramentum, & cum Juda pereant*, Auguſtinus affirmat *Tract.* 26. *in Joann.*: *Quam multi de Altari accipiunt, & moriuntur, & accipiendo moriuntur! Nonne bucella Dominica venenum fuit Judæ; & tamen accepit, & cum accepit in eum inimicus intravit?* Judas accepit Corpus Chriſti Sacramentaliter, ſed non ſpiritualiter, quare quod ceteris Apoſtolis ſalus, ipſi perditio fuit, unde D. Auguſtinus: *Videte ergo fratres, panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad Altare apportate.* At ſuſcipis: *Si qui fide tantum Chriſtum manducat, juſtus & ſalvus fiet, inutilis erit realis præſentia ſuè Corporis. Ergo manducatio vana eſt, ſi fides nulla ſit.* At ego iterum: Si nec juſtus, nec ſalvus fit, niſi qui fide manducat; ergo inutilis eſt typica, & myſtica præſentia, pro qua pugnas, & in pane tibi fingis, dum ſine iſta cum ſola fide prætendis ſalvus fieri. Ad hæc. Si realis præſentia Chriſti in Euchariſtia vana eſt, quia ad ſalutem, & juſtificationem fides ſufficiens eſt, quid Verbi incarnatio, quid paſſio, quid merita Chriſti faciunt, cum his omnibus poſitis, ſi fidem non habeo, jam pereo? Sat ergo erat, Verbum divinum apparentem Carnem aſſumere, ut Manichæi effutiebant, ſiquidem ſi fides nulla eſt, vera humanitas ejus nihil prodeſt. Quidquid a te dicatur, pro cauſa mea dicetur.

82. *Congruentiſſimum erat*, ait Panigarola, *ſponſum diſceſſurum a ſponſa, Corpus ſuum dono ipſi tradere.* Reſpondes *pag.* 365., *Panigarolum iterum ſecum ipſo pugnare apertiſſima contradictione. Chriſtus diſcedens a ſponſa tradidit ipſi Corpus ſuum. Sic diſceſſit, & non diſceſſit ab ea. Quomodo diſceſſit a ſponſa ſua, ſi Corpus ſuum ipſi tradidit? Chriſtus qua Deus non diſceſſit, quia a terra non receſſit majeſtas ejus, ait Divis Aguſtinus Tract.* 50. *in Joann.*: *Corpus ſuum intulit Cælo, et majeſtatem non abſtulit Mundo. Non diſceſſit ut homo, ſi verum ſit Corpus ſuum in terris reliquiſſe.* Hæc contradictio tibi tam palpabilis, mihi non eſt niſi chymærica. Uno modo diſcedere, alio vero modo non diſcedere, viſibiliter non manere, manere autem inviſibiliter, cuique intelligenti non ſunt contradictoria. Chriſtus viſibili Corpore a ſponſa ſua ibat, & ſecum Corpore ſuo inviſibiliter in Sacramento manebat. Chriſtus quæſitus quod ad Templum aſcenderet *Joan.* 7. 8. 10., reſpondit: *Ego autem non aſcendam*; et tamen conſtat aſcendiſse. Sibi ergo Chriſtus contradixit? Non equidem, quia *aſcendit non manifeſte, ſed quaſi in occulto.* Ita Chriſtus ab Eccleſia ſua diſceſſit viſibiliter, & non diſceſſit inviſibiliter. *Satis erat*, ais, *Spiritum ſuum ſponſæ ſuæ relinquere.* Satis etiam erat, a Patre in Mundum mitti Spiritum Filii ſui, quin carnem aſsumeret; & tamen voluit ipſum in carne venire. Sat profecto erat Eccleſiæ Spiritum ſuum relinquere, quin & Corporis ſui figuram in Euchariſtia ipſi traderet; & tamen hanc ſaltem, per vos, ipſi tradere voluit. Ergo tameſi ſat eſſet & Spiritum ſuum, & ſui Corporis figuram Eccleſiæ ſuæ ab ipſo relinqui, attamen ut majus ſuæ charitatis pignus erga ipſam oſtenderet, Corpus

ſuum

ſuum vere, & in ſubſtantia tradere ipſi voluit. *Ego*, ſubdis, *mendax dici aſſentior, ſi Frater textum unum perſpicuum mihi oſtendat, quo Chriſtus Eccleſia ſua promiſerit ſui Corporis præſentiam*. O immortalis Deus! Præclarius ne Chriſtus exprimi poterat, quod Carnem ſuam in cibum dare vellet, quam ut fecit *Joann. cap. 6.*? Verum ſi in alium ſenſum Chriſti verba extorqueas, ut ſupra oſtendimus, non dicas Chriſtum non promiſiſse, ſed credere te perfidiſſimum ſemper reſiſtere voluiſse. Nonne promiſsa Chriſtus attendit, dum dixit *hoc eſt Corpus meum?* Quid præclarius quæritur? Tuum modo eſt oſtendere ex Scripturis, Chriſtum his verbis non intendiſſe verum Corpus ſuum, ſed meram figuram dare velle, niſi velis, qualis es, mendax haberi. Ego aſseto, nulla ratione, ſed ex ſola pertinacia oriri, proprietatem velle verborum Chriſti negare; & ſi qoa ratio ſit, proponatur, at non geræ, non ſomnia, non phantaſticæ chimæræ, ſed textus Scripturæ ſint patentes, & perſpicui. Omnes hæreſes hactenus evulgatæ quamdam fundamenti ſpeciem habere videbantur. Arius ſi Chriſtum Deum verum, & verum Dei Filium negabat, blaſphemiam diſſimulabat, quod apud Joannem *cap. 1. 14.* non unigenitum, ſed *quaſi unigenitum* legebat. Audiebat Chriſtum dicentem: *Pater major me eſt, Joan. 14. 28.* & a D. Paulo dici *figuram ſubſtantia Patris, Heb. 1. 3.* Manichæi, aliique, dum negabant Chriſtum hominem verum, in verbis præfidebant D. Pauli *Philipp. 2. 7.*: *Formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Verum de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, & de verbis illis *hoc eſt Corpus meum*, quę tergiverſatio, quæ apparentia a te valet in Scripturis excogitari, ut effutias Chriſtum in ſenſu typico, & allegorico fuiſſe locutum, niſi contendas *te non capere quomodo Chriſtus potuerit Corpus ſuum relinquere; atque hoc eſſe minime poſſe?* Quod tamen alias ita perſpicuum eſt, ut Lutherus ipſe Sacramentarios omnes hæreticos pronuntiavit, & communionem ſecum habere negavit. Velles, Chriſtum a diſcipulis ſuis diſceſsurum, ipſis dixiſse: *Aſcendam in Cælum, ſed in terris Corpus meum habebitis, quod ſub accidentibus Hoſtia videbitis, manibus tractabitis, faucibus veſtris comedetis*. Tametſi vero id dixiſset, nunquid credidiſses? Chriſti verba ad aliquem myſticum ſenſū coarctaſſes, litteralem impoſſibilem diceres. Minus perſpicuum non eſt (quin forte clarius) quod Joannis *cap. 6.* Chriſtus dixit ſe daturum nobis ſuam Carnem in cibum, & Sanguinem ſuum in potum; tum oſtendens ſenſibus panem, dixit: *Hoc eſt Corpus meum*. Hoc autem ſi te ſuadere non valeat, num illa valerent? Neutiquam ſane. Eja tamen, ſi Chriſtus ea non dixit, ſancti Patres hactenus relati & referendi ea dixerunt, inter quos D. Auguſtinus *in Pſal. 33.*: *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait: Hoc eſt Corpus meum. Ferebat enim illud in manibus ſuis*. Itaque ſi dum dixit *hoc eſt Corpus meum*, notum fuit, Chriſtum tunc portare manibus ſuis ipſum Corpus ſuum, ſignum profecto erat in illo Sacramento illud ſponſę ſuæ relinquere. Hic ſenſus myſticus locum non habet.

83. His reſpondes *pag. 365.*: *Panigarola aliud non habet, quam ſuum illud hoc eſt Corpus meum: cum tamen, judicio etiam inſignis Cardinalis, non ſit in Evangelio, quod me cogat verba illa proprie intelligere. Sic oportet alium eſſe Scriptura textum, qui mihi fidem faciat de Chriſti Corpore in terris*. Etſi verum eſset, inſignem illum Cardinalem in hac fuiſſe opinione, idcirco ne præferendum Patrum ſenatui, aliorum Interpretum collegio, immo univerſæ Eccleſiæ, qui omnes aſserunt accipiendum eſse in ſenſu proprio? At quis *inſignis hic Cardinalis?* Cajetanus nempe *in 3. par. D. Tho. qu. 75. ar. 1.* Mirum ſane! Cajetanus commentatur D. Thomam; tu vero Commentaria legiſti, textum vero dignatus non es

nec

nec oculis tangere? D. Thomas enucleatius loqui non poterat de ſenſu litterali illorum verborum. Lege loco a te citato: *Dicendum, quod verum Corpus Chriſti, & Sanguinem eſſe in hoc Sacramento, neque ſenſu, neque intellectu deprehendi poteſt, ſed ſola fide, quæ auctoritati divinæ innititur. Unde ſuper illud Lucæ 22. hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur, dixit Cyrillus Alexandr.: Non dubites an hoc verum ſit, ſed potius ſuſcipe verba Salvatoris in fide; cum enim ſit veritas, non mentitur.* Vel ſi Commentario potius, quam textui attendere proponebas, attentius ſaltem debebas legere. Non enim Cajetanus ait *non eſſe in Evangelio, quod cogat proprie intelligere*, & mendax es de more, ſi id contendas, ſed duo tantum diſtinguit, unum quod Corpus Chriſti vere ſit in Sacramento, alterum quod ibi ſit per Transſubſtantiationem; & ſubdit primum haberi ex verbo Dei: *Habemus igitur ex veritate verborum Domini, in ſenſu proprio, Corpus Chriſti veraciter eſſe in hoc Sacramento, & hoc eſt primum, quod ex Evangelio habemus circa hoc Sacramentum.* Et errori adſcribit, metaphorico ſenſu velle id intelligere: *Primus error circa hoc fuit interpretantium hæc Domini verba metaphorice.* De altero vero ait: *Alterum autem, quod Evangelium non explicavit expreſſe, ab Eccleſia accepimus, ſcilicet converſionem panis in Corpus Chriſti.* Hæc Cajetanus. Quomodo ergo audes ipſi imponere, ſcilicet *nihil eſſe in Evangelio, quod cogat intelligere litterali ſenſu Chriſti verba?* Quid alios Scripturæ textus quærere, qui nonniſi ad obſcuriora explicanda inveſtigantur, ait D. Auguſtinus *Lib. 3. de doctr. Chriſt. cap. 26.*) *Ubi apertius ponuntur, ibi dicendum eſt quomodo in locis intelligantur obſcuris.* Si textus de ſe clarior ſit, non alibi inquirenda eſt intelligentia. Perſpicua autem cum ſint verba *hoc eſt Corpus meum*, non aliis textibus aperienda ſunt, ſed ex ipſis potius alia ſunt intelligenda, & interpretanda: quanquam etſi centum mille textus proferrentur, ad allegoriam eos traheres, ſi non dubites typice interpretari hæc verba *hoc eſt Corpus meum.* Sed patienter audiamus reliqua. *De præſentia ſui Spiritus, innumeræ ſunt ſententiæ a Chriſto pronuntiatæ ante mortem, & poſt reſurrectionem ſuam. De præſentia Corporis ſui, una tantum fertur.* Id negari poſſet. Plura enim ſunt apud Joannem *cap. 6.*, & D. Paulum *1. Cor. 11.* Dare tamen volo. Aſt tu qui alios poſtulas textus de reali præſentia Chriſti, mihi indulge petenti ex te unum dumtaxat textum, denuntiantem Chriſtum in figura tantum adeſſe, quodque verbum *eſt* intelligi debeat pro *ſignificat*: ſed nec adhuc feciſti, nec facies in ſempiternum. Quare igitur exhibito jam perſpicuiſſimo textu, alium poſtulas comprobativum realis præſentiæ, cum nec unum proferre valeas figuratæ præſentiæ affirmativum?. Dictum illud Chriſti *Matth. 28. 20.*: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*, D. Chryſoſtomo efficax argumentum eſt ad realem Corporis Chriſti præſentiam comprobandam (*Hom. 2. ad Populum*): *Tanquam maximam hæreditatem Eliſeus Meloten ſuſcepit: etenim vere maxima fuit hæreditas auro pretioſior. Et erat duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias, & deorſum Elias. Novi quod juſtum illum beatum putatis, & velletis quiſque eſſe ut ille. Quid igitur ſi vobis demonſtravero quid aliud, quod illo multo majus ſacris myſteriis imbuti recipimus? Elias nempe Meloten quidem diſcipulo reliquit. Filius autem Dei aſcendens, ſuam nobis Carnem dimiſit. Sed Elias quidem exutus: Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit.* Hic ſane Chryſoſtomus non loquitur de ſola Chriſti Carnis præſentia *in ſpiritu*, ſiquidem Elias hoc modo præſens diſcipulo ſuo aderat. Itaque de reali loquitur præſentia. Quoniam vero certum non eſt, relatum textum accipiendum eſſe de ſola reali Corporis præſentia, ſed etiam de præſentia majeſtatis, ut D. Auguſtinus interpretatur *Tract. 30 in Joann.*, ideo aſſentior, ibi

non de Euchariſtia Chriſtum inſtituiſſe ſermonem, ſed potius de Spiritu ſuo, quem diſcipulis erat ipſe daturus, ne in docendo fallerentur, ſed tanquam a ſe dictum exaudirent ceteri, quod Apoſtoli traderent; aliorum vero documenta, ab ipſis vel non propoſita, vel non probata, devitarent. Ita Tertullianus affirmat *de praſcriptionibus c.21.: Si Dominus Jeſus Chriſtus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit.* Nunc poſtulo: Quis Lutherum, Calvinum, alioſque Reformatorum nomine prædicatores miſit? Chriſtus? Minime gentium. Si ergo non ſunt recipiendi, quam quos Chriſtus inſtituit, Lutherus, Calvinus, hujuſque generis homines recipiendi non erunt. Qua autem ratione innoteſcere poterit, an Prædicatoris alicujus doctrina conformis ſit doctrinæ Apoſtolicæ, & Chriſti? *Quid autem prædicaverint, ideſt quid illis* (Apoſtolis) *Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam, non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva* (quod ajunt) *voce, quam per Epiſtolas poſtea.* Nunc meliora. *Si hæc ita ſunt; conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis, matricibus, & originalibus fidei conſpiret* (inter quas *cap.* 36. præcipuam recenſet Romanam), *veritati deputandam, ſine dubio tenentem quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit. Omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei.* Doctrina realis præſentiæ Corporis Chriſti in Euchariſtia conſpirat cum Eccleſiis Apoſtolicis, Latinis, & Græcis: e contra doctrina typicæ præſentiæ tantum, ſapit contra veritatem Eccleſiarum Apoſtolorum. Hæc ergo *eſt mendacio præjudicanda*, illa *veritati deputanda*. Concludo quod in negotio realis præſentiæ: *Communicamus cum Eccleſiis Apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa. Hoc eſt teſtimonium veritatis.* Hoc argumentum cum Tomo 1. a me tractatum fuerit, illuc lector adeat.

84. Realem præſentiam Chriſti in Sacramento ratus eliminare, ſubdis Apolog. *pag.* 366.: *Si in terris eſt Corpus Chriſti, cur hujus memoriam Chriſtus inſtituit? Quare dixit: Hoc facite in meam commemorationem? Luca* 22. 19., 1. *Cor.* 11. 26. *Nemo recordatur, niſi quod ſibi non repræſentatur, ait D. Auguſtinus in Pſ.* 37.; *& Ariſtoteles ipſe: Memoria præſentis non eſt.* Repeto jam dicta ſupra *num.* 24., petens num Deus ſit ſemper ubique præſens? Negari enimvero nequit. Quare igitur Deuteron. *cap.* 8., Judicum *cap.* 8., & alibi, mandat ſui reminiſci? populum redarguit, quod oblitus fuerit? Quare Arca Teſtamenti, columna nubis, & ignis, appellantur *memoriale Dei*? Forte quia memoriale ſint beneficiorum Dei, quæ jam prætererant? Et ego idem aſſeram, Euchariſtiam ſcilicet memoriam eſſe paſſionis Chriſti, quam pro nobis tulit, jamque præteriit. Ad hæc: Nonne poteſt homo de ſeipſo oblivíſci, & ſui ipſius memoriam revocare? Ideo ne dicetur a ſeipſo abeſſe? Profecto D. Auguſtinus *in Pſ.* 37. ait: *Nemo recordatur, niſi quod in præſentia non eſt poſitum*, item Ariſtoteles; ſed ad aſſequendam illius mentem abſque præjudicio, legere oportet *in Lib.* 14. *de Trin. cap.* 11., ubi poſtquam dixerat mentem interdum ſui oblivíſci, ita diſſerit: *Sed dicet aliquis non eſt iſta memoria, qua mens ſui meminiſſe perhibetur, quæ ſibi ſemper eſt præſens; memoria enim præteritorum eſt, non præſentium &c.* Nonne hæc ipſa objectio tua? Nunc audi D. Auguſtini reſponſum. „Qui præſentium dicit memoriam non eſſe, attendat parum „quod in profanis literis ſcriptum „eſt, in quibus verborum proprietas „majoris curæ fuit, quam rerum veritas. Cum Virgilius dixit Ulyſſem „ſui non fuiſſe oblitum: *Nec talia „paſſus Ulyſses, oblituſve ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto* „ quid aliud intelligere voluit, niſi ſui meminiſſe? *Cum ergo ſibi præſens eſſet, nul-*

lo modo ſui meminiſſet, niſi ad res præſentes memoria pertineret. Quapropter ſicut in rebus præteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli, & recordari; ſic in re præſenti, quod ſibi menti eſt, memoria ſine abſurditate dicenda eſt &c. Porro ſi memoria etiam præſentium eſt, ut ipſe OEcolampadius non audet negare, qua ratione infers Chriſtum in Euchariſtia præſentem non eſſe, quod iſta ipſius commemoratio ſit? Quid ultra, ſi Calvinus ipſe *in 1. ad Cor. cap. 11.* mihi præſtat quid reſpondendum ſit? *Qualem ſui memoriam* (ejus verba ſunt) *voluerit Chriſtus in Cœna recoli, mox audiemus. Quod autem hinc nonnulli colligunt, abeſſe igitur a Cœna Chriſtum, quoniam memoria nonniſi rei abſentis ſit, prompta eſt reſponſio, ſecundum hanc rationem, qua Cœna eſt recordatio, Chriſtum ab illa abeſſe, neque enim adeſt Chriſtus viſibiliter, atque oculis cernitur, ſicut ſymbola quæ ipſum figurando memoriam noſtram excitant.* Euchariſtia igitur memoria eſt Chriſti viſibilis, & palpabilis, & ſecundum hanc memoriam Chriſtus non eſt præſens, ſed non eſt memoria Chriſti inviſibili; immo ſecundum hanc rationem fatetur Calvinus *Lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 11., in Cœna myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum vere nobis exhiberi, adeoque Corpus, & Sanguinem ejus.* En exitus argumenti tui, quod tanta pompa geſtabas! Calvinus ipſe inane illud judicat, promptam adhibens reſponſionem.

85. Apolog. *pag.* 366. omnem moves lapidem, ut Panigarolæ ſermonem excutias, quem *part. 2. Lect. 36.* ille habet, dum probare nititur, Chriſti verba *Luca 22. 16.: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei ... Non bibam de generatione vitis, donec Regnum Dei veniat*, a Chriſto dicta poſt Cœnam legalem, & ante Euchariſtiam, & per ea Chriſtum indicare voluiſſe: Non manducabo amplius panem quem manducavi, nec bibam vinum quod bibi in Cœna paſchali; & in hunc modum diſſerit „ Chriſtus Paſchate manducato, ait: Non amplius manducabo panem, nec vinum bibam. „ Porro in Euchariſtia manducavit, „ & bibit. Ergo in Euchariſtia non „ manducavit panem, nec vinum bibit, ſed propriam Carnem, & „ Sanguinem „. Contra hanc rationem acriter contendis. Verum cum mera ſit probabilis ratio, reor mihi abſtinendum ad hanc Catholicam veritatem eam adhibere, tantumque placet ſcrutari, qua firmitate polleant animadverſiones, quibus eam evertere ſatagis. Primum animadvertis, *dicente Chriſto: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum; inde ſubjiciente: Ex hoc non manducabo illud; hoc ILLUD non eſſe pani referendum, quaſi dixiſſet non manducabo amplius panem; ſed Paſchati, de quo locutus erat.* Secundo conſideras, quod *apud D. Matthæum, & D. Marcum, verba illa: Non bibam amplius de hoc genimine vitis; cum dicta ſint poſt conſecrationem Calicis Euchariſtici, nequeunt intelligi de Calice Paſchatis, ſed de Calice Euchariſtico, ſiquidem pronomen* HOC *nequit denotare niſi antecedens, & antecedens eſſe nequit niſi Calix Euchariſticus, de quo præciſe loquitur D. Matthæus.* Prætereo quælibet reſponſa, & in hac una animadverſione ſiſto: Ergo quod Chriſtus Paſchatis prius mentionem fecerat, vox *illud* Paſchati referenda eſt, quodque prius mentionem fecerat Euchariſtici Calicis, nullam vero Calicis legalis, vox *hoc* referenda eſt ſuo antecedenti, nempe Euchariſtico Calici. Ergo, inferam ego, quando Chriſtus Petro dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, vox *hanc* referenda eſt *Petro*, *Petra* de qua Chriſtus prius locutus fuerat, non Chriſto, de quo nullam mentionem fecerat; quippe ſi relativum immediato ſuo antecedenti referendum eſt in uno textu, cur non in alio? Et tamen tu pertinaciter negaſti, & negas, pronomen *hanc* referendum eſſe D. Petro, ne coactus videaris *Petram* præ ceteris primam ipſum fateri in ædificatione Eccleſiæ, & Primatum ei con-

cedere. Aut itaque concede vox *hanc* denotare antecedens, nempe D. Petrum, aut non aſsumas probare, *illud* & *hoc* ſuum antecedens deſignare, ideſt Paſcha, & Euchariſticum Calicem, & ceſſa oppugnare ineptiſſime in hac parte Panigarolæ ſermonem. Nec futilis, & inepta minus eſt retorſio, his terminis Apolog. *pag.* 367. a te concinnata; *Chriſtus bibit in Sancta Cœna quod erat in Calice. In Calice vinum extabat: Non bibam amplius de hoc genimine vitis, ait Chriſtus. Ergo Chriſtus in Sancta Cœna vinum bibit, non proprium Sanguinem*; etenim inſto: Quod erat in Calice, & Chriſtus bibit, illud amplius bibiturus non erat, niſi in Regno Patris ſui, nempe in Cælis. Atqui in Cælo Sanguinem ſuum bibiturus non erat, nec figurato, nec vero ſenſu. Ergo ſi quod erat in Calice Chriſtus bibit, non erat verus Sanguis ejus, neque ejus Sanguis erat in figura. Dicatur ergo ibi Chriſtum non eſſe locutum de vino Euchariſtico, ut Panigarola contendit, aut ſi de Euchariſtico vino ſermonem habuit, generationem vitis vocat, vel quod tametſi ejus Sanguis eſſet, ex vino conſecratus erat, dum ſub ſpeciebus vini illud diſtribuebat, vel per analogiam ad proprietates vini, quemadmodum *Joannis cap.* 6. nomine *panis Carnem* ſuam appellat. Verum notanda hic tui ſermonis ineptia. Quod verba *non bibam amodo de hoc genimine vitis* intelligi debeant de Sacro Calice, incerta res eſt, quia D. Lucas ea refert ut dicta ante Euchariſticam Cęnam, quanquam D. Matthęus, & D. Marcus ea indicent ut pronuntiata poſt eandem Cœnam. Quod Chriſtus in manus accipiens Calicem Sacrum, diceret non *hoc eſt vinum*, ſed *hic eſt Sanguis meus*, certiſſima res eſt, quia omnes Evangeliſtæ id referunt. Quare ergo dum audis *vinum* eſſe dictum, vis in Calice vinum bibi, & dum audis *Sanguinem*, negas Sanguinem Chriſti potum dari?

§. IX.

S. Juſtinus, & Irenæus, cum Tertulliano, & Theodoreto, a Picenino male intellecti, & peſſime interpretati.

86. NEmo Patrum, ait Panigarola, prætermiſit Tranſubſtantiationem docere, aut ipſo nomine, aut ſaltim re. Tu vero Apolog. *pag.* 363. ais: *Ego autem contrarium aſſero. Patres loquuntur adhuc in ſcriptis ſuis.* Poſſem hic omnium ſeculorum Patres recenſere, qui unanimi conſenſu faſſi ſunt realem præſentiam Corporis Chriſti, & conſequenter Tranſubſtantiationem. Quia tamen mei muneris ratio tantum poſtulat, his quæ opponis obſtare, in illis Patribus ſiſtam, quos pro te exhibes, de aliis apud Controverſiſtas videndum lectori permittens. Duo hic oppugnas: unum quod Corpus Chriſti realiter præſens ſit in Euchariſtia; in quo non modo nos, quam Lutheranos ipſos aggrederis: alterum quod per Tranſubſtantiationem pręſens fiat potius, quam per conſubſtantiationem, ut Lutherani prætendunt. Ex perverſa tamen animi tui indole percitus, ac ſi cum Lutheranis nulla tibi quæſtio eſſet, nunquam iſtos nominas, ne eorum fraternitatem offendiſſe videaris; quaſi vero potiſſimus cauſę articulus non eſſet de reali pręſentia, ſed tantum de modo præſentiæ, nempe per Tranſubſtantiationem, hanc unam tuis devoves diris, confundens realem præſentiam cum Tranſubſtantiatione, quæ nedum diſtincta, ſed diſparata omnino ſunt, ut ſine altera una eſſe poſſit, dum Lutherus, qui Tranſubſtantiationem negabat, realem præſentiam tam impenſe tueretur, ut hæreticos diceret Sacramentarios omnes iſtam negantes. Primus Patrum quem in ſcenam introducis eſt D. Juſtinus *Dial. cum Tryphone*, ubi Euchariſtiam vocat *Panem in commemorationem Corporis Chriſti, & Calicem in recordationem Sanguinis ſui: Quem Chriſtus nobis noſter tradidit in com-*

commemorationem corporationis ſua ... quod in recordationem Sanguinis ſui tradidit &c. Hic admonendum, apud priſcos Patres de re Euchariſtica ſermonem haberi arcanum valde, & obſcurum, eam appellantes frequentiſſime, modo *ſymbolum*, *typum*, modo *figuram*, *memoriam*, ſiquidem illorum temporum diſciplina, inter perſecutionum anguſtias, Eccleſiæ myſteria Paganis occultare conſueverat, ne pretioſa ejus canes dilaniarent, ne arcana Dei Chriſti hoſtibus ludibrio fierent: de quibus conſuli poteſt Emmanuel Scheleſtratius *de diſciplina arcani*. Hac de cauſa Juſtinus Hebręum Tryphonem alloquens, ſub *panis* nomine in commemorationem Corporis, & *vini* in recordationem Sanguinis, contentus fuit Euchariſtiam deſignare, non quod re vera non habeatur ibi Corpus, & Sanguis Chriſti, ſed quod non decebat tantum myſterium homini Judæo aperire. Antonino tamen in *Apolog. 2. pro Chriſtianis* id plane retexit. Deſcripto quippe ritu, qui ſervari ſolitus erat in Euchariſtiæ communione, ad ea ſe referens, quę in hoc Sacramento a Chriſtianis credebantur, ſcribit: *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus; ſed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & Carnem, & Sanguinem ſalutis noſtra cauſa habuit: ad eundem modum etiam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratia ſunt acta, alimoniam, unde ſanguis, & caro noſtra per mutationem aluntur, incarnati illius Jeſu Carnem, & Sanguinem eſſe docti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, qua Evangelia vocantur, ita tradiderunt praecepiſſe ſibi Jeſum: cum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe: hoc facite in mei recordationem: hoc eſt Corpus meum: & poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis, dixiſſe: hic eſt Sanguis meus, & ſolis ipſis ea tradidiſſe.* Videtur ne tibi Picenine hic D. Juſtini ſermo, qui ad eundem modum quo Verbum caro factum eſt, panem & vinum conſecrata Carnem eſſe, & Sanguinem docet Jeſu Chriſti, ideo quia dixit *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Sanguis meus*, in figuris, & allegoriis, verborumque ambagibus verſari? Nitidius ne poterat, in Corpus, & Sanguinem Chriſti, panis, & vini Tranſubſtantiationem delineare? Dubium ne amplius manet, quid Juſtinus in illo pane, in illo vino, quę commemorabat in Dialogo cum Tryphone, intelligeret?

87. Alter Patrum, quem Apolog. *pag.* 368. pro te refers, eſt D. Irenæus *Lib. 4. adverſ. hæreſ. cap.* 34., eumque ſic alloquentem introducis: *Quemadmodum panis, qui terrenus eſt, percipiens Dei invocationem, non eſt amplius communis panis, ſed Euchariſtia eſt ex duobus compoſita, uno terreſtri, alio cæleſti, ita corpora noſtra Euchariſtiam ſumentia, non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* D. Irenæi mens jam a me ſupra nu. 31. propoſita, & conſiderata fuit, quo lectorem mitto, unde clarius intelligat quæ in præſens dicturus ſum. Irenæus in illo *cap.* probat Euchariſtiam verum eſſe novę legis Sacrificinm. Marcionitæ autem, & Valentiniani, negantes Chriſtum eſſe vere Filium fabricatoris Mundi, ab Irenæo hac ratione oppugnantur: *Quomodo conſtabit eis, cum panem in quo gratia acta ſunt, Corpus eſſe Domini ſui, & calicem Sanguinis ejus, ſi non ipſum fabricatoris Mundi Filium dicant?* Tam certum ergo apud Irenæum erat ſacratum panem eſſe Corpus Chriſti, quam certum ſit Chriſtum Filium eſſe Creatoris Mundi. Quemadmodum autem Verbum eſt Creatoris hujus Mundi Filius vere, non figurate, aut metaphorice, ita panis Euchariſticus erit Corpus Domini vere, non figurate, aut metaphorice. Inſuper Irenæus ſupponit ut certiſſimum dogma, ab hæreticis etiam ſuæ ætatis receptum, Euchariſtiam eſse Corpus Chriſti, haud in figura, quam in veritate; alias quomodo contra ipſos ex reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, Chriſtum verum habere Corpus probare valuiſset? Etenim in ipſum facile inſurrexiſsent, Verbum Corpus ha-

habuiſse, illud potiſſimum quod in Eucharistia dixit *hoc eſt Corpus meum*; hoc tamen Corpus verum non eſſe, immo figuram tantum Corporis ſui; ergo verum non habuiſſe Corpus, ſed figuram tantum, & ſimilitudinem Corporis. Ad hæc. Irenæus aſserit, quod panis pereipiens Dei invocationem non amplius panis eſt communis, ſed Eucharistia ex duobus compoſita, uno terreſtri, altero cæleſti. Peto, quæ porro ſit res hæc terreſtris, & illa cæleſtis, quibus Eucharistia componitur? Non aliud ſane, quam Corpus Christi, & ipſa divinitas, ideſt ſymbola panis, & Corporis Christi. Quodlibet compoſitum, partes quibus componitur realiter, non in figura tantum in ſe ipſo habet; etenim quis unquam aſserat, paſchalem Agnum, figuram tranſitus, & ipſius Chriſti, ex duobus fuiſse compoſitum, ſcilicet ex Agno, & tranſitu? ex Agno, & Chriſto? Cęſaris imaginem componi ex coloribus, & ipſo Cæſare? Si ergo Euchariſtia componitur ſymbolis, & Corpore Chriſti, vere, non figurate tantum eſt Corpus Chriſti. Enimvero Calviniſtarum nemo hactenus faſſus eſt, Euchariſtiam componi, ex pane, & Chriſti Corpore, quia per ipſos Chriſti Corpus Euchariſtiam non efficit ut pars componens, ſed tanquam extrinſecum, & merum connotatum. Ergo ſi Irenæus aſserit Euchariſtiam ex duobus componi, ſymbolis nempe, & Corpore Chriſti, ex hujus Patris ſententia cauſa Picenine cadis. Quod autem primo intuitu prodeſse tibi videretur, forte eſsent ſubjecta verba: *Corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia*. Verum recte perpenſis, adverſa tibi res eſt; hujuſmodi enim eſt Irenæi ſermo: Quemadmodum Euchariſticus panis, non amplius communis eſt panis, ſed terreſtrem continet rem unam, & alteram cæleſtem; ita et ipſa corpora noſtra nutrita, ſpem habent reſurrectionis: argumento ducto ab immutatione quæ in Euchariſtia fit, ad illam quæ fiet in corporibus noſtris. Atqui in reſurrectione corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale reſurget, non in ſpecie, & figura, ſed vere incorruptibile; ergo Euchariſticus panis non in typo & figura tantum, ſed in veritate immutatur in Corpus Chriſti. Videatur S. iſte Pater *Lib. 5. contra hæreſ. cap. 2.*, ubi hoc idem argumentum tractat, & recolantur ſupra a me dicta num. 31., ut latius pateat quam cæcus ſis Picenine, dum Irenæum fauſtum tibi promittis.

88. Sequitur Tertullianus, quem ſic refers *Lib. 4. cont. Marcionem cap. 40.*: *Chriſtus accipiens panem, Corpus ſuum illum fecit: Hoc eſt Corpus meum, ideſt figura Corporis mei*. Jam video Tertullianum olim Montaniſtam, nunc factum Calviniſtam ex mera tua gratia, in illis maxime fretus verbis: *Figura Corporis mei*. At duplici niſu hęc haſta tua confringitur. Et primo, quod pluribus in locis inſinuatum fuit, reſpondemus a Tertulliano panem Euchariſticum dici figuram Corporis Chriſti, quomodo apud D. Auguſtinum *Lib. cont. Adimant. cap. 12.* ſanguis eſt ſignum animę, ideſt ſignum non nudum, & vacua figura, ſed ſignum, & figura plena, quæ in ſe continet figuratum: neque apud Tertullianum ſimul pugnant figura, & veritas. Aſſerebant Marcionitæ Chriſtum non habere veram carnem, quia: *In effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit pariari Deo, ſed exhauſit ſemetipſum accepta effigie ſervi, non veritate; & in ſimilitudine hominis, non in homine; & figura inventus homo, non ſubſtantia, ideſt non carne*. Ita Marcionitæ; quibus Tertullianus *Lib. 5. adverſ. Marcion. cap. 20.* reſpondet: *Quaſi non & figura, & ſimilitudo, & effigies, ſubſtantia quoque accedant. Bene autem quod & alibi Chriſtum, imaginem Dei inviſibilis appellat. Nunquid ergo & hic, qua in effigie eum Dei collocat? Æque non erit Deus Chriſtus vere, ſi nec homo vere fuit in effigie hominis conſtitutus. Utrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figu-*

Digitized by Google

figura phantaſmati vindicabitur. Sermo ergo Tertulliani talis erat: Quemadmodum in ſimilitudine, & figura hominem dicitis Chriſtum appellari, ita lego inviſibilis Dei imaginem, & figuram nuncupari. Utrumque autem Apoſtolus Paulus aſſerit. Aut ergo verum hominem Chriſtum concedatis, aut vere Filium Dei eſſe negetis oportet. Idem tecum Picenine: Habes ex Tertulliano Euchariſtiam dictam eſſe figuram Corporis Chriſti; & ego habeo Chriſtum appellatum eſſe imaginem, & figuram Dei, & in ſimilitudinem, & figuram hominis factum. Aut ergo Chriſtum verum Deum, & verum hominem eſſe nega, ſi figura, & ſimilitudo ſubſtantiam excludit, aut concede, Euchariſtiam figuram dici Corporis Chriſti, non excludere ab ipſa veram Corporis Chriſti ſubſtantiam: *Utrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur*. Altera reſponſio intentum Tertulliani, & ſermonis ejus circumſtantias attendit, ſcilicet dum panem ibi figuram appellat Corporis Chriſti, non de conſecrato Euchariſtiæ pane loquitur, ſed de pane Sacrificiorum veteris legis, quo figurabatur Chriſti Corpus; quamobrem ſenſus verborum Tertulliani eſt: *Quod in veteri lege erat, vel fuit figura mei Corporis, modo eſt Corpus meum. Illud, nempe vinum, quod figura erat mei Sanguinis, nunc eſt Sanguis meus*. Hanc quippe Tertulliani mentem eſſe declarant ſequentia verba: *Figura autem non fuiſſet*. Si Tertullianus Euchariſticum panem hìc intelligeret figuram Corporis Chriſti, ſubdere non debuit *fuiſſet*, ſed *eſſet*. Porro inſias Apolog. *pag.* 368.: *Tertullianus Marcionis hæreſim oppugnat, Corpus mere phantaſticum, & chimaricum Chriſto tribuentem. Quamobrem ſi illo ſeculo Tranſubſtantiationem Eccleſia credidiſſet, Tertullianus inſtaſſet: Quid hæretici facitis? Quare repugnatis? Nonne ſcitis Chriſti Carnem realiter eſſe ſub ſpeciebus panis, & non creditis veram habere Carnem? Si Corpus Chriſti non eſt niſi phantaſma, quomodo fiet Tranſubſtantiatio?* At ſi Marcionitæ Chriſto verum Corpus, & veram negabant Carnem, & phantaſticam tantum, non realem Carnem ipſi concedebant; ſi ad ingenium Picenini Tertullianum diſſerentem audiiſſent, facile reſpondiſſent, bene Chriſtum in Sacramento realiter eſſe, aſt ſicut non veram in ſemetipſo Carnem, ſic neque in Sacracramento eam habere: quare Teriullianus quod in quæſtione erat male præſumpſiſſet. Idcirco Picenino argutior, in hanc formam diſſerit: Panis in veteri lege figura erat Corporis Chriſti in Sacramento, ſive quæ videtis externa ſymbola, figura ſunt Corporis Chriſti. Rei chimęricę, & phantaſticæ nulla inſtituitur figura. Ergo Chriſtus verum habet Corpus, non chimęricum, vel phantaſticum. Cujus ſermonis ſeriem adverſum te hìc convertam: Panis in veteri lege, Agnus paſchalis, & alia, figuræ erant Corporis Chriſti in Euchariſtia. Figuræ autem nulla inſtituitur figura, ſed tantum vere exiſtentis rei. Ergo Euchariſtia non eſt mera figura Corporis Chriſti, nec in figura tantum, ſed vere ibi adeſt Chriſti Corpus. En Tertulliani veram ſententiam, non a Panigarola, ſed a te male intellectam. Idem dicendum Origenis ſuppoſito textui *Dialog. 3. cont. Marcion.*

89. Accedat nunc Theodoretus *Dialog.* 1. & 2., quem tuum eſſe magnifice oſtentas Apolog. *pag.* 369.: *Viſibilia ſymbola* (ita Theodoretus in Dialogo *Impaſſibilis*) *Corporis, & Sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed natura gratiam addens*. Et in Dialogo inſcripto *Inconfuſus*: *Neque enim ſymbola myſtica poſt ſignificationem recedunt a ſua natura. Manent enim in priore ſubſtantia & figura, & forma, & videri, tangique poſſunt ſicut prius*. At Theodoretus non hìc realem Corporis Chriſti præſentiam negat, ſed tantummodo ſubſtantiæ panis & vini immutationem negaſſe videtur. Ad ſummum ergo Lutheranis faveret, qui Corpus Chriſti realiter præ-

præſens in Euchariſtia concedunt, & ſimul panem, & vinum. Videntur tamen textus illi nobis opponi; quod ſatis te movet ad eos commendandos, paratum Lutheranum fieri te etiam, dummodo fugias eſſe Catholicum Romanum. Neutris tamen proſunt textus illi. Non Calviniſtis, quia Theodoretus poſt dictum ſymbola illa in propria natura manere, addit: *Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut illa ſint quæ creduntur*. Si figuram tantum Corporis Chriſti haberent, dicere ne auderes adoranda eſſe, aut illa adorare? Non equidem, juxta doctrinam tuam. Ad hæc. In eodem Dialogo Eutychianus, ſub Eraniſtæ nomine, petit quæ ſint quæ in Altari offeruntur, & quomodo appellentur? *Poſt conſecrationem vero quomodo has appellas?* Orthodoxus reſpondet: *Corpus Chriſti, & Sanguinem Chriſti*. Petit iterum Eraniſtes: *Et credis te Corpus Chriſti, & Sanguinem percipere?* Orthodoxus: *Ita credo*. Ergo apud Theodoretum tam Hæreticus Eutychianus, quam Orthodoxus, ſupponunt in Euchariſtia vere Corpus adeſſe, & Sanguinem Chriſti, dum ex hoc principio alter in alterum pugnat. Patet itaque Theodoretum nil tibi prodeſſe.

90. Neque vero Lutheranis favet, ſi Eutychiani argumentum demonſtrat, ipſum ſentire panem ſubſtantialiter mutari in Corpus, & Sanguinem Chriſti, ex quo probare ſtudet, Corpus Chriſti poſt aſcenſionem in Dei ſubſtantiam eſſe mutatum. Catholicus vero a Theodoreto introductus hanc non rejicit ſuppoſitionem, immo reſpondet: *Intelliguntur autem ea eſſe quæ facta ſunt*; ex quibus conſtat, tum ab Hæretico, tum a Catholico hujuſmodi mutationem ſupponi. Ais: *Si Theodoretus Tranſubſtantiationem credidiſſet, panem non retuliſſet ut ſymbolum Carnis Chriſti, ſed ut tranſubſtantiatum*. Placet ne Theodoretum audire referentem tranſubſtantiatum panem? Ante conſecrationem de pane loquens, hunc vocat *cibum ex talibus ſeminibus*, nempe ex tritico confectum; poſt conſecrationem autem eum vocat *Corpus, & Sanguinem Chriſti, non recedentibus a ſua natura ſymbolis, ut videri, tangique poſſint*. Quid præterea exſpectandum, ut ipſe nobiſcum fateretur panem tranſubſtantiatum? Poſtquam dixerat manere ſymbola, confitetur quod prius cibus erat, poſt ſanctificationem eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti. Hoc plane idem erat, ac fateri panem factum eſſe Chriſti Carnem, & Eutychianos ſic perſtringere: Vos dicitis, Chriſtum non amplius habere Carnem; & tamen ſub ſymbolis panis habetur vera Chriſti Caro. Porro ut Theodoreti mens clarius innoteſcat, Picenine adverte, rationem Theodoreti adverſus Eutychianos in eo verſari, quod ex veritate quæ ad ſenſum pateat in ſymbolis Euchariſticis, Corporis Chriſti glorioſi veritas demonſtretur. Ex eo quippe quod ſymbola myſtica poſt ſanctificationem nec a ſua natura recedant, & ita maneant in priore ſubſtantia, forma, & figura, ut videri, tangique poſſint, inferendum oſtendit, Corporis Chriſti veritatem per ipſam glorificationem non immutari, ſed in propria natura manere. Et nota a Theodoreto non dici: *Poſt ſanctificationem non mutatur panis*, ſive non recedit panis a ſua natura; ſed: *Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt a ſua natura*. Primum Tranſubſtantiationem inficeret, non ſecundum; ſiquidem, quanquam panis ſubſtantia mutetur in Corpus Chriſti, cum tamen accidentia panis re vera maneant in propria natura, ſtat optime, ſymbola myſtica a ſua natura non recedere, & in priore ſubſtantia, figura, & forma manere, ac videri, tangique poſſe. His opponi poſſet, Theodoretum ſymbola Euchariſtica adverſus Eutychianos aſſumpſiſſe, ut probaret, Chriſtum glorificatum Corpus habere, nedum quo ad accidentia Corporis, ſed etiam quo ad ſubſtantiam; ergo ſupponebat ſymbola Euchariſtica panis manere, nedum quo ad accidentia ſed etiam quoad ſubſtantiam panis: alias Eutychiani reſpondere potuiſſent, manere quidem

in

in Chriſto glorificato formam, figuram, & ſigna viſibilia, ac palpabilia Corporis, non tamen ipſam manere Corporis ſubſtantiam in divinitatem immutatam. Verum ad hæc dico, adverſus Eutychianos ſufficiens argumentum Theodoreto fuiſſe, ex eo procedere, quod quemadmodum in Euchariſtia duę naturæ manent, ſcilicet ſymbola in propria natura viſibili, & palpabili, & Corpus Chriſti in ſua natura, & ſubſtantia, ita in Chriſto glorificato duæ naturæ manent, divina, & humana. Præterea Eutychianus ſic inſtabat: Symbola Corporis, & Sanguinis *alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt vero mutantur, & alia fiunt.* Ergo *Dominicum Corpus poſt aſcenſionem, in divinam ſubſtantiam mutatum eſt*; quare Eutychianus prætendebat, Chriſti Corpus glorioſum a divinitate abſorberi, & in Euchariſtia ſymbola, quo ad ſubſtantiam, & accidentia, immutari in Corpus Chriſti, adeoque utrobique unam conſlari naturam. Non ita, ait Theodoretus. In Euchariſtia duæ naturę manent, ſymbola ſcilicet in propria natura, forma, & figura, & ipſum Corpus Chriſti. Ergo etiam in Chriſto duæ naturæ manent, humana, & divina. Quanquam autem in Corpore Chriſti glorioſo duæ naturę ita eſſe agnoſcantur, quod ad naturam Corporis nedum accidentia in propria forma, & figura, ſed ſubſtantia ipſa Corporis maneat, non idem tamen inferendum ab ipſis erat de ſymbolis Panis, ſiquidem tam Theodoreto, quam Eutychianis ipſis notum erat, dicente Chriſto *hoc eſt Corpus meum*, ſubſtantiam Panis non amplius remanere; hinc tota quæſtio verſabatur in ſymbolis, quæ in Corpus Chriſti immutari Eutychianus aſſerebat, & Theodoretus negabat, atque in propria manere natura omnino probabat. Neque dubitari poterat, Eutychianum perinde reſponſurum, in Chriſto pariter figuram, & accidentia tantum, non ſubſtantiam ipſam manere Corporis; etenim nulla apud ipſum intercedebat differentia inter ſubſtantiam, et ejus proprietates, ſed ubi proprietas eſſe videbatur, ibi & ſubſtantiam manere non dubitabat, in cujus ſignum, cum in Euchariſtia fateri cogeretur Panis, & Vini ſubſtantiam mutari, ipſa etiam accidentia immutari contendebat, aſſerens poſt ſanctificationem viſibilia ſymbola eſſe a priore ſua forma, & figura diverſa.

§. X.

D. Auguſtinus propitius nunquam, ſed contrarius ſemper eſt Piceníni deliramentis.

91. Cauſæ, cui D. Auguſtini ſuffragium favet, potiſſimum favet: quod cum Picenine certiſſime noveris, tibi ipſum affatim patrocinari gloriaris plurimum, non in Apologia, ubi pauca de ipſo, ſed in Triumpho, ubi integrum ipſi Capitulum devoves, quod eſt in ordine quartumdecimum. Garritus, & familiares calumnias tuas dedignor, & factum unice attendo. Qui hujuſmodi Patris textus perpendit a me hactenus relatos, facile judicare potuit, qua parte ſtet, noſtra, an tua? Quid porro habes in Apologia? Nempe iſta: *Conſentius a D. Auguſtino Epiſt.* 146. *nunc* 205. *petebat, an poſt reſurrectionem Chriſtus Sanguinem habeat, cui reſpondit S. Doctor, nolle ſe de hac re definire, de qua nihil Scriptura pronuntiat; cognitoque habere Sanguinem, a profanis peti poſſet, num & pituitam, & melancholiam habeat?* Ita Auguſtinus a te relatus; qui deinde ſubdis: *Si Panigarola, vel Segneri interrogati fuiſſent, ſtatim reſpondiſſent: Utique Sanguinem habet, Vinum quippe Cœna in Sanguinis ſubſtantiam Chriſti immutatur.* Quid quæſo ex his? Nunquid D. Auguſtinum dubitaſſe re vera an Chriſtus poſt reſurrectionem haberet necne verum Sanguinem? Si ita dubitavit, etiam de Vino Euchariſtico an figura eſſet Sanguinis Chriſti, quia figura in ſignum veritatis ponitur, non phantaſmatis. Quod ſi Auguſtinus de Chriſto redivivo dubius erat an vero informaretur San-

Digitized by Google

gnine, dubius item eſſe debuit an verum haberet, & vivum Corpus, quia verum vivum Corpus non eſt ſine vero Sanguine: quare D. Auguſtinus Semi-Eutychianis fieret. Non itaque D. Auguſtinus dubitabat Chriſtum redivivum habere verum Sanguinem. Quamobrem autem Conſentio id affirmare recuſavit? Quod non id cauſa poſtularet; ſatis quippe quæſitio erat, Chriſtum poſt reſurrectionem verum habuiſse Corpus. Hoc autem Corpus vero ne fungeretur Sanguine, œconomia erat tunc diſſimulare, ut curioſis anſa tolleretur afferendi, ſi Sanguinem, tum bilem, tum pituitam habere, quo ſenſim novo errori præſtaretur aditus, nimirum poſt reſurrectionem Chriſtum habere Corpus corruptioni obnoxium. Ceterum ibidem D. Auguſtinus in Chriſto redivivo Sanguinem ſubmiſse fatetur, dum ait: *Ego proinde Domini Corpus ita in Cælo eſſe credo, ut erat in terra quando aſcendit in Cælum.* De Euchariſtia tacuit, quod tunc dicendi de ipſa ſermo non erat. Alterum quod refers, velut ex D. Auguſtino deſumptum *Lib. 20. contr. Fauſt. cap. 13.*, eſt: *Cauſabantur a Manichæis Catholici, quod Baccho, & Cereri ſervirent, ex prætextu Panis, & Vini in Euchariſtia. Panigarola, & Segneri* (ſubdis) *credentes Tranſubſtantiationem, facile ſe liberaſſent, dicentes: Quomodo Baccho, & Cereri nos ſervimus in Euchariſtia noſtra? Nec Panem hic, nec Vinum guſtamus, dum iſta elementa immutata ſint in Corpus, & Sanguinem Domini noſtri. At D. Auguſtinus, qui Tranſubſtantiationem minime credebat, reponebat quod quamvis id eſſet Panis, & Calix, nentiquam tamen ad Idola Gentium illa referebantur.* Primum. D. Auguſtinus minime ait: *Quamvis id eſſet Panis, & Calix*, ſed: *Quamvis Panis, & Calicis Sacramentum amplectamur*. Valde diſtat Euchariſtiam dicere abſolute Panem, & eam dicere Sacramentum Panis. Primum Tranſubſtantiationi opponitur, non ſecundum. Ad hæc. Si D. Auguſtinus non ait, in Euchariſtia Panem, & Vinum in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti immutari; neque aſſerit figuram eſſe Corporis, & Sanguinis ipſius. Quare ſi idcirco Euchariſtia non eſt Corpus, & Sanguis Domini, neque ipſorum erit figura, & typus, cum D. Auguſtinus id non aſſerat. Tertio. Quemadmodum D. Auguſtinus prælaudato loco Euchariſtiam appellat Sacramentum Panis, & Calicis, ita alibi, & plerumque eam vocat Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, *Lib. 8. de Civit. Dei cap. 49.*, *Lib. 3. de Trinit. cap. 4.* Immo *Serm. 53. de verb. Dom. nunc 354.*, ait: *Pene quidem Sacramentum omnes Corpus ejus dicunt.* In *Serm. de verb. Evang. Joann. 5. nunc 130.*: *Si Carnem ipſius non haberemus, Panem Altaris non comederemus.* Ergo ſi ex eo quod D. Auguſtinus Euchariſtiam dicat Sacramentum Panis, vel Panem, tu prætendis merum Panem eſſe, dum ego audiam ab eodem dici Sacramentum Corporis, immo Corpus Domini, quare non licet mihi eam dicere verum Chriſti Corpus? Quarto. D. Auguſtinus inter Gentium Panem, & Euchariſtiam hanc aſſignat differentiam, quod ille ex ſpicis efficitur, iſte vero: *Certa conſecratione myſticus fit nobis, non naſcitur.* En indicatam Tranſubſtantiationem. Panis qui nuda figura eſt Corporis Chriſti, efficitur ex ſpicis, nec myſticus nobis fit, ſed naſcitur. Tandem contra Fauſtum Manichæum, verum Corpus Chriſto negantem, ſuperfluum erat Euchariſtiam dicere Corpus, vel Sacramentum Corporis Chriſti, ſatiſque ſe explicavit, dum dixit, quod Panis iſte *myſticus fit nobis, non naſcitur.* Et hæc ſatis, ſuperque, ad ea quæ in Apologia ineptiſſime garris.

91. In Triumpho ad intentum tuum pervertere niteris textus, quos Pater Semery pro Tranſubſtantiatione adhibet. Inconditam autem verborum congeriem prætereo, quibus ineptiſſime ſuadere contendis, D. Auguſtinum in *Cap. 6.* D. Joannis manducationem a Chriſto mere ſpiritualem intellexiſſe: acta quippe ſupra §. 5. iterum agere antiquum proverbium vetat.

tat. Quamobrem ad ea me confero, quæ D. Auguſtinus ſcripſit ſuper *Pſ.* 98., quæque Patri Semery a te opponuntur. Prælaudato loco S. Doctor Chriſti perſonam Capharnaitas alloquentem ſic introducit: *Non hoc Corpus, quod videtis manducaturi eſtis, & illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. Quid amplius vult Jeſuita?* Ita debaccharis in verbis multis, quæ, utpote ad intentum vaniſſima, miſſa facio. Igitur petis *quid amplius Jeſuita velit?* Vult relatum textum, ſi quid contra ipſum urget, Calvinum etiam æque urgeat, qui ab Heſhuſio accuſatus quod in Cœna phantaſticum, vel ſymbolicum Corpus introduceret, enixe teſtatur: *Fatemur Corpus idem, quod crucifixum fuit, nos in Cœna comedere (Lib. de vera particip. Chriſti in Cœna).* Id autem quomodo dictis cohæret D. Auguſtini: *Non hoc Corpus, quod videtis &c.?* Curſim itaque D. Auguſtini verba explico, millies a noſtris declarata. Chriſtus Auguſtini lingua a Capharnaitis ita intelligi voluit: Ne ſcandalizemini quod vobis dixerim Carnem meam daturum vobis in cibum, & Sanguinem meum in potum. Non præcipio vobis Corpus hoc, quod videtis, quomodo vobis fingitis manducare; neque, ut vobiſcum reputatis, in fruſta concidere, digerere ſtomacho, ut comeſtibilia cetera, debebitis: quippe cum manducandam Carnem, & bibendum meum Sanguinem mando vobis, Sacramentum commendo, Panis, & Vini ſub ſpeciebus paratum. In iſtis exercebitur omnis actio veſtra, quia cum ſenſibiles ſint, & palpabiles, cibi, & potus uſum præſtabunt. Hoc tamen cum Sacramentum ſit, ſpiritu fidei veſtræ a vobis debet intelligi, ut credatis hoc Sacramento Carnem meam ſumere, & Sanguinem meum, quæ animabus veſtris vitam largiuntur. Quæ Auguſtini dictis Chriſtus monebat, & nos ipſi aſſerimus. Quæ expoſitio ſi vera tibi non videatur, cauſam redde. In Cœna tua Picenine, cum fide manducas, & bibis Corpus, & Sanguinem Chriſti, illud ne prætendis manducare Corpus in ipſo olim apud nos viſibile, & bibere Sanguinem illum, quem fuderunt qui eum crucifixerunt? Si aſſeris; quomodo id eſſe poteſt, ſi D. Auguſtinus pronuntiat: *Non hoc Corpus, quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum Sanguinem, quem fuſuri ſunt qui me crucifigent?* Si vero neges; ergo tua fide non manducas, nec bibis Corpus, & Sanguinem Chriſti, quia qui fide non manducat Corpus illud, quod in Chriſto viſibile erat, nec Sanguinem bibit, qui fuſus eſt, non manducat, nec bibit Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſed aliud Corpus, & alium Sanguinem. Da igitur, dicente D. Auguſtino *non hoc, non illum,* mentem ejus non fuiſſe negare quod non eſſet manducandum Corpus, & non eſſet bibendus Sanguis Chriſti, ſed dumtaxat quod manducandum, & bibendus non eſſet ea ratione, & forma, qua viſibile Corpus, & Sanguis fuerat. Neque apud Auguſtinum id novum. Eadem res enim pro diverſo ſtatu *eadem, & non eadem* di[ci] ci poteſt. Eadem, ſi ſubſtantiam ejus reſpicias, non eadem, ſi ad ejus ſtatum referas. Corpus in reſurrectione idem erit ac nunc eſt, quia erit verum Corpus, nec tamen idem, quia non mortale ut nunc eſt, ſed ſpiritale, dicente Apoſtolo 1. *Cor.* 15. *verſ.* 44.: *Seminatur corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale.* Ad quæ verba D. Auguſtinus cum *Lib. cont. Adimantum cap.* 12. dixerit: *Cum induerit incorruptionem, jam non caro, & ſanguis erit, ſed in corpus cæleſte mutabitur, Lib.* 1. *ſuarum Retract. cap.* 22. dictum a ſe explicat: *Secundum corruptionem carnalem dictum eſt carnem non futuram, non ſecundum ſubſtantiam.* Similiter autem cum dixit: *Non hoc Corpus, quod videtis manducaturi eſtis &c.,* explicationem ab ipſo ſumere potero, ac dicere: Secundum modum carnalem dictum eſt: *Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis,* non ſecundum ſubſtantiam, & veritatem Corporis. Ita etiam interpretatur

Digitized by Google

Weſtphalus in Apologia *Cap. de Sacramentali, & Spirituali manducatione*, ubi ait: *De carnali viſibili modo dictum eſt: Non hoc Corpus quod videtis manducaturi eſtis; ut intelligatur, quod non eſſent manducaturi ſecundum quod videbant.* Qui hæc ſcribit non ex noſtris eſt, ſed Lutheranus.

93. Anxium valde te video, ex difficultate quam tibi faceſſit ſententia D. Auguſtini ex eodem prælaudato *Pſ.* 98. a P. Semery adverſum te deprompta, ad illa verba Pſalmi: *Terra ſcabellum pedum meorum*, & ad alia: *Adorate ſcabellum pedum ejus.* Scrutatur S. Doctor, quæ ſit iſta terra, quæ dicitur *ſcabellum* pedum Dei, & quæ adoranda eſt; & concludit, Carnem eſſe Jeſu Chriſti, *quia Caro de terra eſt, & de Carne Maria Carnem accepit*; & quia *in ipſa Carne hic ambulavit, & ipſam Carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam Carnem manducat, niſi prius adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Hic autem de adoranda Chriſti Carne D. Auguſtinum loqui, nedum interiori actu fidei, ſed etiam ut nobis propoſita viſibiliter in Sacramento, perſpicue patet ex his quæ ſequuntur, nimirum: *Sacramentum aliquod vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos, & ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, oportet tamen inviſibiliter intelligi.* Hæc terra, ideſt hęc Chriſti Caro, quę adoranda prius, deinde manducanda eſt, aut in veritate præſens eſt in illa viſibili celebratione, aut eſt tantum in figura præſens. Si in veritate, jam habemus intentum. Si autem in figura tantum, attenta doctrina tua, non eſt adoranda, & male habet D. Auguſtinus: *Non ſolum non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando,* etenim negas eam adorare, & peccatum putas, meram figuram Carnis Chriſti adorare. Aut ergo des adorandam eſſe Carnem Chriſti, quanquam in Sacramento non ſit niſi ejus figura, & in hac parte doctrinæ Calviniſticæ vale dices, aut des Carnem Chriſti in Sacramento re vera pręſentem adeſſe. D. Auguſtinus hanc doctrinam a Catechiſta ſuo Ambroſio didicerat, ut ipſe fatetur, ex *Lib.* 3. *de Spiritu Sancto cap.* 12., ubi ad ea verba: *Adorate ſcabellum pedum ejus*, S. Archiepiſcopus hæc habet: *Per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem Caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt.* In myſteriis igitur, ſecundum D. Ambroſium, adoramus Carnem illam, quam Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt. Ergo Carnem Chriſti nobis in myſteriis pręſentem adoramus. *Nos quoque* (ais) *in myſteriis eam adoramus. Quiſque fidelis in Eucharistia in Cælum cor elevat, & adorationem ſuam refert ad Carnem Chriſti, ibi glorioſam, & adorabilem.* Id non eſt in myſteriis Chriſti Carnem adorare, & ſicut Apoſtoli in Domino Jeſu adorarunt; etenim viſa etiam imagine Chriſti Crucifixi, in Cælum cor fertur, aut ſaltem ferri poteſt, & adoratio ad Chriſtum referri: nec tamen mihi dabis unquam, Chriſtum in effigie ſua te adoraturum; quod ſi dares, nulla inter nos de Imaginum cultu quæſtio remaneret: enimvero & nos non Imagines, ſed Deum, & Chriſtum in Imaginibus adoramus. Præter quam quod, hic ſermo eſt de viſibili, ac ſenſibili adoratione, & de Carne Chriſti in myſteriis adoranda, quemadmodum in Domino Jeſu eam Apoſtoli adorarunt. Adoratio, de qua aſſeris, mere ſpiritualis eſt, & inſenſibilis; Apoſtoli vero Carnem Chriſti haud ſpiritu, quam corpore adorarunt. Quod ſi in myſteriis Chriſti Carnem adores, cur in conſpectu Hoſtiæ conſecratæ non flectis corpore? Tu non adoras, quia in myſteriis vere Carnem Chriſti adeſse non credis. Si autem Calvinus ipſe tecum adſtaret, eam adorare, ut ſtato loco oſtendam, tibi præſcriberet. Si Ambroſius, & Auguſtinus aſſerunt eſſe adorandam, concedere cogeris, prælaudatos Patres credidiſſe Carnem Chriſti in Eucharistia re vera præſentem.

94. Ani-

94. Animadvertis, *Auguſtinum dixiſſe Carnem Chriſti prius adorandam, poſt manducandam: hac manducatio eſſe non poteſt actus fidei, quia credere præcedit adorare, & Chriſtum adorat nemo, qui prius in ipſum non crediderit.* Quot hìc perperam blateras! Dum a Sacerdote Euchariſtiam accipio, Carnem Chriſti adoro, quam præſentem hìc habere certiſſime ſcio, inde ore manduco ſimul, & corde. Sed tu Cœnam accipiendo, nunquid adoras antequam manduces? Non equidem, alias *fruſtum panis* adorares, vel ad ſummum *typum* Carnis Chriſti, &, ut reputas, Idololatra eſſes. Prius ergo manducas, & excitata ex ſacris illis pignoribus in te, ut ais, memoria Jeſu, in ipſum credis, & credendo adoras. Quomodo autem eum D. Auguſtino conſentis, docente: *Nemo autem illam Carnem manducat, niſi prius adoraverit?* Hìc agitur de externa adoratione, ut ait iterum Semery, & verum aſſerit, cum a D. Auguſtino aperte nimium id inſinuetur: *Ideo ad terram quamlibet cum te inclinas* (magna ſententia pro cultu Sanctorum) *non quaſi terram intueris, ſed illum Sanctum, cujus pedum ſcabellum eſt quod adoras; propter ipſum enim adoras.* Porro tu Calviniſta dum ad Cœnam accedis, non inclinas, non ad terram procumbis, non adoras. Non manducas igitur Chriſti Carnem, ut Auguſtinus expetebat: itaque peccas, ipſa D. Auguſtini ſententia, *non adorando.* Ego prius corpore adoro in viſibili Sacramento Carnem Chriſti inviſibilem, quæ ibi adeſt, deinde ſpiritu adoro, & manduco. Impleo igitur ego, non tu, quæ D. Auguſtinus dictabat. Verum quia muſſitare non ceſſas, *hoc adorare nil aliud eſſe, quam credere, quod quoties Chriſtus manducatur, & in ipſum creditur, mente, & corde adoratur,* quid repones, ſi ab eodem D. Auguſtino audire te faciam, quoſdam eſſe Carnem Chriſti in Euchariſtia adorantes, ſpiritu vero non manducantes? Negabis tum, præter ſpiritualem, exigi ab Auguſtino ſenſibilem aliam corpoream adorationem? Porro attende quomodo loquatur *Epiſt.* 120. nunc 140. *ad Honoratum*, ubi ad illa verba: *Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ, Cap.* 27. ſic habet: *Divites terræ ſuperbos intelligere debemus, ſi recte ſuperius pauperes humiles intelligebamus.... neque enim fruſtra ita diſtincti ſunt, ut de pauperibus ſupra diceretur: Edent pauperes, & ſaturabuntur; hìc vero: Manducaverunt, & adoraverunt omnes divites terræ. Et ipſi adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de Corpore, & Sanguine ejus; ſed adorant tantum, non etiam ſaturantur, quia non imitantur.* Vides Picenine, ſuperbos Carnem Chriſti adorantes, fructum vero, dum manducant, non recipientes. Non ergo Auguſtinus de ſpirituali adoratione, qua homo ſurſum cor elevat, & ſcit cultum ſuum, loquebatur, quippe qui Carnem Chriſti ita adorat, in ipſa ſaturatur; ſuperbi autem: *Adorant tantum, non etiam ſaturantur.* Hæc igitur non erat adoratio, de qua Auguſtinus agebat; hinc abſtinere potes loca centum D. Auguſtini referre, quibus ſuadere contendis, D. Auguſtinum aſſerere Chriſti Corpus in Cælo, non in Terris eſſe: & ad hæc refellenda potius attendere. D. Auguſtinus vult Chriſti Carnem ante manducationem adorari in Sacramento ſenſibili adoratione: neque peccat qui adorat, bene vero *peccat qui non adorat.* Ergo D. Auguſtinus volebat ſolam Carnis Chriſti figuram adorari, aut credebat in Sacramento veram adeſſe Chriſti Carnem. Quocunque te vertas, te ipſum jugulas. Quod autem Adrianus I. immutaverit, & correxerit textum illum, niſi alios adhibeas teſtes, quam *Albertinum, Dallaum, Baſnagen*, abſolute id nego, eo vel magis, quod editiones omnes textum eodem modo referant, ut ego retuli.

95. Pro reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia textus ille a Semery fertur, a me citatus ex eodem S. Patre *Enarr. in Pſ.* 33. *Conc.* 1. ubi ait: *Chriſtus ferebatur in manibus ſuis.* Male fidei P. Semery criminaris, quaſi mutilum textum referat, quia

quia D. Auguſtinus non ſolum aſſerit: *Chriſtus ferebatur in manibus ſuis*; ſed etiam: *Ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: Hoc eſt Corpus meum*. Falleris Picenine. Non a Semery truncus profertur texus, ſed tu D. Auguſtini ſententiam aliunde mutuas, dum Semery eam deſumat ex *Concion.* 1., tu vero ex 2. ſuper *Pſ.* 33. Ibi non eſt particula *quodammodo*, hìc vero ſemel legitur. Utrumque conſideremus. In prima Concione animadvertens ad hæc verba: *Et ferebatur in manibus ſuis*, ait: *Hoc vero fratres quomodo poſſit fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram, non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait: Hoc eſt Corpus meum. Ferebat enim illud Corpus in manibus ſuis*. Hìc certe non apponitur *quodammodo*, cum D. Auguſtinus tanquam inintelligibile proponat; quod homo proprium Corpus manibus ſuis ferat, quomodo ſe ferebat Chriſtus dicens: *Hoc eſt Corpus meum*. Imperceptibile autem non eſt hominem ſui ipſius Corporis figuram manibus deferre, bene vero quod ipſummet Corpus ſuum manibus ferat, quippe quid mirum, quod ego vel imaginem, vel ſignum mei ipſius in manibus deferam? Ergo D. Auguſtinus ſentiebat, cum Chriſtus de Pane quem manibus tenebat diceret *hoc eſt Corpus meum*, quod verum Corpus ſuum ferret, non ſui Corporis figuram. Ad hæc. D. Auguſtinus ſubdit: *Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum litteram, non invenimus, in Chriſto autem invenimus*. Ergo Chriſtus ſecundum litteram, non ſecundum tropum, vel allegoriam, ferebatur in manibus ſuis. Tu ſane non dabis, Chriſtum portaſſe Corpus ſuum ſecundum litteram, ſed tropos, & figuras miſcebis. D. Auguſtinus tamen aſſerit ſecundum litteram. Non ergo in tuo ſenſu ipſe loquitur. Concione autem ſecunda ſemel tantum legitur *quodammodo*, dum ad eadem verba: *Et ferebatur in manibus ſuis*, ſic diſſerit: *Quomodo ferebatur in manibus ſuis? Quia cum commendaret ipſum Corpus ſuum, & Sanguinem ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo, cum diceret: Hoc eſt Corpus meum*. Ecce *quodammodo*. Sed quid porro refert hìc *quodammodo*? Non equidem quod in manibus ferret nudam ſui Corporis figuram. Hoc excluditur ex dictis prima Concione, ſed referre intendit, quod licet ſecundum veritatem, & litteram portaret Corpus ſuum, non ipſum ferebat ſub viſibili, & ſenſibili forma, qua ſeipſum viſibilem præſentabat Apoſtolis: quare hìc explicat modum quo ſe portabat, nec tamen negat ſe portaſſe ſecundum veritatem, & litteram. Cavillum igitur eſt contra veriſſimum ſenſum D. Auguſtini, Chriſtum ſe portaſſe *quodammodo, quia in manibus tenebat ſacrum Panem, ſui Corporis pignus*.

96. Nec dicere juvat, D. Auguſtinum *Serm.* 33. *de Verb. Dom.* nunc 112. aſſerere, quod Chriſtus *Panem geſtabat in manibus*, ut inde inferas, quod geſtabat non Corpus ſuum fuiſſe, niſi in *typo*; etenim ut recte intelligantur S. Doctoris verba, oportet integram referre ſententiam, quæ eſt: *Quam multi & modo in ipſa Cœna, quamvis illam tunc menſam* (nempe in qua ſedebat Chriſtus viſibilis) *non viderint, nec Panem, quem Dominus geſtavit in manibus, oculis ſuis aſpexerint, vel faucibus guſtaverint*. Hìc D. Auguſtinus de eo loquitur, quod Chriſtus geſtabat in manibus, non ſecundum quod erat, ſed ſecundum quod viſibile oculis videbatur, vel faucibus guſtabatur: id autem Panis dici debuit, non Corpus, nam quod videtur in Euchariſtia oculis, & faucibus guſtatur, non eſt Corpus Chriſti, ſed Panis. Immo ſi D. Auguſtinus ſententiam ſuam in hoc ſenſu pronuntiaſſet, dicendo: Quam multi modo in ipſa Cœna, quamvis illam tunc menſam non viderint, nec Corpus illud quod Dominus geſtavit in manibus, oculis ſuis aſpexerint, vel faucibus guſtaverint; falſum pronun-

tiaſ-

tiaſſet, quippe quod geſtabat viſibile ſenſibus, non Corpus ſuum erat, ſed Panis, quanquam ſecundum intellectum, & fidem, quę Chriſti verbis adhibenda eſt, eſſet Corpus ſuum. Apprime ergo dicta hujus S. Doctoris conveniunt, ſiquidem dum loquitur de eo quod re vera geſtabat Chriſtus, inquit: *Ferebat illud Corpus in manibus ſuis.* Dum autem loquitur de eo quod ad oculos, & guſtum geſtabat, ait: *Panem geſtavit in manibus.* Quod ad D. Proſperum attinet *De promiſſione, & prædictione par. 2. cap. 25.*, ſcito Tractatum illum *de promiſſionibus, & prædictionibus* non eſſe D. Proſperi, ut Eruditi animadvertunt, ſed poſteriori tribuitur Auctori, doctrinæ D. Auguſtini amantiſſimo. Nihilominus, melius tibi hunc in medium non proferre, cum eandem & ipſe comparationem inſtituens inter Davidem, & Chriſtum, jam a D. Auguſtino indicatam, hæc habeat: *Portatus eſt quippe & Jeſus Dominus in manibus ſuis, dum Corpus ſuum in ſanctificato pane geſtans in manibus ſuis, dixit: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Deinde ad ea ſe refert, quæ pronuntiaverat D. Auguſtinus *in Pſ. 33.* Itaque D. Proſper aſſerit, Chriſtum geſtaſſe Corpus ſuum in ſanctificato Pane, ubi dixit *hoc eſt Corpus meum.* Quid plus his nos, qui nonniſi in conſecrato Pane dicimus Sacerdotem portare in manibus ſuis Chriſti Corpus, quomodo Chriſtus Chriſtum geſtabat? P. Semery ait, *D. Auguſtinum ſuper hunc cibum divinum plures proponere allegorias.* Hæc Picenine dicis *inutilia verba*, & ego utiliſſima eſſe ajo ad plures textus laudati Patris explicandos, qui obſcuri videntur, & interdum etiam contrarii. Antiqui, inter quos Auguſtinus, juxta perſonarum conditionem ad quas ſcribebant, vel quas alloquebantur, majori, vel minori perſpicuitate myſteria declarabant, & præſertim Euchariſtiam. De iſta autem ſi ſermo ad populum erat, inter quos Catechumeni aliquando convenirent, implexus magis, & metaphoricus erat ſermo. Porro cum Tractatus, quos D. Auguſtinus habuit ſuper D. Joannem, (ſicut alii Sermones ejus) ad populum Conciones ſint, ſtantibus Catechumenis, mirum non eſt ſi de Euchariſtia ſermone incidente, non ea utatur, qua valebat, perſpicuitate, & litterali ſenſu dimiſſo, plerumque ſpirituali delectetur. Videatur hæc illius œconomia indicata in *Tract. 11. in Joann.*, & *Tract. 6.*, ſicut in *Serm. 46. de Verb. Domini*, nunc 132., ubi Chriſti ſententiam explicans: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem*, ait: *Qui audiſtis hæc, nondum omnes intellexiſtis. Qui enim baptizati eſtis, & fideles eſtis, quid dixerit, noſtis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel audientes vocantur, potuerunt eſſe, cum legeretur, audientes, nunquid & intelligentes?* Et *Serm. 2.* nunc 131. *de Verb. Apoſtoli*: *Locutus eſt enim nobis de Corpore, & Sanguine ſuo. Corpus dixit eſcam, Sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoſcunt fideles. Audientes autem, quid aliud quam audiunt?* Et *Serm. ſuper Pſal. 109.*: *Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt Catechumeni, auferant pigritiam, feſtinent ad notitiam. Non ergo opus eſt myſteria promere &c.* Bene ergo habet P. Semery, quod D. Auguſtinus de induſtria allegoriis celat myſterium, dum ſatis ipſi ſit a fidelibus intelligi; quamobrem ſæpe repetebat: *Norunt fideles.* Sed de his actum jam alibi, & hactenus dicta ſufficiunt ad hujus Sancti Doctoris mentem perſpicue aſſequendam.

§. X I.

Origenes, Gelaſius, D. Ambroſius, & Facundus omnino contrarii Piceníni figmentis.

97. AD Apologiam tuam redeo, ubi *pag. 371.* ſuperbientem te audio, quod, ut tibi adularis, Papam habes Calviniſmo propitium: *Quid dicent* (inquis) *adverſarii, ſi Papam ipſis objicio, qui habet ſenſa-*

ne-

Digitized by Google

noſtra? Hic eſt Gelaſius in Lib. de duabus in Chriſto naturis. Cujus, ut omnes intelligant, Latine, & Italice ſententiam refers. At ad duplum falleris miſer, quippe nec ſententia illa eſt Papæ Gelaſii, nec tibi ea prodeſt. Quod primum attinet; quiſnam Auctorem Libri *de duabus naturis* certo aſſeruit Gelaſium Papam? qui Librum quidem ſcripſit adverſus Eutychianos, non tamen illum *de duabus naturis*, qui potius tribuitur cuidam Gelaſio Epiſcopo Cæſarienſi, vel Gelaſio Ciziceno, ut plerique advertunt, inter quos duo celebres Cardinales, *Baronius ad ann.* 496., *& Peronius*. Cujuſvis Gelaſii ſententia ſit, eja acceptetur. Sic porro latine legitur: *Certe Sacramenta quæ ſumimus Corporis, & Sanguinis Domini, divina res eſt*. Id nobis favet, quippe ſi Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini divina res eſt, non eſt nudus Panis, quia hic, etſi figura Corporis Chriſti, nunquam divina res dici valet, niſi valde improprie. Proſequamur: *Propter quod, et per ea divinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura Panis, & Vini*. Iſte ergo Gelaſius, quanquam, ut videbimus, fateatur in Sacramento adeſſe divinam ſubſtantiam, velle tamen indicat ibi manere Panis, & Vini naturam. Si ita res eſſet, Luthero quidem, non tibi propitius foret; ille enim cum Pane, & Vino, Corpus etiam Chriſti adeſſe concedit, tu e contra, præter Panem, nonniſi Corporis umbram, & figuram ibi agnoſcis. Age tamen, ut libet: quid proinde dicturus eris, ſi probarem, nomine ſubſtantiæ, vel naturæ Panis, & Vini, Gelaſium non intellexiſſe ſubſtantiam Panis, & Vini ab accidentibus diſtinctam, ſed ipſammet accidentium naturam, quæ in Euchariſtia non mutatur, quanquam Panis, & Vini natura, vel ſubſtantia mutetur in Corpus, & Sanguinem Chriſti? Et tamen non aliter res ſe habere poteſt, quod oſtendo ex his quæ ſequuntur: *Et certe imago, & ſimilitudo Corporis, & Sanguinis Domini in actione myſteriorum celebrantur*. Hic ſermo eſt de illo externo ſenſibili, quod offertur in Sacrificio, quod certe eſt imago, vel ſimilitudo Corporis, & Sanguinis Domini, qui natus eſt ex Maria Virgine, cujus repræſentatio fit in hoc Sacramento. Procedamus: *Satis ergo nobis evidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto Domino ſentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & ſumimus, ut ſicut in hanc, ſcilicet in divinam tranſeunt, Sancto Spiritu perficiente, ſubſtantiam, permanente tamen in ſui proprietate natura, ſic illud myſterium principale, cujus nobis eſſentiam virtutemque veraciter repræſentat, ex quibus conſtat proprie permanentibus, unum Chriſtum, quia integrum, verumque permanere demonſtrant*. Hæc verba, quæ per fraudem a te diſſimulantur, ultimo decernunt, nihil pro te concludi; quippe ſi dona Euchariſtica *in divinam tranſeunt, Sancto Spiritu perficiente, ſubſtantiam*, quomodo ſubſtantia Panis manebit, & Vini, ſi fieri nequeat tranſitus ad terminum, niſi dimiſſo eo a quo diſceditur? Ratio ergo Gelaſii ſic procedebat. Quemadmodum in Euchariſtia Sacramentum fit res eadem cum Corpore Chriſti, in hujus tranſiens ſubſtantiam, permanente tamen in ſui proprietate ſymbolorum natura cum naturis duabus, ſenſibili ſcilicet Sacramenti, & inſenſibili Corporis Chriſti, ita in Perſona Chriſti realis fit unio naturæ divinæ, & humanæ, manente tamen inter utramque naturali diſtinctione. Hoc Gelaſius intendit, ſic directe oppugnans Neſtorium, & Eutychetem. Videantur dicta *num.* 89. ad textum Theodoreti. Lectorem autem monere debeo, ne mirum ſibi videatur, quod ſacra ſymbola a Gelaſio, aliiſque veteribus, non audiat *ſpecierum*, vel *accidentium* nuncupatione appellata, ſed *imaginum*, *& ſimilitudinum*; ſiquidem tunc temporum, cum nondum ulla quæſtio orta eſſet de veritate realis præſentię, non cogebantur ea cautela loqui, qua poſt errores ſubortos uti neceſſe fuit: quod & de controverſia circa conſubſtantia-

lita-

litatem Verbi contra Arianos contigit. Ex quo inferendum, quod ſicut etſi ante Ariana ſecula divini Verbi conſubſtantialitas non habeatur perſpicuis terminis expreſſa, ſuſpicari tamen nequit prævia ætate fidem non obtinuiſſe, ita quamvis ante Berengarium Tranſubſtantiatio, & realjs præſentia Corporis Chriſti non habeatur tam perſpicuis, conceptiſque vocibus explicata, cum ſub nomine *imaginis* Sacramentum deſignetur, & nomine *ſubſtantia* accidentia indicentur, nulla tamen hinc Piceninc tibi ratio ſuppetit negandi hanc fuiſſe veterum, ac omnium temporum de hoc myſterio fidem.

98. Accedat Origenes. Quid ille? Quod *verba Chriſti: Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, ſunt figura ſcriptę in ſacris voluminibus. Quamobrem tanquam ſpirituales ea ſcrutamini, non tanquam carnalec, & intelligite qua dicta ſunt.* Ita *Hom. 7. in Cap. 10. Levit.* Figuræ utique ſunt, non quaſi vera Chriſti Caro non manducetur, ſed quod non comedatur Capharnaitico ſenſu, eam frangendo dentibus, ſed ſub ſpecie Panis. Id innuere vult Origenes, & textum a te relatum conferre debebas cum his quæ tradit *Hom. 13. in Exod.*, ubi Euchariſtiam appellat *Domini Corpuc*, & hortatur reverenter eam tractare, tum etiam *Hom. 7. in Numer.*, ubi hæc habet: *In ænigmate erat manna cibus. Nunc autem in ſpecie Caro Verbi Dei eſt verus cibus. Homil. 5. in diverſo: Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipic epulum, quando vere pane, & poculo frueris, manducac, & bibis Corpus, & Sanguinem Domini.* Et *Lib. 8. cont. Celſum: Oblatis panibus veſcimur, qui utique per precem efficiuntur Corpus ſanctum.* Hic, & alibi ipſum excurrere debebas, & ab Origene deprehendiſses commendatam realem præſentiam Chriſti, & Tranſubſtantiationem.

99. Maxime fidis in textu *Facundi Hermianenſic Epiſcopi Africani magna fama*, qui *Lib. 9. cap. 5.* ſcribit: *Poteſt Sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, ſicut Sacramentum Corporis, & Sanguinis ejus, quod eſt in panc, & poculo conſecrato, Corpus ejuc, & Sanguinem dicimuc; non quod proprie Corpus ejus ſit panis, & poculum Sanguis, ſed quod in ſe myſterium Corporic, Sanguiniſque contineat. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem, & calicem, quem diſcipulis tradidit, Corpus, & Sanguenem vocavit.* Zelo autem, & facundia tua Facundi auctoritatem ſic amplificas: *Facundus ſexti ſeculi Doctor Catholica Eccleſia ſenſa explicat. Facundus ait, Euchariſtiam Corpus, & Sanguinem Domini nuncupari, non quod proprie Corpus ejus ſit panis, & poculum Sanguis, ſed quod iſtorum myſterium contineat, quomodo Baptiſmuc Sacramentum adoptionis, adoptio nuncupatur. Hoc totum directe jugulat chimaram Panigarola, & Segneri. Facundus nobic praſtat modum, ſed illo Capuccini firmiorem, quo contrariis occurramuc auctoritatibuc.* Sic blateras, Merulis ratus tendere retia, quaſi ignari ſimus Facundi auctoritatem pendendam non eſſe quanti venditas, ſi ſchiſmaticus vixit, ſcripſit, & dies clauſit, Vigilii hoſtis in cauſa trium Capitulorum, ob quam ab iſto ſe ſegregavit, ut lippis, & tonſoribus notum eſt: neque ſtatus, & ſenſa Catholicæ Eccleſiæ ſeculi ſexti deſumenda ſunt ab uno, ſed a potiori numero Patrum illius ævi; ab Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano *apud Nicetam Lib. 3. Annal.*, ab Anaſtaſio Antiocheno *adverſuc Cajanitas*, ab Euſebio Jeroſolymitano *Lib. 2. in Lev. cap. 8.*, denique a Gregorio Magno. Ne autem in *Facundo* tanquam Patrono nimium exultes, noto, intentum hujus fuiſſe idem quod ſupra D. Auguſtinus indicavit, nempe Sacramentum *adoptionic* optime ab antiquis potuiſſe *adoptionem* nuncupari: quod ut demonſtret, exemplum refert Euchariſtiæ, in qua Sacramentum, nimirum externa ſymbola Panis, & Vini, quæ non ſunt, ſed ſignificant Corpus, & Sanguinem Domini, nuncupari valeant *Corpus, & Sanguis Domini.* Sequitur itaque ſimilitudinem illam viſibilem Panis, & Vini, quæ proprie eſt Sa-

cramentum, ideſt ſignum Corporis, & Sanguinis Domini, non eſſe verum Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſed per *metonymiam*, continente contenti nomine appellato: quod concedimus; & a Divo Anſelmo *Tract. de Sacr. Altar. cap.* 1. dicitur: *Similitudo illa Panis, quæ in Altari carnis ſe oculis ingerit, per ſe inſpecta non eſt Corpus Domini.* Non autem ſequitur in Sacramento non eſſe verum Chriſti Corpus, ut in illo contentum, & nos ſumendo Sacramentum non recipere verum Chriſti Corpus: neque hoc negatur, quin ex ipſo ſermone Facundi infertur. Quanquam enim Sacramentum *adoptionis adoptio* non ſit, ſuſcipientes tamen adoptionis Sacramentum, non adoptionis figuram recipimus, ſed vere adoptionis filii conſtituimur, per veram adoptionem in nobis receptam; ita quanquam Sacramentum, ideſt externa ſymbola non ſint Corpus Chriſti, vere tamen ipſum continent, quæ cum ſumimus, non in ipſis figuram, ſed veritatem Corporis Chriſti proprie recipimus. Ecce tibi Facundus adverſum te; & hujuſmodi reſponſioni adhæret etiam Sirmundus, qui ad præfatum textum aſſerit: *Panis conſecratus natura mutatus, panis non eſt. Panis tamen appellatur, quia panis fuit, & panis ſpeciem retinet, idemque judicium eſt vini. Panem rurſus, vinumque Corpus Chriſti, & Sanguinem dicimus, & Auguſtinus affirmat Lib. 3. de Trinit. cap. 4., non proprie, ſed figurate, quia ſub panis, & vini ſpecie Corpus Chriſti, & Sanguis in Sacramento continentur: nec alia opinor in his verbis eſt ſententia Facundi; nam de veritate Carnis, & Sanguinis Chriſti dubitare non potuit, quia poſt ipſius Domini profeſſionem, ut docet Hilarius Lib. 8. de Trinit., non eſt relictus ambigendi locus.* Concludit inde Sirmundus, ſi quæ videatur aſperitas, & ambiguitas in modo loquendi Facundi, excuſatione dignus eſt, & benigne interpretari meretur, utpote qui ſtuduit alienas difficultates benigne explicare.

100. Sed tu Picenine benigniſſime ſubdis *pag.* 372.: *Unde prodit Tranſubſtantiatio, niſi ex aliqua Patrum ſententia male intellecta?* At unde prodit Tranſubſtantiationis contentio, niſi a nonnullis Patrum ſententiis perverſe commentatis? Duo fas eſt diſtinguere, quæ tu ex malitia continuo miſces: unum eſt realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti, quam Calviniſtæ negant: aliud vero eſt Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Domini Tranſubſtantiatio, quam, conceſſa ejuſdem reali præſentia in Euchariſtia, negant Lutherani. Primus qui realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia negavit, Berengarius fuit Archidiaconus Andegavenſis *Ann.* 1035., a Brunone ejus Epiſcopo in hoc protectus. Ita ſcribit Durandus Leodienſis Epiſcopus, in Epiſtola eodem anno ſignata: *Fama ſupremos Galliæ fines prætergreſſa totam Germaniam pervaſit, jamque omnium noſtrum replevit aures, qualiter Bruno Andegavenſis Epiſcopus, item Berengarius Turonenſis, antiquas hæreſes modernis temporibus introducendo, aſtruant, Corpus Domini non tam Corpus eſſe, quam umbram, & figuram Corporis Domini.* Adverſus hoc falſum dogma Occidentales Eccleſiæ omnes reclamarunt, & harum anathema probatum fuit ab Orientalibus. Inter Doctores, qui Berengarium ſcriptis perſtrinxerunt, Lanfrancus Conturberienſis Epiſcopus *Lib. de Corp. & Sangu. Domini cap.* 22. hæc habet: *Omnes enim qui Chriſtianos ſe eſſe, & dici lætantur, veram Chriſti Carnem, verumque ejus Sanguinem, utraque ſumpta de Virgine, in hoc Sacramento ſe percipere gloriantur. Interroga univerſos, qui Latinæ linguæ, noſtrarumque litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenos, ſeu cujuslibet nationis quoſcunque Chriſtianos homines, uno ore hanc fidem ſe teſtantur habere.* Dicendumne autem, Chriſtianos omnes, Latinos, Græcos, cujuſcunque nationis, & ordinis, erraſſe in hoc articulo, ex Patrum ſententiis prave intellectis; Calvinum autem unum, Piceninum, Zuinglium, & Berengarium ſolos recto ſpi-

ſpiritu fuiſſe dotatos, ut omnium Eccleſiarum miſerrimam hallucinationem, & veternoſum errorem corrigerent? Tu non erubeſcis aſſerere, impudentiam imitatus Berengarii, debacchantis ante ætatem ſuam Eccleſiam univerſam periclitaſſe, quod per totum Chriſtianum Orbem realis præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia credita fuerit. Audiatur ex Lanfranco *cap. 23.: Adverſus tam clara ipſius Domini, & Sancti Spiritus ejus, de Eccleſia, & de ſtatu Eccleſiæ teſtimonia, objicis tu, & objiciunt qui a te decepti alios decipere moliuntur. Itaque dicis: Prædicatum eſt Evangelium in omnibus gentibus, credidit Mundus, facta eſt Eccleſia, crevit, fructificavit. Sed imperitia male intelligentium poſtea erravit, & periit. In nobis ſolis, & in his qui nos ſequuntur, ſancta in terris Eccleſia remanſit &c.* Ecce ex cujus ore Proteſtantes evulgare didicerint, omnes, antequam ipſi apparerent, fuiſſe errore deceptos, & unde tu venditare audes, realis præſentiæ Chriſti confeſſionem a nonnullis male intellectis Patrum ſententiis prodiiſſe. Contenti tamen omnino ſumus malam illam habere intelligentiam, quæ omnium totius Orbis Eccleſiarum perpetua fuit; atque interim ad memoriam revocamus quæ ex Tertulliano ab initio hujus Operis retulimus *de Præſcrip. cap. 28.: Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Si erratum non eſt quod apud multos invenitur, quid quod apud omnes?

101. Primi Tranſubſtantiationis hoſtes fuerunt Berengarii diſcipuli. Victi quippe Catholicorum rationibus, faſſi ſunt in Euchariſtia verum Chriſti Corpus haberi, & Sanguinem ejus, ſed una ſimul cum Pane, & Vino. Ita Guitmundus *de Corp. & Sangu. Dom.: Alii vero rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen a ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi Corpus, & Sanguinem Domini re vera, ſed latenter contineri, &, ut ſumi poſſit, quodammodo (ut ita dixerim) impanari. Et hanc ipſius Berengarii ſubtiliorem eſſe ſententiam ajunt.* Ecce unde prodierit Tranſubſtantiationis negatio, ab hæreſi nempe Berengarii. Nullum tamen plauſum obtinuit, & in tenebris ſuis adhuc involuta jaceret, niſi ex tartaro Lutherus eam revocaſſet Libro illo nobili *de captiv. Babylonica*, ubi docuit cum Chriſti Corpore Panem in Euchariſtia manere. Utrumque errorem retudit Canon *Conc. Later. III.: Una vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua idem ipſe Sacerdos, & Sacrificium Jeſus Chriſtus, cujus Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus Panis, & Vini veraciter continentur, tranſubſtantiatis Pane in Corpus, & Vino in Sanguinem.* Ante Innocentium id ſanciverat Gregorius VII. ann. 1079. in Romana Synodo. Prævie autem Gregorius Nazianzenus *Orat. 37. catechetica* hæc tradiderat: *Panis ſtatim poſt verbum in Corpus tranſmutatur, ſicut dictum eſt a Verbo: Hoc eſt Corpus meum.* Et Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſi 4.: Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt Sanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate, & non erit dignum cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutaris?* Et quia objici poterat, ſenſus contrarium deponere, ſubjicit: *Hoc ſciendum, & pro certiſſimo habendum, panem hunc qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe Corpus Chriſti, & vinum, quod a nobis conſpicitur, tametſi ſenſui vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed eſſe Sanguinem Chriſti.* Hanc doctrinam Baptiſmo recenter tincti a Cyrillo Jeroſolymitano addiſcebant Seculo IV.; quibus addere poſſem D. Joannem Damaſcenum *Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14.*, alioſque plurimos, qui apertiſſime docent Tranſubſtantiationem, mutationem, ſive converſionem Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Domini. Verum & iſta male intellecta eſſe effuties.

102. Sed proponantur rationes, ob quas realem præſentiam aſſerentes

tes Corporis Chriſti ex vi Tranſubſtantiationis, male Patres interpretentur. Itaque Apolog. *pag.* 372. inquis: *Cyrillus, Auguſtinus, aliique Patres, Carnem Chriſti appellabant verum cibum. Quis negat? Cibum verum, ſed comedendum myſtica ratione, competenti ſibi rationi, & animæ ſubſtantiæ.* Bone Deus! Putas ne Carnem Chriſti nos prætendere dentibus frangere, & comedere, quomodo de ea fit, quæ ex macello venit, & Corpus Chriſti a nobis ſumi in eſcam Corporis? Quis ita unquam deliravit, præter Capharnaitas qui in Evangelio leguntur, & deinde Sacramentarios? Nos dentibus Sacramentum frangimus, ſymbola nempe ſenſibilia Panis. Quod autem in iſtis, & ſub iſtis re vera credimus ſuo Corpore Chriſtum adeſse, cum iſtis, & ſub iſtis in nos venit Corpus Chriſti, non fide tantum apprehenſum, ſed veritate cum Sacramento ſuſceptum. Symbola ſenſibilia corpus vegerant; ſed Corpus Chriſti intimum animæ factum, eam paſcit, ſi viva fide, & ſpiritu ipſum accipiat. Hoc innuere volebat D. Auguſtinus *Serm.* 33. *de verb. Dom.* nunc 112., illis verbis: *Noli præparare ventrem, ſed cor.* Et *Tract.* 25. *in Joann.: Crede, & manducaſti.* Etenim non ſufficit Sacramentum faucibus ſumere, & in ipſo recipere verum Chriſti Corpus, niſi charitate, & fide recipiatur etiam corde. In propriam domum tam Phariſæus, quam Zachæus Chriſtum in Corpore ſuſceperunt, ſed Zachæus juſtificatus fuit, non ille, quia Zachęus ſpritualiter etiam ipſum recepit, ille vero in domum quidem ſuam Chriſtum recepit, ſed non intra cor ſuum. Panigarola duo aſſerta refert D. Ambroſii *ex Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 5. Primum eſt: *Ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit.* Taces Picenine *operata fuerint, efficitur*, quod ea diſſimulare tibi proſit. Alterum eſt: *Licet figura Panis, & Vini videatur, nihil tamen aliud, quam Caro Chriſti, & Sanguis poſt conſecrationem credenda ſunt.* Nunquid & hi textus male intelliguntur? At ſuſcipis *pag.* 372.: *Poſſem cum pleriſque reſpondere, Libros de Sacramentis, unde iſta notantur, D. Ambroſii non eſſe, quanquam tanti Patris nomine ornari velint. Verum ſupponamus eſſe D. Ambroſii.* „ *Calix eſt* „ *Sanguis, qui redemit populum* „ *quia myſterium ipſum continet, ut explicat Facundus. Poſt conſecrationem credenda ſunt Caro Chriſti, & Sanguis, ideſt non inſpicienda ſunt Panis, & Vinum tanquam nuda ſigna, & communes cibi, immo ut Sacramentum, continens myſterium Carnis, & Sanguinis Chriſti.* At dato textus iſtos eſſe Divi Ambroſii, cavilla ſunt reſponſa quæ Picenine adhibes, quippe D. Ambroſius non aſſerit *poſt verba Chriſti*, ſed *ubi verba Chriſti operata fuerint*, neque addit *Calix eſt Sanguis*, ſed *ibi Sanguis efficitur.* Verba hæc cauſam indicant, & mutationem, & conſequenter Sacramentum re vera continere myſterium, non in figura tantum. Minus vero habet veritatis altera reſponſio, ſiquidem non in ſola morali mutatione ſignorum acquieſcit S. Doctor, quaſi conſecratio nil prǽterea efficiat, quam communes, & profanos cibos transferre in ſacra ſigna Carnis, & Sanguinis Chriſti, ſed mutationem eſse vult, & tranſitum ſubſtantiæ. Antea enim dixerat: *Antequam conſecretur, Panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti.* Neve verbum *Eſt* ad figuratum ſenſum extorqueas, non tædeat legere præcedens Caput 4., & excipies: *Panis iſte, Panis eſt ante verba Sacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de Pane fit Caro Chriſti . . . Quomodo poteſt qui Panis eſt Corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, cujus ſermonibus? Domini Jeſu.* Neve iterum harioleris ſermonem hic eſse de morali, non vero phyſica mutatione, attende quæ ſubjiciuntur: *Quis ſermo Chriſti? Nempe is quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & facta eſt terra &c. Si ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut quæ erant in aliud commutentur?* Inde plura exhibet a Deo immutata

tata

tata ſupra naturæ ordinem, nempe Chriſtum ex Virgine genitum, aquas ictu Moſaicæ virgæ diviſas, & quæ amaræ erant dulces factas. Porro ſi Chriſtus Panem in Corpus ſuum convertit quomodo fecit Cælum, terram, & mare, quomodo ex Virgine naſci fecit Chriſtum, quomodo diviſit aquas, & in dulces revocavit amaras, hæ omnes profecto fuerunt phyſicæ reales mutationes, non morales, & typicæ. In hunc ergo modum Panem mutat in Corpus ſuum: quod qui negat, D. Ambroſii textus male capit; nos autem bene.

103. Nullum tibi reſtat effugium, niſi quod hujuſmodi Libri legitimi Ambroſii fœtus non ſint. Jamque a P. Semery in anguſtiis poſitus, veri Ambroſii fœtus illos eſſe perfracte negas. Ita in Triumpho *pag.* 139. Sed qua ratione, audiamus. *Non ibi*, inquis, *ſtilus, & doctrina Ambroſii*. Stilus non ſit; tranſeat. At quid? Non didiciſti ex D. Auguſtino *Lib.* 4. *de doct. Chriſtian. cap.* 19., non eodem ſemper ſtilo uti Doctores debere, ſed *aliquando de una, eademque re magna, & ſubmiſſe dicitur cum docetur, & temperate ſi prædicatur, & granditer ſi averſus inde animus, ut convertatur, impellitur?* Non legiſti *cap.* 21., ubi de Ambroſio ſermonem habens, ait: *Sanctus quoque Ambroſius, cum agat rem magnam de Spiritu Sancto, ſubmiſſe tamen dicendi genere utitur?* Non itaque ſemper D. Ambroſius eundem ſtilum adhibuit, ſed modo ſimplicem, modo ornatum, juxta circumſtantias, & rerum neceſſitates. Docendo, & prædicando, illo dicendi genere utebatur, quod auditorum auribus, & communi omnium intellectui accommodaretur; hinc Sacramentorum Libros, quaſi conciones, & catecheſes, demiſſo, ac temperato ſtilo compoſuit, non ſublimi, ut alia tractare conſueverat: neque hac ſola ratione tanti Auctoris titulo merentur privari. Quod vero Sancti Doctoris ſaporem doctrinæ non referant, donec id non probes, negare non dubito. Porro autem ſi non Ambroſium auctorem habent, quis eorum auctor? Ipſum ignoras. Alicuius ſaltim erunt vetuſti Scriptoris, vel coævi, vel parum diſſiti a temporibus Ambroſii; ad minimum vero cujuſdam octavo ſeculo prioris, quibus temporibus jam Tranſubſtantiatio plene credebatur, dum in illis Libris tam perſpicue deſcripta habeatur.

104. Sed tolerabilius pati id poſſet, niſi etiam tibi perſuadere auderes *pag.* 372., Ambroſium neque in præfatis Libris, nec alibi, Tranſubſtantiationem unquam probare: *Nequit*, inquis, *aliter intelligi Ambroſii doctrina, niſi ſibi contrarium eſſe velimus. Et ecce palam. Si iſte Pater credebat Tranſubſtantiationem, cur Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4. *ait: Mutantur ſymbola, ſed quæ prius erant ſunt? Hæc verba niſi de Sacramentali mutatione intelligantur, quo ad uſum certam involvunt contradictionem.* Quanquam Caput illud 4. perlegerim attentiſſime, verba a te citata reperire mihi non accidit. Utique quæ ſupra retuli num. 102. ibi comperi, quæ Tranſubſtantiationem commendant apertiſſime; poſt quæ ſic concludit: *Ergo didiciſti, quod ex Pane Corpus fiat Chriſti, & quod Vinum, & Aqua in Calicem mittitur, ſed fit Sanguis conſecratione Verbi cæleſtis.* Crede mihi, Libri iſti de Sacramentis pro te non faciunt, idcirco tua refert Ambroſio ipſos denegare. Jamque re vera eos deſeris, ac ſubjicis: *Si D. Ambroſius credebat Panis ſubſtantiam tranſire in Carnem Jeſu, quare Lib.* 1. *de Officiis cap.* 48. *dicebat: Imago hic eſt, ſed veritas in Cælo eſt? Quare mutationem Panis in Cœna comparat hominis converſioni? Quid in ſanctificatione peccatoris mutatur? Nunquid hominis ſubſtantia? Non equidem.* Ambroſii verba hæc ſunt: *Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cæleſtibus. Nunc Chriſtus offertur quaſi homo . . . & offert ſe ipſe quaſi Sacerdos.* Agnus pariter, & Vitulus veterum Sacrificiorum, figuræ erant Chriſti. Si quod igitur a nobis offertur nuda eſt Chriſti figura, pronuntiare non debuit *Nunc Chriſtus offertur*, neque hanc differentiam ſta-

tuere

tuere inter vetera, & novum Sacrificium. Quapropter S. Doctor innuere vult, quod in lege non Chriſtus, ſed ejus umbra, & figura offerebatur, & in Evangelio Chriſtus offertur, ſed ſub ſymbolis, & imaginibus Panis, & Vini. *In cæleſtibus veritas* revelabitur, nempe Chriſtus *facie ad faciem*. Legatur S. Doctor loco citato. Si Panis mutatio hominis converſioni ab ipſo comparatur; dum homo ex peccato tranſit ad juſtitiam, & fit, ut Auguſtini phraſi utar, *nova creatura*, nunquid mutatur, ut nempe tantummodo fiat figura juſtitiæ Chriſti, an potius ut in ſe recipiat juſtitiam ejus? Similitudo itaque in hoc ſiſtit, quod quemadmodum homo juſtificatus in ſpecie externa idem eſt ac antea, intrinſece tamen mutatus, ita in Cœna conſecratus Panis, quanquam in extima ſpecie idem qui antea Panis videatur, intus tamen non amplius Panis, ſed Corpus eſt Chriſti. Si D. Ambroſii mentem notam habere avebas, legere ipſum Picenine debueras *Lib. de iis, qui myſteriis initiantur cap.* 9, & audiiſſes Cœnam comparari aquis Ægypti in ſanguinem converſis, virgæ in ſerpentem mutatæ, Eliæ ignem de Cælo trahenti; inde ab ipſo concludi: *Quod ſi tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de Cælo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum?* Nec ceſſas inſtare: *Si Divus Ambroſius Tranſubſtantiationem credebat, quare Com. in Luc. cap.* 24. *ait: Non tactu corporali, ſed fide tangimus Chriſtum?* Ecquid hercle dicere debuit? Manibus Sacramentum tangimus, fide vero Chriſti Corpus, quod credimus ibi re vera adeſſe. Suſcipis: *D. Ambroſius Chriſto dicebat: Non ſuper terram, nec ſecundum carnem oportet quærere te, ſi volimus invenire te.* Id pronuntiat occaſione Magdalenæ, quæ Chriſtum invenire cupiebat redivivum, quem tangere tentavit. Quid quæſo hæc cum tua Cœna? Magdalena Chriſtum tangere non debuit tactu corporis, ſed tactu fidei, non in terris Chriſtum quærere, ſed in Cælis; Corpus tamen Chriſti redivivum, non in umbra, & figura, ſed re vera in terris verſabatur: & quod amantiſſima illa quærebat, & tangere volebat, verum erat Chriſti Corpus. Ergo nobis etiam habentibus in Euchariſtia Chriſtum præſentem, dici poteſt ne in terris, ſed in Cælis ipſum quæramus, & ne corporeo tactu, ſed tactu fidei eum tangere deſideremus. Non valet igitur: *Oportet ipſum in Cælo quærere, non in terris. Ergo Chriſtus in terris non eſt. Ergo non eſt in Hoſtia.* Tandem ultimo garris *pag.* 373.: *D. Ambroſius Euchariſtiam appellat Sacramentum Carnis Chriſti, figuram Corporis, & Sanguinis Domini Jeſu Chriſti* (*Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 5.), *Calicem myſticum, velut typum Sanguinis Chriſti.* Nec capis hic D. Ambroſium loqui de Sacramento, & de continente, non de re quę continetur? Sacramentum ſignum eſſe, figuram, typum Corporis, & Sanguinis Domini, ſed re ipſa ſignatum, & figuratum continere, millies, & millies intonui, nec ultra dicere teneor. Aſt tu miſer, ſemel apud quempiam Patrum forte accidat legere voces *ſignum*, *imago*, *figura*, *typus*, lętitia ebrius illico geſtis, plaudiſque, & Patrem illum tibi propitium adularis. Sic pertinaciter negas Tranſubſtantiationem ex nonnullis Patrum ſententiis male venatis, ac peſſime intellectis, renuens attendere, quod: *Antequam conſecretur, Panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti.* Ambroſius eſt, a te citatus, qui ita concludit.

§. XII.

Figmenta quædam & falſitates Picenini exploduntur.

105. Familiari impudentia tua Apolog. *pag.* 373. Panigarolam rides, inquiens: *Se Panigarola profert cum illis Doctoribus, qui de converſione Panis in Carnem Chriſti loquuntur, Gregorio Nyſſeno videlicet, Euſebio Emiſſeno, Iſidoro;* inde audacter decernis, Doctores veteres ſæpiſſime verbo *converſionis*, & *mutationis* uti in negotiis

gotiis ſolam qualitatis immutationem reſpicientibus. Itaque ſi recte ex te valet inferri, cum plerumque Patres de mutationibus qualitatum vocem uſurpent *Converſionis*, ſemper ita ab ipſis accipi neceſſe eſſe intelligere, tum ex me valebit, quod cum de mutationibus ſubſtantivis eadem vox ſæpe a Patribus adhibeatur, ſemper etiam adhiberi. Hæc tua gentilis eſt argutandi ratio. Jam quod verbum *Eſt.* in Scripturis pro eodem ac *Significat* uſurpetur aliquando, contendebas ita uſurpari ſemper, nec aliter adhibitum fuiſſe a Chriſto, dum dixit *hoc eſt Corpus meum*. Modo vero de ſimplici variatione qualitatis cum vides nomen *converſionis*, & *mutationis* pronuntiatum aliquando, nihil aliud prætereà ubique nomen hoc ſignificare prætendis. O ridiculum ſophiſtam! Sed Patrum dicta perpendenda proferantur. Nyſſenus *de myſtica vita Moyſis* hæc habet verba: *Cum ſit Panis, in Carnem vertitur*. Et Panis in Carnem converſio, ſola erit qualitatis variatio? Inſuper *Orat. Catechet.* 37. aſſerit, Panem, & Vinum mutari *virtute benedictionis, in illud tranſelementata eorum natura*. Quod Panis tranſelementetur in Corpus Chriſti, & quomodo Panis quo cibabatur Chriſtus in illius ſubſtantiam tranſibat; quodque Panis ita in Corpus Chriſti mutetur, ut per hanc mutationem Chriſtus *ſe per Carnem inſerat omnibus credentibus, commixtus, & contemperatus corporibus credentium*, indicia nempe iſta ſunt ſolius Sacramentalis mutationis? Vi iſtius capio quidem Chriſti ſpiritum fidelium ſpiritibus ſe ingerere, ut tu ais, nunquam vero Chriſti Carnem miſceri, atque contemperari corporibus credentium, ut aſſerit Nyſſenus. Euſebius Emiſſenus (ſive alii ſub ipſius larva) *Hom. 5. de Paſchate* hæc habet: *Inviſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis ſui ſecreta poteſtate convertit, ita dicens: Accipite, & edite: Hoc eſt Corpus meum*. Deinde: *Quid mirum autem eſt, ſi ea quæ verbo creare potuit, poſſit creata convertere?* Enimvero converſionem creationi comparare, viſibiles ſubſtantias in ſubſtantiam Corporis Chriſti convertere, quidquam profecto majus eſt ſimplici qualitatis variatione. Iſidorus Hiſpalenſis *Lib. 1. de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 18., poſtquam dixerat condecentiſſimum eſſe, *ut in honore tanti Sacramenti jejunum in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi; & ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur*, ſubdit: *Panis enim quem frangimus, Corpus Chriſti eſt... Tantum intereſt inter propoſitionis panes, & Corpus Chriſti, quantum differt inter corpus, & umbram, inter imaginem, & veritatem &c.* Et Pane, ac Vino indicatis, quatenus primus aptus eſt ad confirmandum Corpus, alterum quod valeat in carne Sanguinem producere, ſubjicit: *Hæc autem duo viſibilia, ſanctificata tamen per Spiritum Sanctum, in Sacramentum Divini Corporis tranſeunt*: ideſt fiunt Corpus Chriſti in Sacramento; quemadmodum cum D. Ambroſius dixit *Lib. 2. de fide cap. 4.: Filius patitur per Corporis Sacramentum*, non in Corpore typico, & myſtico Chriſtum pati intelligi voluit, ſed in vero Corpore, quod Sacramentum erat, & viſibilis imago conjunctæ Divinitatis. Hæc, & alia, quæ Panigarola refert, præter ea quæ a Doctoribus noſtris proponuntur, nunquid de præciſa qualitatis modificatione valebis, Picenine, interpretari? Si ita: dum ergo audimus, virgam Moyſis in ſerpentem, aquam Ægypti in ſanguinem, aquam nuptiarum Canæ in vinum mutatam; dum prædicatur Verbum factum Caro; dum in Scripturis paſſim leguntur mirabiles converſiones divinitus factæ; licitum nobis erit hæc omnia in accidentibus, & apparentiis, non in veritate, & ſubſtantia mutata intelligere; ſiquidem quæcunque ſit Scripturarum manifeſta locutio, nunquam deerit apparens quædam, vel ſimulata ratio, quæ noviſſimo Domini Picenini oraculo valeat accommodari. Quod ſi prælaudatæ mutationes nequeant de ſolis qualitatibus explicari, quare id in-

intelligi poterit de Panis mutatione in Corpus Chriſti?

106. Perperam autem *pag.* 373. Patrum ſententias congeris, quæ probent mutationis nomen aliquando qualitatum variationibus attributum. Oportet conſtanti ratione probare, Panis converſionem in Corpus Chriſti, quæ abſque ulla limitatione commendatur tanquam ſingularis divinæ omnipotentiæ effectus, omne opus naturæ vincens, quam ſcriptis ſuis tam magnifice Patres extollunt, nudam eſſe, accidentalem, & typicam mutationem. Tertullianus, cujus tamen textum citato loco invenire non valui, nempe *Lib. 7. contra Marc. cap.* 24. (etenim adverſum Marcionem nonniſi Libros 5. ſcripſiſſe comperio), etſi diceret, *immutabimur in Angelicam ſubſtantiam*, adjectiva dictio *angelica* ſatis innueret, non Angelorum ſubſtantiam, ſed qualitates tantum eſſe adepturos: præſertim quod mentem ſuam ſatis explicat in *Lib. de Carne Chriſti cap.* 26., ubi poſt reſurrectionem carnem appellat *Angelificatam*. Et in *Lib. de reſurrectione carnis cap.* 62. clarius: *Non dixit erunt Angeli, ne homines negaret, ſed tanquam Angeli, ut homines conſervaret*. Quod Caſſianus *Lib. 3. de Incarnat. cap.* 3. aſſerat, Carnem Chriſti redivivi immutatam fuiſſe in ſpiritualem ſubſtantiam, nemo eſt qui non capiat hujuſmodi mutationem intelligi de proprietate impaſſibilitatis, non de veritate ſubſtantiç, quia Evangelium contradicit *Joann.* 20. A Nyſſeno autem dici Idololatram converti in vanitatem Idoli, quod ille contemplatur, ſtatim conſtat, mente, & affectu converti, non in ſubſtantiam, ſed in vanitatem Idoli. Chryſologum vero aſſerere (quanquam *Serm.* 29. id non legam) Moyſis manum in nivem mutatam fuiſſe, tranſeat; ſed Scriptura me docet quomodo id intelligere debeam, ſcilicet non *nivem* factam eſſe, ſed *ad inſtar nivis*. Me latet an a D. Auguſtino dictum ſit: *Fœnum in aurum mutabitur*, quia *Serm.* 12. hæc non invenio, neque ſcio an in Sermonibus *de tempore, vel de Sanctis, de Verbis Domini, aut de Verbis Apoſtoli* hæc ab ipſo dicta referantur. Si tamen dictum ab eo ſit, ex ipſa loquendi ratione conſtabit metaphorica locutio; quemadmodum cum *Lib. 4. contra Creſcon. cap.* 54. ait, Chriſtum una die tria fidelium millia prehendiſſe, alia die quinque millia, & illos in corpus ſuum convertiſſe, clare patet non loqui de reali converſione, ſed de converſione credentium, qui in Chriſtum convertuntur, & corpus ejus myſticum fiunt Sacramento fidei. De Euchariſtia autem Chriſtus ait: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt Sanguis meus*. Patres vero omnium ſeculorum, explicantes quomodo quod Panis erat deinde fiat Corpus, quod Vinum erat, fiat Sanguis Chriſti, conveniunt aſſerentes, ex Pane Corpus fieri, mutari, converti, tranſelementari in Corpus, in naturam, in ſubſtantiam Corporis. Porro quæ ratio ſupereſt ut eorum dicta diſtrahantur, ita ut dici valeat, Chriſtum, & Patres loqui in ſenſu figurato, tropico, metaphorico, atque de ſola qualitatis mutatione intelligendos eſſe? Patres de hac mutatione agentes, portentum in ea demirantur, in qua divini Verbi virtus, & efficacia exprimitur, non minus quam in Mundi creatione, in Chriſti conceptu, in mutatione virgæ in ſerpentem, aquarum in ſanguinem, & in vinum, tum in ceteris mutationibus mirabilibus, & ſubſtantivis: Incarnationis myſterio eam comparare non dubitant, necnon attoniti eam contemplantur. Veteres inter penitiora arcana hanc reponebant, infidelibus occultabant, & ipſis Catechumenis. Quod ſi non aliam ibi mutationem fieri credebant, quam Panis communis in Panem Sacramentalem, & nudam inſtitui Corporis Chriſti figuram; quid portentum hoc ſtupendum, ingens, tanta admiratione excipiendum, tam magnifice commendandum, tam accurate cuſtodiendum, tam ſcrupuloſe occultandum, atque inter prodigia, quæ a ſola Dei omnipotentia in creatione, & mutatione

rerum

rerum excedunt recenſere? Ad hæc. Demus, Patres interdum locutos in ſenſu myſtico, & figurato; nunquam tamen ita, dum dogmata præcipua fidei docebant, tradebantque. Quocirca ſi de Euchariſtia tractantes, abſolute, & abſque diminutione tam docent *tranſlatam*, *mutatam*, *converſam* in Corpus, & Sanguinem Chriſti, tenendum eſt ita re vera crediſiſſe. Hæ, & hujuſmodi animadverſiones, omnino vana, & mendaciſſima oſtendunt commenta omnia, quæ Patrum ſententiis a Panigarola relatis Picenine affingis, cujus ſola perfidia, & pertinacia, oculos mentis tuæ, & cordis excæcant, ne in tanta claritate perſpicuam, ac nitidiſſimam inſpicias veritatem.

107. Non detineri omnino non poſſum in textu D. Cypriani, quem a Panigarola citatum a critica Picenine tua immunem evadere de more non permittis. Decerptus eſt ex Sermone de *Cœna Domini*, cui occurris Apolog. *pag.* 373., *reſpondere te poſſe cum Bellarmino Lib. de Script. Eccleſ., & cum Sixto Senenſi Biblioth. Sanct. Lib. 4. ſub finem, Sermonem illum eſſe ſuppoſititium. Neve autem Panigarola clamet Librum negari, quia neſcit reſponderi, permittitur Sermo ille tanquam fœtus tam inſignis Patris.* Quoniam igitur benigne hic nobiſcum agis, textum referamus: *Panis iſte, quem Dominus Diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt Caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento viſibili ineffabiliter ſe infudit eſſentia.* Nunquid & hic dicis Panem non mutari niſi in qualitate? Sed quo rationis momento mutatio Panis in Carnem ſolius eſt qualitatis, non ſubſtantiæ? Hæc mutatio non in ſubſtantia, ſed in qualitate, in quo conſiſtit? Senſibilia enim mutari accidentia, invariata Panis natura, intelligi nequit, cum D. Cyprianus aſſerat: *Panis.... non effigie, ſed natura mutatus.* Fortaſſis, quia Panis prius uſualis, aptus tantummodo ad nutriendum corpus, fiat ſacer, & figura Chriſti, potens excitare in fidelibus eum ſumentibus memoriam paſſionis, & mortis Chriſti? Id tu Picenine dicere contendes; non tamen D. Cyprianus, qui ſubdit: *Panis.... non effigie, ſed natura mutatur, omnipotentia Dei factus eſt Caro.* Incarnationi eam comparat, quia ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat divinitas, ita Sacramento viſibili ſe infudit eſſentia. Hæc loquendi ratio profecto non indicat Panem nudam fieri figuram, excitare potentem Chriſti memoriam. Videntes Chriſti humanitatem, non divinitatis figuram tantum in ipſa credere tenebantur, ſed veram ibi divinitatem fateri in Carne latentem. Attentis igitur D. Cypriani verbis, videntes Euchariſticum Panem, non meram Corporis Chriſti figuram, ſed veritatem Corporis Chriſti cum divinitate ibi præſentem fateri tenentur. Exempla quæ profers, ad rem minime faciunt; & ſi *D. Macarius Hom.* 24. & 44. aſſerat, fideles omnes a divina natura fore immutandos, non eſt qui non capiat hujuſmodi mutationem non eſſe in ſubſtantia, ſiquidem non eſt, cui notum non ſit, rem eſſe impoſſibilem, hominem in Dei naturam converti. Si *D. Joann. Chryſoſt. Hom.* 4. *ad pop.* ait: *Mutavit enim rerum naturam adoleſcentulorum religio*, cum de tribus pueris in caminum ignis Babylonici poſitis ſermonem habeat, legere Picenine debueras quæ ſequuntur, & D. Chryſoſtomum audiiſſes ſe retractaſſe: *Immo vero non naturam mutavit, ſed, quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repreſſit.* Si D. Ambroſius *Lib.* 2. *de Virgin.* de S. Thecla ait, belvarum mutaſſe naturam, quis non videt, indicatum ibi nativam earum mutaſſe feritatem? At hujuſmodi non eſt Panis mutatio in Corpus Chriſti, juxta Cyprianum, & Patres, ut jam oſtendi.

108. Jam obmuteſcere tandem aliquando deberes. Verum id a te ſperare vanum, immo inſurgis: *Panis Caro factus intelligi debet Sacramentaliter, non realiter.* Aſt dico:

Juxta Cyprianum Panis Caro fit, quomodo homo in Chriſto factus eſt Deus. Itaque ſi Panis fit tantum Caro in Sacramento, & figura, ita homo in Chriſto factus erit Deus in Sacramento, & figura, unde Neſtorius palmam obtinebit. Si unum ad tropum transfers, cur non & alterum, immo omnia? Reponis *pag.* 374., *oportere hic ita loqui, ne D. Cyprianus videatur ſibi contradicere, ſiquidem eodem Sermone, pagina ſequenti, ait: In terra ſub Sacramento Angelorum Panem manducamus, eundem autem manducabimus abſque Sacramento manifeſtius in Cælis. Hæc verba* (inquis) *comeſtionem proprie ſumptam excludunt, & conſequenter Tranſubſtantiationem. Quomodo Panem Angelorum in Cælo manducabimus? Faucibus? Illic manducabimus Chriſtum, quia videbimus eum, & communicabimus in gloria ejus. Hic manducamus, quia credimus, & communicamus eum ejus gratia.* Perverſe Picenine loqueris, dum ita a te differendum erat: Hic in terris Panem Angelorum manducamus ſub Sacramento, in Cælis autem manducabimus abſque Sacramento. Quocirca hic in terris Panem Angelorum ſenſibiliter, & corporaliter manducamus, quem in Cęlis ſpiritualiter tantum manducabimus. Tum inde ſubdere debebas, eundem Panem Angelorum, quem in Sacramento manducamus in terris, ipſum eſſe quem abſque Sacramento edemus in Cælis. Hoc nimirum D. Cyprianus: *Panem Angelorum ſub Sacramento manducamus in terris, eundem* (bene nota) *in Sacramento manifeſtius edemus in Cælis, non miniſterio corporali, ſępe repetitis actionibus ad eundem revertentes &c.* Quod autem circa Sermonis finem ſubdat S. Martyr: *Non dentes acuimus ad mordendum, ſed ſanctum Panem ſincera fide frangimus*, id non indicat, ſanctum Panem corporali miniſterio non eſſe manducandum. Nonne & tu in Cœna tua manducas? *Nonne acuis dentes ut mordeas?* Suadere itaque vult, non ſufficere Sacramentatum Chriſti Corpus dentibus edere, niſi viva fide manducetur; quod quis negat? Sequentia nanque legere debebas: *Lex quippe eſum Sanguinis probibet, Evangelium præcipit ut bibatur.*

109. Triumphi *pag.* 141. iterum contendis, *Sermonem illum nec Cypriani, nec cujuſquam vetuſti Auctoris eſſe, cum a nemine referatur, nec a Paſchaſio, neque ab aliis, qui ſeculo nono præſentiam realem fateri aggreſſi ſunt; quare Sermo ille potius Arnoldi Bonçvallenſis videtur, qui vixit ſeculo duodecimo. & plures ſcripſit Tractatus, quibus Sermo ille maxime accommodatur.* Inſuper addis, *Salmaſium doctiſſimum Scriptorem probare, in aliquo exemplari illius Sermonis ſcriptum eſſe: Panis nec effigie, nec natura mutatus. Quod & fateri fas eſt, quia verus Cyprianus clariſſimos textus habet adverſus Tranſubſtantiationem.* Optime facis non admittere; quippe eo admiſſo, effugium non habes. Sit Arnoldi Bonçvallenſis. Quod tamen Paſchaſium dicas inter primos qui realem præſentiam fateri aggreſſi ſunt, non permitto, quaſi prius credita non fuerit. Paſchaſius ſcribit de hac re ſtilo ſimplici, & placato, neque objectiones proponit, quomodo confutando procedi ſolet. Immo *cap.* 4. *Lib. de Corp. & Sangu. Domini*, ubi expreſſe de hac re tractat, ait: *Quod in veritate Corpus, & Sanguis fiat conſecratione myſterii, nemo, qui verbis divinis credit, dubitat.* In Epiſtola ad Carolum Calvum, teſtatur ſe rudimentum ſcribere doctrinæ illius Sacramenti, in gratiam puerorum Saxonum, qui nuperrime ad fidem venerant. Hoc Libro famam adeptus eſt apud Epiſcopos, Abbates, Monachos, & Reges; & Pariſienſis Synodi Patres ann. 846. de ipſo loquuntur omni teſtificatione honoris. Porro ſi Paſchaſius novum dogma veteri oppoſitum in lucem edidiſſet, accuſatus, correptus, & confutatus fuiſſet tanquam novitatis aſſertor, ut Berengarius, cum duo poſt inde ſecula realem præſentiam negare inſtituit. Si Paſchaſius poſt obitum etiam encomia, & laudes habere meruit a Sancto Odone Cluniacenſi Abbate, ab Herigero Abbate, doctrina ejus nova non erat, & anti-

ti-

tiquæ oppoſita, ſicut illa Berengarii, neque nova eſt Romanæ Eccleſiæ doctrina, quæ eadem eſt cum illa Paſchaſii. Enimvero nova noviſſima eſt doctrina Calvini, & Lutheri, illa radix, iſta ſurculus doctrinæ Berengarii. Videatur *Alex. Nat. Hiſt. Eccl. Sec. IX. Diſſert.* 10. §. 3. Si tibi, & Calviniſtis tuis Paſchaſius videretur primus aſſerior realis præſentiæ, & Tranſubſtantiationis, quod forte manifeſtius prę ceteris antiquis eam tradidit, profecto eadem ratione D. Athanaſius, ceterique Nicæni Patres, qui enucleatius de Verbi divinitate, & de ejuſdem cum Patre conſubſtantialitate egerunt, auctores, & præformatores hujus dogmatis a primis ſeculis ignoti cenſendi erunt.

110. Utcunque res ſit, prætendis verum Cyprianum ad te pertinere, & textus profers in Apologia, & Triumpho, in quo redarguis P. Semery, quod ipſos prætererit. D. Cyprianus *Serm. de Unctione* apud te aſſerit: *Res ſignificantes, & ſignificata, idem nomen obtinent. Quocirca Panis ut ſignificans nomen aſſequitur Carnis Chriſti, ſicut res ſignificata.* At Sermo iſte adulterinus eſt, talis habitus ab Eruditis, a quibus tribuitur Arnoldo Bonçvallenſi, ſicut & Angli faciunt in editione Oxonię. Verum quis negavit unquam, conſecratum Panem non eſſe ſignum Corporis Chriſti? Res eſt, an vacuum, vel plenum ſignum ſit, ſive an re vera Corpus Chriſti contineat, vel tantummodo figuram repręſentet, & Euchariſtia nedum proprie ſit Corpus Chriſti, ſed metonymice quemadmodum continens eſt & contenti appellatione nuncupatur. Sub Euchariſtico Pane, & ſub ſacramentalibus ſpeciebus, non in myſterio tantum, vel in figura, ſed re ipſa continetur, ineffabili tamen modo, Chriſti Corpus. Neque ex præfato Sermone de *Unctione* aliter valet inferri, quia tam Sermo de *Cœna*, quam alter de *Unctione*, Arnoldi ſunt Bonçvallenſis, auctoris ſeculi duodecimi, & Catholici, quo tempore omnes Catholici doctrinam profitebantur realis præſentiæ, & Tranſubſtantiationis, circa quæ tempora damnatus fuit Berengarius, qui eam negabat.

111. Alium Apolog. *pag.* 374. extrahis textum veri Cypriani ex *Lib.* 2. *Epiſt. ad Cæcilium*, ubi legitur: *Vinum fuiſſe, quod Sanguinem ſuum dixit.* Optime *fuiſſe* legitur, non *eſſe*: etenim Vinum erat, ſed non manſit, dum *Sanguinem ſuum* appellavit; ideoque ſubdit: *Unde apparet Sanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit Vinum Calici.* Quod in Calice ponitur, oportet Vinum eſſe, non aquam. Quod autem conſecratum offertur, Vinum amplius non eſt, ſed Domini Sanguis: hinc antea præmiſerat, Chriſtum Jeſum obtuliſſe Patri idipſum, quod Melchiſedech obtulerat: *Ideſt Panem, & Vinum, ſuum ſcilicet Corpus, & Sanguinem.* Intentum S. Martyris in illa Epiſtola non erat, quod Sanguis Chriſti Vinum ſit, ſed quod materia conſecranda in Sanguinem Chriſti, non aqua, ſed Vinum eſſe debeat. At ſubjicis a S. Martyre dici: *Si Vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis; ſi vero aqua ſit, ſola plebs incipit eſſe ſine Chriſto. Id manifeſtiſſime repugnat Tranſubſtantiationi, quia, Martyris judicio, populus eſt, ſi aqua ſit, & Sanguis Chriſti, ſi Vinum ſit. Populus eſt, ſine eo quod aqua mutetur in populum; ergo Sanguis Chriſti eſt, ſine eo quod Vinum mutetur in Sanguinem. Aqua eſt in Calice, & eſt populus, quia repręſentat populum; ergo Vinum eſt in Calice, & Sanguis Chriſti eſt, quia ſignificat, & repręſentat Sanguinem Chriſti.* Si comparatio Divi Cypriani in eo tantum ſiſtere conſentis, nimirum quemadmodum Vinum repræſentat Sanguinem Chriſti, ita aqua *populum*, Vinum tamen eſt Sacramentum Sanguinis Chriſti, aqua vero non eſt Sacramentum *populi*, ſtatim inferam: Populus, quod ab aqua ſolum repræſentetur, non ſufficit, ut aquam in Euchariſtia bibens, bibat populum, ita nec quod Sanguis Chriſti a Vino tantum repręſentetur, ſufficiet, ut bibens in Euchariſtia Vinum, dicatur bibere San-

Sanguinem Chriſti. D. Cyprianus aſſerit, Chriſtum Panem offerendo, & Vinum, obtuliſſe Corpus, & Sanguinem ſuum, minime vero aſſerit, quod offerendo aquam mixtam Vino, obtulerit populum. Pluries Panem, & Vinum nominat *Corpus ſuum, Sanguinem ſuum*, aquam tamen nunquam appellat *populum*. Vinum ergo non eſt nudum ſignum repræſentativum Sanguinis Chriſti, ſicut aqua *populi*. D. Cyprianus *Lib. de lapſis* fatetur, qui bibit indigne Vinum Euchariſticum, violare Sanguinem Chriſti, & deterius peccare, quam qui ipſum denegarunt. Ergo qui bibit indigne aquam in Calice mixtam, nunquid violat populum, & peccat in ipſum? Sacerdos, qui indigne offert, pollutis manibus tractat Corpus Chriſti, & ſordido ore Sanguinem ejus bibit, juxta Cyprianum; nec tamen arbitror dicturum te, idem aſſerendum de populo, quanquam aqua bibatur indigne. Ergo Cypriani ſimilitudo inter Vinum & aquam ad hoc limitatur, quod quemadmodum Calix Euchariſticus ſine aqua eſt ſine populo, quia aqua ſignificat populum, ita Calix ſine Vino eſt ſine Chriſto, quia Vinum ſignificat Chriſtum. Quod autem Vinum ſanctificatum ſignificet Sanguinem Chriſti, nec ipſum re vera contineat, ſicut aqua ſignificat quidem, ſed plebs non eſt, nec eam continet, id a Cypriano non aſſeritur, quinimmo ex prælaudatis textibus oppoſitum evincitur. In Epiſtola ad Cæcilium contra quoſdam loquebatur, a quibus offerebatur in Calice aqua ſine Vino: tu autem Apolog. *pag.* 375. aſſeris, quod *qui in Euchariſtia ſolam aquam infundebant, erant Encratitæ abhorrentes a vino, tanquam diabolico liquore, & Cœnam ſola aqua celebrabant. Si vinum naturam vini non ſervabat, facile erat dicere: Illud vinum amplius non eſt, ſed tranſubſtantiatum in Sanguinem Chriſti; & fortius eſſet argumentum: quo tamen nemo Patrum uſus eſt, quia Tranſubſtantiationem non credebant.* Verum ſi de illis tantum, qui ætate D. Cypriani ſolam aquam in Calice infundebant intelligas; oppido falleris; ſiquidem *Encratitæ* iſti non erant, neque ex horrore vini id faciebant, ſed *ne per ſaporem vini redoleat Sanguinem Chriſti*: id autem faciebant in matutinis ſacrificiis, in quibus apud jejunos facilius excipi poterat odor vini, & manifeſtari. Sero tamen, cum nullus innoteſcendi metus invaderet, vino utebantur; & quia quorumdam prędeceſſorum exemplo factum prætexere non dubitabant, S. Martyr reſpondet: *An illa ſibi aliquis contemplatione blanditur, quod & ſi mane aqua ſola offerri videtur, tamen cum ad cœnandum venimus, mixtum Calicem offerimus &c.* Inde concludit faciendum eſſe quod Chriſtus fecit.

§. XIII.

D. Hilarius, Joannes Damaſcenus, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, & Nyſſenus, cum Cyrillo Joroſolymitano, omnino favent reali præſentia.

112. PAnigarola pro ſe refert D. Hilarium *Lib.* 8. *de Trinit.* Tu e contra Apolog. *pag.* 375. vis ipſum *loqui de ſpirituali comeſtione*. At bone vir, aut non legiſti, aut non intellexiſti; ſiquidem S. Doctor ita loquitur: *Si vere Verbum Caro factum eſt, & nos vere Verbum Carnem cibo Dominico ſumimus, quomodo & non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt?* D. Hilarius tam verum eſſe hic ſupponit, nos vere ſumere Chriſti Carnem in Sacramento, quam quod Verbum Caro factum ſit: ex quo infert, vere, & naturaliter in nobis eſſe. Hilarius aſſerit: *Vere nos Verbum Carnem cibo Dominico ſumimus.* Vere ſumere Verbum Carnem cibo, non eſt pręciſe ſumere ſpiritu, & cogitatione. Neque valet quod objicias: *Qui mortem cogitat, qui philoſophiam meditatur*, vere mortem apprehendit, & philoſophiam; quia aliud eſt apprehendere, aliud cogitare. Preterea modus ſumendi cibo Chriſti Carnem in Sacramento, ju-

to, juxta D. Hilarium, cum res ſit extraordinaria, ſubdit ſtandum eſſe his quæ ſcripta ſunt: *Quę ſcripta ſunt legamus, quæ legimus intelligamus, & tunc perfectę fidei officio fungemur . . . Ipſe enim ait: Caro mea vere eſt cibus &c. De veritate Carnis, & Sanguinis non eſt relictus ambigendi locus.* Sumere Chriſti Carnem ſola ſpirituali ſumptione, eam meditando, & affectu intime proſequendo, difficultatem non ingerit: non igitur hæc erat illa ſumendi ratio, de qua Hilarius; qui inſuper probat Filium in Patre eſſe quomodo in nobis eſt, naturaliter, & corporaliter, cum ſuo Corpore, & Carne. Si in nobis eſſet tantum per fidem, & dilectionem, potuiſſent Ariani, contra quos ſcribebat, inferre Filium in Patre eſſe non natura, ſed cognitione, & amore. Sed hanc reſponſionem præveniens Hilarius, concludit: *Hęc autem idcirco a nobis commemorata ſunt, quia voluntatis tantum inter Patrem, & Filium unitatem haretici mentientes, unitatis noſtra ad Deum utebantur exemplo, tanquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem, obſequ o tantum, ac voluntate religionis unitis, nullam per Sacramentum Carnis, & Sanguinis naturalis communionis proprietas induceretur, cum & per honorem nobis datum Filii, & permanentem in nobis carnaliter Filium, & in eo nobis corporaliter, & inſeparabiliter unitis, myſterium vera, ac realis unitatis ſit prædicandum.* Permanentem in nobis eſſe carnaliter, corporaliter, naturaliter Filium, quomodo conciliari poteſt cum eo, quod tantum in nobis ille ſit ſpiritualiter, & per fidem, ut tu mentiris? Quomodo D. Hilarius ex unitate a Chriſto nobiſcum contracta in Sacramento, inferre potuiſſet naturalem unitatem, non ſolius voluntatis, Filii cum Patre?

113. D. Joannes Damaſcenus *Lib. 4. de fide cap. 13.* hæc habet: *Panis, & Vinum tranſmutantur in Corpus, & Sanguinem Domini.* Et Theophilactus *in cap. 26. Joann.*: *Transformatur enim arcanis verbis Panis ille, per myſticam benedictionem, & acceſſionem Sancti Spiritus, in Carnem Domini.* Reſpondes *pag. 375.*, iſtos eſſe novitios Doctores. Attamen ſi tecum ſentirent, omni veneratione digni a te exciperentur, & eorum auctoritas antiquiſſimorum etiam Patrum dignitatem vinceret. D. Joannes Damaſcenus cum ante ſeculum nonum floreret, jam antea Tranſubſtantiatio in Eccleſia credebatur. Notas ad marginem hæc verba: *Damaſc. Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13., Panem, & Vinum nominat figuram Corporis, & Sanguinis Chriſti.* Igitur doctrinam tuam commendare Damaſceni auctoritate contendis, quem jam *Doctorem novitium* contemnis? Quid hunc allegare? Damaſcenus poſtquam probavit, quod *Panis per comeſtionem, vinumque, & aqua per potionem, in corpus, & ſanguinem comedentis, & bibentis tranſmutantur*, ſubdit: *Nec vero Panis, & Vinum Chriſti Corporis, & Sanguinis figura ſunt (abſit), ſed ipſum Domini Corpus Deitate dotatum, cum ipſe Dominus dixerit: Hoc eſt, non figura Corporis, ſed Corpus meum, nec figura Sanguinis, ſed Sanguis meus; & antea Judais dixerat: Niſi manducaveritis Carnem &c.* Ita Damaſcenus loquitur, tu vero dixiſſe ais: *Panis, & Vinum, figura eſt Corporis, & Sanguinis Chriſti?* Mendacium, & falſitas, in ſolo mendacio, & falſitate confidunt. Legatur Damaſcenus cum notis Patris Lequien.

114. Tu, cum tuo Calvino, multi facis Chryſoſtomi auctoritatem. Porro ipſe pluribus in locis palam fatetur veritatem realis præſentiæ Corporis, & Sanguinis Domini in Euchariſtia, & tranſmutationem Panis, & Vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, quomodo conſtabit legenti *Hom. 51. & 83. in Matth., Hom. 24. in 1. ad Corinth., Lib. 3. & 6. de Sacerdotio.* Verum *pag. 375.* animadvertis, quod *Patres, ut communicantes debita reverentia accedere aſſueſcerent, magnificis elogiis Euchariſtiam commendabant, nec apud D. Chryſoſtomum deſunt hyperbolica phraſes.* Hoc vitio laborant primæ faces antiquę Eccleſiæ, quoties Cal-

Digitized by Google

Calviniſtis diſpliceant. Expedire te melius a principio ſtatim poteras, hyperbolicæ locutionis cenſura Patres omnes excipiens. Tantum audet Novatorum inſolentia, quod ipſos non pudeat aſſerere, magnum Chryſoſtomum ut communicantes ad debitam reverentiam diſponeret, ipſos docuiſſe falſum dogma, ſcilicet adorare Chriſtum, ubi non eſt. Ita Pelagiani, & Semipelagiani, cum ceteris gratiæ hoſtibus, de Divo Auguſtino loquebantur, quaſi Deo, et gratię nimium deferens, in hyperboles incidiſſet. Ais, *Patres hujuſmodi phraſes adhibuiſſe loquentes tum de Baptiſmo, tum de aliis ſacris myſteriis. D. Iſidorus Lib. 2. de Offic. cap. 24., Baptiſmum vocat aquam percolatam e latere Chriſti. Alter eam appellat fontem Sanguinis. D. Chryſoſtomo Terra fit Cęlum, nedum in diſpenſatione Euchariſtiæ, verum etiam in prædicatione Evangelii Hom. 2. de laud. Paul. Hæc omnia dicta erant ad excitandam erga myſteria in auditoribus reverentiam; ſiquidem res communes vileſcunt, ait Baſilius Lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* Nemo tamen unquam aſſeruit, aquam Baptiſmi, etſi derivatam a latere Chriſti perenni omnium Sacramentorum fonte, eſſe ipſius Chriſti Carnem, & Sanguinem, quemadmodum de Pane, & Vino Euchariſtico Patres omnes unanimiter aſſerunt, immo Chriſtus ipſe omnium primus pronuntiavit. Patres omnes de Euchariſtia differentes, *Carnem, & Sanguinem Chriſti* ipſam nuncupant, aſſerentes in Euchariſtia manducari Corpus, & bibi Sanguinem Chriſti. Si qui pauci aliquando ſcribendo, ſcribant Euchariſtiam eſſe *typum, figuram, ſignum* Corporis Chriſti, cum alibi manifeſte loquantur, quid quęſo dum affirmant Euchariſtiam Corpus eſſe, & Sanguinem Chriſti, hyperbolem fingunt, dumtaxat vèro eam dicentes *typum, figuram, ſignum*, veritatem enuntiant? Legi Chryſoſtomi *Hom. 2. de laudibus Pauli*, nec obſervare mihi contigit Terram Cælum fieri, dum Evangelium prædicatur.

115. Quaſi pœnitens de læſa Chryſoſtomi auctoritate in Apologia, immo quod capias quantum damni iniqua cauſa tua patiatur, ſi tanto Patri adverſetur, conſilium in Triumpho mutas, omni adhibita induſtria, qua tibi patrocinari ipſum utcunque oſtendas. Primum quem *pag. 131.* refers textum, deſumis ex *Hom. 24. in 1. ad Corinth.*, indicans ipſum in margine, non in textu, quia in hac Homilia S. Pater plura docet tibi minus grata. I. Quod *id, quod eſt in Calice, eſt quod fluxit e latere, & illius ſumus participes.* Si ille qui ex Chriſti latere fluxit, vere fuit, & proprie Sanguis Chriſti, qui eſt in Calice, cujus ſumus participes, vere, & proprie eſt Sanguis Chriſti. II. Opponit animalium ſanguini Idolis immolato, Sanguinem Chriſti in Altari oblato: *Si Sanguinem, inquit, cupis, non aram idolorum brutorum cæde, ſed meum Altare meo cruenta Sanguine* Si brutorum ſanguis vere ſanguis erat, verus erit etiam Sanguis Chriſti in Altari. III. De Corpore Chriſti in Altari habet: *Hoc Corpus etiam jacens reveriti ſunt Magi; & viri barbari, patria, & domo relicta, longam viam confecerunt ... Tu autem non in præſepi vides ſed in Altari, non fœminam eum tenentem, ſed Sacerdotem aſtantem.* IV. Si Regis veſtem, etſi ſolus tecum ſit, temerariis manibus non audes tangere, *quomodo Dei Corpus, qui eſt ſuper omnia ... accipiemus cum tanto probro, ac contumelia? ... hoc Corpus clavis confixum? ... hoc Corpus nobis dedit, & tenendum, & comedendum &c.* Si ſub veſte corpus eſt Regis, non in figura, ſed in veritate, etiam ſub Euchariſticis ſymbolis Corpus eſt Chriſti, veritate præſentiæ, non imaginatione figuræ. Forte iſtæ etiam locutiones ſunt hyperbolicæ?

116 Alterum Chryſoſtomi textum ſumis ex *Hom. 83. in Matth.* ubi de Euch. loquens, ait: *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit. Superet & ſenſum, & rationem noſtram quæſo*

ipſius,

ipſius, quod in omnibus, & præcipue in myſteriis facimus; non illa, quæ ante nos jacent ſolummodo aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non poſſumus, ſenſus vero noſter deceptu facillimus eſt; illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius, atque ſæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit hoc eſt Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Infringitur hic omnis conatus tuus, qui detrectas credere in Euchariſtia re vera eſſe Chriſti Corpus, etſi Chriſtus dicat: *Hoc eſt Corpus meum*; quia ſenſus tui Panem vident, quibus tuam fidem committere potius eligis, quam Chriſto. Porro ſuſcipis, *Sanctum loqui de myſteriis*: Et præcipue in myſteriis. *Ibi loquitur de Baptiſmo*: Sic & in Baptiſmo. *Quare ſi in Cœna Tranſubſtantiationem credebat, hanc etiam in Baptiſmo tenebat; ſiquidem Hom. 24. in Joann., agens de Baptiſmo, ait: Credamus quod Deus affirmat, hoc enim certius eſt, quam videre. Viſus ſæpiſſime fallitur, illud vero impoſſibile eſt quod cadat.* Si Chriſtus dicit: *Hoc eſt Corpus meum*, ita nos credere debemus, quanquam a ſenſibus oppoſitum oſtendatur. At de Baptiſmo, eum non dixerit aquam eſſe Sanguinem ſuum, credere tenemur ſpiritualiter in ipſa nos regenerari, etſi hunc effectum corporeis ſenſibus non experiamur: non autem idcirco aquam tranſmutari ſubſtantia credimus. Sermo quippe Chryſoſtomi non eſt qualis a te fingitur, ſed talis eſt: Chriſto dicente *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, Nicodemo, qui ſenſu judicabat, impoſſibile id videbatur; quare Chryſoſtomus monet, non ſecundum ſenſus eſſe judicandum, ſed ſecundum ea quæ dicit Chriſtus: *Nihil enim pejus eſt, quam humanis rationibus ſpiritualia ſubjicere.* Si Chriſtus dicat ex aqua te regenerandum; etſi ſenſus repugnet, a te credendum eſt: *Noli igitur, quoniam hæc non vides, diffidere; neque enim animam vides, tamen animam eſſe, & eam te habere, & aliquid præter corpus eſſe non dubitas.* Ita *Chryſoſt. Hom. 24. in Joann.* Et quia Chriſtus dicit, hominem regenerandum ex aqua, concludit id credendum eſſe, quanquam ſenſus, & ratio videantur opponi. Verum ne diutius valeas Chryſoſtomi ſenſus ad tropos, & figuratas chimæras tuas pervertere, attende quomodo *Hom. 83. in D. Matth.* ſe explicet, præmiſſo jam credendum eſſe Chriſto dicenti: *Hoc eſt Corpus meum*, etſi ſenſus obſtent: *O quot modo dicunt, vellem formam, & ſpeciem ejus, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre! Ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis. Veſtimenta ejus deſideras videre, ipſe vero ſeipſum tibi tradit, non ut videas ſolum, verum etiam ut tangas, & in te habeas.* Qui reliqua leget, omnem inanium figurarum aditum miſeris Calviniſtis occluſum intelliget.

117. Submurmurando Chryſoſtomum carpis, quod ſenſibus judicandi adimat poteſtatem, palam licet rem agas contra P. Semery, quem appellas ad audientiam Tertulliani *Lib. de Anima cap. 17.* dicentis: *Quid agis procaciſſime Academice?* Numquid P. Semery ſenſus judicandi facultate privat juxta Academicorum placita? Tertullianus agit ſerio, ſed non contra nos: nec dubium eſt ſenſibus acquieſcendum circa ſenſibilia, quorum uſum hac ratione a Deo ſuſcepimus; at ſi contingat, ſenſum nobis quidquam repræſentare, quod diverſum omnino Chriſtus præcipiat credere, quid debemus tenere? Cui fidem præſtabimus, ſenſuum, an Chriſti teſtimonio? Hic eſt ſermo Semery, & Chryſoſtomi. *Tertullianus ſenſus conſtituit judices vocis de Cœlo a Patre auditæ.* Sed ſenſus Chriſtum videbant hominem ceteris parem, & ſolæ aures audierunt: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Auditus in hac circumſtantia alios ſenſus caſtigare debuit; mens vero, in illo homine qui videbatur, fateri tenebatur inviſibilem latere Dei Filium. Quocirca in Cœna Euchariſtiam dum video, quanquam omnes ſenſus

Panem

Panem eſſe mihi ſuadeant, quem Chriſtus pronuntiat eſſe Corpus ſuum, ceteros ſenſus auditu corrigere teneor, immo & mentem ipſam; flectens eam credere ſub illo ſenſibili verum Chriſti Corpus contineri. Non me latet Chryſoſtomum *Hom.* 29. *in Joann.* docere nos, quod: *Quoniam per hos ſenſus omnia certe cognoſcimus, & digni videatur quibus credatur, eum vidimus, & audivimus.* Verum ſi in Euchariſtia videndo Panem video, ſed audiendo, audio Chriſtum dicentem ibi eſſe Corpus ſuum, quare quemadmodum ex his quæ oculus videt, judico viſibile illud Panis ſpeciem eſſe, ex his quæ audit auditus non item definiam, ſub illo ſenſibili latere Corpus Chriſti? Tandem aliquando tu quoque hanc fateris veritatem, licet perverſæ indolis tuæ vitio ipſi admiſceas falſitatem, ſic in Triumpho *pag.* 132. differens: *Volunt Patres a nobis ſenſus non exaudiri, ubi de myſteriis agitur, ſcilicet in judicando an præter aquam appoſitam in Baptiſmo, myſtice ibi habeatur Sanguis, & Spiritus Chriſti, cum myſterio noſtræ regenerationis: an in Euchariſtia præter Panem, & Vinum myſtice ibi ſit Corpus, & Sanguis Chriſti, cum myſterio communionis peccatoris cum Chriſto, quæ ſenſus non attingunt; immo quæſiti, dicant non adeſſe in illis Sacramentis niſi uſualia, aquam, panem, vinum. Quod cum injurioſum fiat Sacramentis, id animadvertentes Patres, ut communicantibus reverentiam ingererent, docebant eos myſteria credere, quæ nec videbant, nec tangebant etiam in ipſo Baptiſmo &c.* Sic loqueris, quaſi confitendo veritatem, ſed diminute. Patres aliter de Euchariſtia, ac de Baptiſmo loquuntur. in quo docent nos credere regenerationem noſtram, quanquam ſenſus nonniſi aquam exhibeant, quia ita Chriſtus teſtatur. Sed de Euchariſtia docent in ipſa credere, non myſtice, aut in typo, & figura, ſed re vera Corpus Chriſti, quia Chriſtus ipſe id tradit. Hic ſermo erat Chryſoſtomi ſupra recenſitus: hoc eſt myſterium in Euchariſtia contentum; non quod ibi ſit figura, vel typus Corporis, & Sanguinis, & nihil amplius. Id Piceníne confitere, & pacem habebimus.

118. Demum confugis ad Epiſtolam, quam apoſtata, & infamis hæreticus Petrus Martyr evulgavit ſub nomine D. Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium, in qua legitur: *Panis conſecratus ad nomen Corporis Domini extollitur, etſi natura Panis in ipſo permanſit.* Quia vero merito dubitas ne ut ſuppoſititia hæc Epiſtola rejiciatur, præmittis: *Nec valet dicere. Epiſtolam illam Divo Joanni Chryſoſtomo eſſe ſuppoſitam, ut ſcribit Bellarminus Lib. 2. de Euch. cap. 22.: Nihil ejuſmodi ſcripſit Chryſoſtomus. Epiſtola eſt Chryſoſtomi, a Petro Martyre in quadam Bibliotheca Florentiæ reperta, & poſt a Bigot viſa apud Dominicanos.* Bellarminus omnimodam habet eam negandi rationem: & Epiſtola illa non videtur veri Chryſoſtomi pluribus de cauſis, ſi in ipſa apertiſſime oppugnatur Eutychianus error, qui Chryſoſtomi tempore nondum irrepſerat. Patres contra Eutychen ſcribentes, præſertim Theodoretus, alios Chryſoſtomi textus minoris ponderis referunt, de his autem nec verbum quidem faciunt. Hæ cauſę in aliis circumſtantiis apud te validę fuerunt, quibus certa Opera Patribus denegares. Qui omnino velit graviſſima momenta ponderare, ſuadentia Epiſtolam illam non eſſe Chryſoſtomi, legat Diſſertationem 3. doctiſſimi Patris *Lequien*, quam præmittit editioni Operum S. Joannis Damaſceni. Eja tamen, cujuſcunque ſit: quid propterea intelligitur per illa verba, *etſi natura Panis in ipſo permanſit?* Forte in conſecrato Pane manere integram Panis ſubſtantiam, non minus ac antea erat? Qui ita credit, errat. Quando ſupra laudati Patres aſſerebant Panis naturam mutari, converti, tranſelementari, nonne de mutatione, & converſione qualitatis loqui *naturæ* nomine contendebas? Quare autem modo, cum a vero, vel ementito Chryſoſtomo aſſeritur manere Panis naturam, non licet interpretari, naturæ nomine *qualitates* intellexiſſe

xiſſe, & proprietates ſenſibiles Panis? Nonne Chryſoſtomus a te relatus *Hom. 4. ad Populum* ait: *Adoleſcentum pietas ignis naturam mutavit*, ſumpta pro *natura* ignis proprietate? Quare nunc hanc fugis interpretationem? Aptior enimvero ad intentum eſſet; etenim Apollinariſtæ, & Eutychiani dicebant humanam naturam in Chriſto ex unione Divinitatis proprietates amiſiſſe, neque vere viſibilem, & palpabilem eſſe, ſed a natura divina omnino abſorptam. Quamobrem Chryſoſtomus iſtos aggrediens, oſtendebat humanam naturam in Chriſto ſingulas retinuiſſe Corporis viſibilis, & tangibilis proprietates: quod ut probaret, Euchariſtiæ exemplo utebatur, in qua poſt conſecrationem ſymbola vere ſunt viſibilia, & tractabila ac prius, manentibus ſingulis Panis, & Vini proprietatibus, quarum collectio nomine *natura* a veteribus interdum ſignificatur, ſive *communis idea* rerum, quæ ſenſibus objiciuntur. Chryſoſtomus ad illa verba: *Etſi natura Panis in ipſo permanſit*, addit: *Et non dico Corpora, ſed unum Filii Corpus prædicatur, ſic & hìc divina inſidente Corpori natura, unum Filium, unam perſonam utraque hæc fecerunt.* Quemadmodum igitur divina natura humanæ conjuncta unum Filium, unam conſtituit divinam perſonam, ſic quæ remanet natura Panis, non duo Corpora, ſed unum efficiunt Chriſti Corpus. Porro ſi ſola maneret Panis ſubſtantia tanquam Chriſti Corporis ſimplex figura, Panis, & Corpus Chriſti remanerent ne ſic Corpus unum? Dici ne tum valeret Corpus Chriſti, & Corpus Panis, quemadmodum vere dicitur natura divina, & humana unum Dei Filium, unam perſonam efficiunt? Id verificari nullatenus poteſt niſi aſſeramus accidentium Panis remanere naturam, indiſtincta tamen a Corpore Chriſti ejus ſubſtantia. In hoc ſenſu loquitur ille Chryſoſtomus, ſive quiſquis ad Cæſarium ſcripſerit. Perperam Picenine in hoc textu confidis, quippe ſi in Euchariſtia Panis ſubſtantia maneat, ſicut in Chriſto ſubſtantia humanitatis, Lutheri quidem falſa doctrina valebit, quæ cum ſubſtantia Panis verum Corpus Chriſti confundit conſubſtantiatum, ſive quæ Anaſtaſio Sinaitæ tribuitur impanationis opinio, hypoſtatica ſcilicet facta Corporis Chriſti ad Panem unione, nunquam tamen quidquam proficiet impium Calvini dogma, Panem ſcilicet nudam eſſe figuram Corporis Chriſti. Hoc enim Patrum paradigma, Euchariſtiæ & Incarnationis, ſi quidquam adverſus nos urgeat, quod in Euchariſtia integra remanere debeat Panis natura, Calvinum profecto evidentiſſime exterminat, in Euchariſtia nempe probat verum Chriſti Corpus cum Panis natura re vera habendum, non autem ſolam figuram, ſicut in Chriſto re vera, non in figura, inſidet Verbi natura.

119. Quaſi Chryſoſtomi textus a P. Semery relati ad cauſam noſtram commendandam ſatis non eſſent, alterum tibi opponis, forte ut ingenii tui acumen in reſponſione miremur. Triumphi itaque *pag.* 133. ſic habes: *Si ait* (Chryſoſtomus): *Quidnam eſt Panis? Corpus Chriſti. Si ait* (*Hom* 51. *in Matth.*): *Qui enim dixit hoc eſt Corpus meum, & rem ſimul cum verbo confecit, infallibiliter ſequitur Tranſubſtantiatio. Animadvertant tamen, Divum Chryſoſtomum Eccleſiam etiam, & pauperes dicere Corpus Chriſti, quod in Cælis eſt. Item ait: Qui accipiunt Corpus Chriſti, fiunt Corpus Chriſti. Pariter ait: Qui enim dixit* (*Hom.* 51. *in Matth.*) *hoc eſt Corpus meum, & rem ſimul cum verbo confecit, idem dixit eſurientem me vidiſtis &c. Hoc Corpus Chriſti non amictu, ſed anima munda certe eget: illud autem multa cura, & diligentia. Et Hom. 24. ad Cor. Quidnam Panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt qui accipiunt? Corpus Chriſti. Non multa, ſed unum Corpus. Si ergo Semery non dubitat aſſerere Eccleſiam, & membra ipſius, Corpus Chriſti eſſe in ſenſu proprio, dabimus libenter in eodem ſenſu etiam eſſe Corpus Chriſti.* Chryſoſtomus *Hom.* 24. *in* 1. *ad Cor.*, & *Hom.* 4. *ad Epheſ.* ait: Qui dixit *hoc eſt Corpus meum*, remque ſimul cum verbo confecit, item dixit Eccle-

ſiam, & pauperes eſſe Corpus ſuum; ſed non eſſe idem Corpus, & eodem modo. Primum Corpus ejus eſt naturale, ex Maria Virgine natum, crucifixum, lancea perſoratum, & in Cælo ab Angelis adoratum. In illis Sermonibus Chryſoſtomus a Corpore naturali tranſitum facit ad Corpus myſticum: quare non valet Patri Semery te conceſſurum Panem proprie fieri Corpus Chriſti, ſemel ipſe admittendum cenſeat Eccleſiam, & pauperes unum eſſe, ac reale Chriſti Corpus; etenim Semery hoc ultimum negat, alterum tamen validis momentis probat, et evincit. Ad hęc. Pauperes re vera ſunt Corpus Chriſti myſticum, non ipſum figurate; ergo a ſimili Euchariſticus Panis non erit figura, ſed verum Chriſti Corpus, pro nobis in Cruce oblatum. Chriſtus apud D. Joann. 17. 21. 22. Patrem orat hoc modo: *Qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipſi in nobis unum ſint .... ut ſint unum, ſicut et nos unum ſumus.* Chriſtus orat, ut fideles inter ſe, & cum Chriſto unum ſint, ſicut ipſe & Pater unum ſunt. Porro qua ratione Picenine probabis, fideles inter ſe, & cum Chriſto unum eſſe in veritate naturæ, concedam tibi Filium cum Patre unum eſſe ſubſtantia. Quod ſi lux nitidiſſima veritatis te cogit aſſerere, quodammodo tantum fideles, myſtice ſcilicet, & improprie, eſſe, ſive inter ſe, ſive cum Chriſto, Corpus unum, nihilominus tamen Patrem, & Filium unum omnino eſſe veritate ſubſtantiæ, quid fateri reſiſtis, dum a Chryſoſtomo dictum ſit, fideles, & Eccleſiam eſſe idem Chriſti Corpus, ſenſu improprio, ac myſtico fuiſſe locutum; at vero de Euchariſtia, dum dixit eſſe *Corpus Chriſti* verbo ſuo confectum, ſenſu litterali, & proprio id pronuntiaſſe? D. Joannes *Ep. 1. cap. 5. 8.* ait: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in Terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & hi tres unum ſunt.* Quomodo qui teſtimonium dant in Cælo unum ſunt? Nunquid ſicut qui teſtimonium dant in Terra? Si Ariano reſpondebis unitatem eſſe in ſubſtantia, non in modo, idem aſſeras & hìc, & crede Chriſto dicenti *hoc eſt Corpus meum.*

110. Pater Semery Chryſoſtomi textum refert *Hom. 51. in Matth.*. ubi habet: *Adeamus igitur Chriſtum ſinguli ægrotantes cum magna fide ... cum fide autem accedere non eſt, ut tantummodo propoſitum Corpus recipiat, verum etiam multo magis ut mundo corde tangas.* Sanctus Pater hìc notat, totum conatum fidei non tantummodo in ipſa conſiſtere receptione Corporis, ſed etiam in puritate cordis. Qui ergo accedit ſine fide, etſi corde mundo ipſum non tangat, Corpus tamen Chriſti in ſe recipit ſibi propoſitum. Fide autem, & ſpiritu etſi non recipiat, recipit nihilominus, quia quod ipſi proponitur eſt verum Chriſti Corpus, quod in Sacramento ſuſcipi poteſt etiam ab accedentibus nulla fide. Tu autem ſubjicis: *Audis ejus vocem, vides jacentem, manus ipſa Chriſti ibi protenſa eſt.* Deinde Semery ſic alloqueris: *Pater Andreas, quomodo vis hac verba in proprio ſenſu accipere? Vides ne tu Jeſum in Sacramento? Contingit ne tibi poſſe eum ibi tangere, ibi vocem ejus audire? Non agnoſcis Sanctum nil aliud recenſere ibi, quam ſacra pignora, in quibus Chriſtus myſtice videtur, & tangitur, tum etiam per loquentem Parochum in nomine Chriſti ibi auditur?* P. Andreas reſpondet, ſe Chriſtum ibi videre, & tangere, non immediate in ſeipſo, quomodo videbatur, & tangebatur quando nobiſcum viſibilis erat, ſed mediis Euchariſticis ſpeciebus, quibus re ipſa præſens eſt, quomodo ſub veſtibus Corpus Regis, ſive ſub humana ſpecie latebant Angeli. Quemadmodum igitur qui videt, vel tangit Regis veſtem, proprie videt, & tangit Regem, & ſpeciem, ac formam induentes hominis, ſub qua aderat Angelus, videbant Angelum; ita videntes, ac tangen-

gentes Euchariſtica ſymbola, ſub quibus, & in quibus continetur Corpus Chriſti, videt, & tangit Corpus Chriſti: & in hoc ſenſu Chryſoſtomus loquitur. Quod ſi in typo tantum ibi eſſet, & in figura, etiam efficaci, ſive myſtice, ut tu prætendis, ampla nimium, & hyperbolica eſſet Sancti Doctoris locutio loco citato, & in *Hom. 24. in 1. ad. Cor.*, ſicut exaggeraret, qui tacta effigie, aut veſte Regis abſentis, diceret ſe videre, & tangere Corpus ipſum Regis, diſtans ab oculis ſuis. A Chryſoſtomo *de Pœnit. cont. & virg.*, ut tu refers, non ego, qui id non reperi, Chriſtus dicitur: *Abſens certe eſt.* Abſens quidem a ſenſibus, qui ipſum non vident, non a Sacramento. *Lib. 6. de Sacerdotio* ait, viſos fuiſſe adſtantes Angelos Sacrificio, quaſi *ſi quis milites, Rege præſente, ſtantes videret. In Hom. de Sancto Philogonio*, hæc leguntur: *Hęc menſa explet vices præſepis. Nam & hic jacet Corpus Dominicum, non faſciis involutum, ſicut tunc, ſed Spiritu undique Sancto involutum. Qui myſteriis initiati ſunt intelligunt quæ dicuntur. Magi quidem nihil aliud, quam adorarunt, tibi vero, ſi cum pura conſcientia acceſſeris, nos concedemus ipſum ſumere, & domum abire.* Communicantes excitat, ut Corpus Chriſti in Cælis quætere non deſinant, quia etſi re vera ſit in Sacramento, fructum Sacramenti non aſſequuntur communicantes, niſi mentem in Cælum extollant. Petis a Patre Semery, quomodo intelligat Chryſoſtomi dictum: *Duplex Elias ille erat, Elias ſuperius, Elias inferius*, & illud item *Hom. in Aſcenſ.: Elias aſcendens Meloten Eliſeo reliquit. Sed Chriſtus aſcendens gratias ſuas reliquit diſcipulis, quæ non unum Prophetam tantum efficiunt, ſed innumeros Eliſeos, iſto majores, & preclariores.* Pater Semery reſponderet, præfatis locis de Sacramento verba non fieri, & Chriſtum in Sacramento præſentem eſſe Corpore ſuo, ſpiritu autem tantum in ſervis ſuis. Quomodo autem Sanctus iſte Pater Euchariſtiam nuncupaverit aliquando Panem, & Vinum, centies dictum fuit: plerumque tamen eam appellat Corpus Chriſti. Quare ergo eam, una, vel alia vice appellans Panem, & Vinum, Panis, & Vinum in ſubſtantia erit?

121. Sanctus Ephrem, Sanctus Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyſſenus, a Patre Semery in cauſa catholica commendati, ad hæreticas partes eos trahere contendis. Sanctus Ephrem *Tract. de nat. Dei curioſe non ſcrutanda*, inquit: *Diligenter intuere, quomodo Panem in manibus accipiens benedixit, ac fregit in figuram immaculati Corporis ſui, Calicemque in figuram pretioſi Sanguinis ſui.* Putas quotieſcunque incidant tibi nomina *figuræ, antitypi, & ſigni* Corporis, & Sanguinis Domini, cauſam jam obtinuiſſe: nunquam autem probandi curam ſuſcipis, Patrem illum, Panem, & Vinum aſſerere figuram Corporis, & Sanguinis Domini, & nihil amplius. Verum Patres interdum Euchariſtiam ſumunt pro ſymbolis, & *figuram*, vel *ſignum* eam dicunt: interdum pro contento in ſymbolis, & *Corpus, & Sanguinem Domini* eam appellant. Sanctus Ephrem loquitur de ſymbolis Panis, & Vini, quæ Chriſtus accepit, & realem ipſius Corporis præſentiam fatetur, quanquam quomodo ita ſit nimia curioſitate inveſtigandum non eſſe ibi aſſerat, ſed credendum: *Participa immaculatum Corpus, & Sanguinem Domini tui fide pleniſſima, certus quod Agnum ipſum integre comedas . . . Sed hoc profecto omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod nobis fecit unigenitus filius Chriſtus ſalvator noſter. Ignem quippe, & ſpiritum manducandum, atque bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, Corpus videlicet ſuum, & Sanguinem.* Si Chriſtus in Pane, & Vino nudam ſui Corporis, & Sanguinis figuram nobis tradidiſſet, quatenus fide iſta ſumentes, commemoratio mortis ejus a nobis fieret, myſterium ne tam grande eſſet, quod omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem excederet,

& nulla ratione ſcrutandum? Ergo Sanctus Ephrem Panem, & Vinum ſolas eſſe figuras minime reputat.

122. Nazianzenus, ut tu mentiris Triumph. *pag.* 136., in his quæ de Sorore Gorgonia habet *Orat.* 11., exterminat realem præſentiam; etenim *Panem, & Vinum antitypa* vocat *pretioſi Corporis, & Sanguinis*, & ſubdit: *Admiſcente Sorore illis antitypis lacrymas ſuas, emplaſtrum fecit. Qua res exſecranda modo eſſet apud Tranſubſtantiationis profeſſores.* Alibi autem ais: *Qua ratione Pater Semery audet aſſerere, eo tunc jam invaluiſſe morem, etiam extra tempus Sacrificii, retinendi ſuper Altare Sacramentum Euchariſtia, ad pietatem, & cultum fidelium? Nazianzenus non dicit Sororem antitypa illa ex Altari accepiſſe, adoraſſe &c.* Nazianzenus Sororis ſuæ Gorgoniæ factum referens, narrat quod cum ægrotaret: *Ad Altare cum fide procumbit, eumque qui ſuper ipſo honoratur cum ingenti clamore invocans, eam qua Chriſti fimbria ſanguinis profluvium compreſſerat imitatur. Quidque fecerit, audite.* Capite ad Altare procumbit, clamore, & lacrymis ſimilibus illis, quibus mulier illa lavit pedes Chriſti, proteſtata eſt illinc non diſceſſura, donec ſanitatem recuperaret: *Ac deinde hoc ſuo pharmaco corpus totum perfudiſſet, & ſi quid uſpiam antityporum pretioſi Corporis, & Sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiſcuiſſet, o rem admirandam! ſtatim liberatam ſe morbo ſentit.* Hæc ſunt Nazianzeni verba, juxta verſionem Billii. Sanctus nominat Euchariſtiam *antitypum* Corporis, & Sanguinis Domini, ideſt, juxta Eliam Cretenſem, *iſotypum*, quod ſignificat exemplar ſimile, ac pariforme ſuo originali, quia Corpus Chriſti in Euchariſtia ſicuti eſt exemplar, ſive figuratum, cui reſpondent figuræ omnes veteres, ita *antitypum* eſt Agni, & Cœnæ paſchalis, quia in Euchariſtia perfecte habetur figuratum ab illis. Ibi Corporis figura, hìc verum Corpus figuris illis conveniens: figura quippe alia figura non deſignatur. Hęc autem apud Nazianzenum vocantur *antitypa*. Si Nazianzeni Soror ante Jeſum ſuper Altari honoratum ſe exhibere conſtituit, ſicut mulier quæ fimbriam ejus tetigit, & altera quæ lavit pedes ejus profuſione lacrymarum, ſibi ergo ſuadebat, ipſum præſentem invocare, & obſecrari, quemadmodum illæ pręſentem convenerant. Nullum cum antitypis lacrymarum fluxu admixtis *emplaſtrum* confecit, nec Nazianzenus id narrat. Pharmacum ſuum lacrymæ fuerunt, quibus totum corpus perfuſa, partem ſuper *antitypa* quæ manu tenebat ſtillare permiſit; pręſentem enim in *antitypis* Chriſtum habere fide ſuaſa, pedes ejus lavare lacrymis illis non ceſſavit. Factum hoc ſerio conſideratum, probat, Gorgoniam realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia credidiſſe. Nec deteſtabile fuit lacrymis eam mergere, uſu potiſſimum attento illorum temporum, Euchariſtiam fidelium manibus porrigendi, ut ſecum deferrent, & domi tenerent. Hinc etiam conſtat quam falſo opponas, *illis nempe temporibus ſolitum non fuiſſe extra Sacrificium Euchariſtiam ſervare:* etenim unde Gorgonia *antitypa* illa pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini acceperat? Sola ad Altare procubuit, neque Sacerdos aderat offerens Sacrificium. Prius ergo habuerat, quæ ſervabat: Ais, *ab Altari non accepiſſe, non adoraſse; Nazianzenus enim hæc non refert.* Narrat tamen, quod ea *antitypa manus recondiderat.* Unde porro acceperat? Narrat, quod *ad Altare cum fide procumbit, eumque qui ſuper ipſo honoratur cum ingenti clamore invocans.* Quis iſte qui ſuper Altare honoratur, ad quem procubuit, invocans? Si Chriſtus non erat Sacramentatus, proferas Picenine quis ſit? Verba hæc aperte nimium, fidem realis præſentiæ Chriſti illis temporibus habitam probant; quare Chryſoſtomus teſtatur *Lib. 6. de Sacerdotio*, quod Sacrificii tempore: *Angeli Sacerdoti aſſident ... & locus Altari vicinus, in illius honorem qui jacet*, ideſt Chriſti, qui ſuper Altare reſidet, *Angelo-*

rum

rum eboris plenus eſt: quod & inſinuat *Hom.41.in 1.adCor.* Hinc Optatus Milevitanus *Lib. 6. cont. Parmen. Quid eſt Altare, niſi ſedes Corporis, & Sanguinis Chriſti?*

123. Pater Semery Nyſſenum refert *Orat.Catechet.37.*, qui tanquam mirabile conſiderat: *Quomodo fieri potuerit, unum illud Corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo Orbe terrarum ſemper diſtribuitur, totum per partem ſit in unoquoque, & ipſum in ſe totum maneat*, inde ſubdit: *Recte ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum Panem in Dei Verbi Corpus credo transmutari ... Panem ſtatim a Verbo in Corpus transmutari per verbum hoc eſt Corpus meum .... hac autem dat virtute benedictionis, in illud tranſelementata eorum, quæ apparent, natura.* In Triumpho *pag. 137.* contendis, *nihil hic haberi, quod non valeat accommodari & ſpirituali Chriſti comeſtioni, & figurorum mutationi, quam Reformati docent.* Rationem audiamus: *Quia circa primum, multis fidelium millibus Corpus Chriſti diſtribuitur. Totum tamen unuſquiſque habet, & ipſum in ſe totum manet. Quod plane veriſſimum eſt in ſenſu ſpirituali.* Sed mirabile non eſſet, ut a Nyſſeno proponitur, ſi multis fidelium millibus diſtribuitur, quod quiſque ſpiritualiter totum habeat, & hoc totum in ſe ſemper maneat. Quid mirum millia millium fidelium in Chriſtum credentium, totum in ſe unumquemque eorum fide Chriſtum habere? Nyſſenus ergo non ibi diſtributionem mere ſpiritualem intelligit, ſed quod ab unoquoque hæc medicina ſecundum ſubſtantiam ſuam ſumatur, ut virtute, & ſpiritu in unoquoque maneat; tum etiam vult: *Salutare medicamentum admitti intra viſcera hominis, ut per illa diſtribuatur in univerſum corpus virtus ejus, quod fert opem*, idcirco vult in Sacramento Chriſti Corpus prius manducari corporaliter, ut poſtea ſpiritualiter comedatur. Subdis autem: *Quod ad mutationem Panis attinet, Apolog. pag. 371. ſatis jam a me dictum quid naturę nomine Patres intelligant.* Sed tum etiam te falli oppido, pluſquam ſatis & ego oſtendi, pejus vero in Nyſſeni propoſito, etenim Pater iſte aſſerit, hujuſmodi mutationem fieri *tranſelementata eorum, quæ apparent, natura.* Tranſelementari, & ſubſtantia mutari, ſola ſignificatione non fit; ex communi ſcilicet in ſacrum Pane mutato, ut tu commentaris. Nyſſenus affirmat Panem mutari in Chriſti Corpus, quemadmodum cibus ſumptus a Chriſto in ſui ipſius Corpus mutabatur. Panis, quem Chriſtus comedebat, non qualitate tantummodo, ſed ſubſtantia mutabatur, ideoque juxta Nyſſenum Panis mutatus in Corpus Chriſti, non ſola qualitate profani in ſacrum, ſed ipſa ſubſtantia tranſmutatur. Pater Semery alium Nyſſeni textum commendat *Orat. in diem luminum*, ubi habet: *Panis eſt initio communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, Corpus Chriſti fit, & dicitur.* Reſpondes, *Nyſſenum de oleo eadem aſſerere, in oleo tamen manere ſubſtantiam:* quomodo autem Panis ſit Corpus Chriſti, *jam in Apologia* (ais) *te reſpondiſſe.* Sed de more Nyſſenum attente non legiſti, qui duo ibi tangit, efficaciam nempe, & mutationem. Circa efficaciam *vinum oleo* comparat, inquiens quod cum minimi pretii res ſint, *poſt ſanctificationem utrumque excellenter operatur.* Sed circa mutationem, de ſolo Pane loquitur: neque Panem & oleum dicit ab initio utrumque commune, ſed *Panis eſt ab initio communis, ſed ubi eum myſterium ſacrificaverit, Corpus Chriſti fit, & dicitur.* Senſus quilibet figuratus hic excluditur, quia etſi aliquando in propoſitionibus metaphoricis uſum obtineat verbum *eſt*, vel *fit*, nunquam porro in figuratis. Nemo de Alexandri ſtatua affirmabit: *His dicitur, & eſt Alexander*; & de Paſchali Agno: *Hic dicitur, & eſt tranſitus*; & de Pietate: *Hæc dicitur, & eſt Chriſtus.* In propoſitionibus metaphoricis, attributi ſignificatum realiter ſubjecto convenit, ſaltim ſecundum allegoriam, ideoque verbum *eſt* locum

ha-

habet; ſed in figurativis, attributi ſignificatum nullo modo ſubjecto actu convenit; quamobrem poteſt utique dici: *Agnus dicitur*, *& eſt figura tranſitus*, nunquam vero *dicitur*, *& eſt tranſitus*. Poſtremam quam proponis inſtantiam ad rem non facit, ſiquidem aliud eſt dicere: *Hoc eſt Corpus meum*; aliud vero: *Panis, qui ab initio communis erat, ſanctificatione dicitur, & fit Corpus Chriſti*. In primo, *Hoc* indefinite ſignificat; in ſecundo vero determinate ſignificatur Panis, qui ex Pane tranſit ut fit Corpus Chriſti: atque ita Nyſſenus loquitur.

124. Juxta commenta tua Cyrillus Jeroſolymitanus *Catechef. 3. myſtagog. comparat unguento Panem, & ait*, *ſanctum unguentum non amplius unguentum nudum eſſe, nec commune, ſicut & Panem Euchariſticum, poſt Spiritus Sancti invocationem*. Sed poſt Spiritus Sancti invocationem, quid Cyrillus ait *unguentum* eſſe, quid *Panem* eſſe? Legere debebas, & accepiſſes, unguentum poſt invocationem *Chriſma eſſe Chriſti*, Panem vero *Corpus eſſe Chriſti*. Ecce tibi Tranſubſtantiationem in Pane, qui fit Corpus Chriſti, non in unguento, quod Chriſma tantum efficitur: *Quemadmodum enim Panis Euchariſt. a poſt Sancti Spiritus invocationem non amplius eſt Panis communis, ſed Corpus* (non ait *Panis*) *Chriſti; ſic & ſanctum hoc unguentum non amplius eſt unguentum nudum, neque commune, poſtquam jam conſecratum eſt, ſed eſt Chriſma Chriſti*, non ait *Corpus Chriſti*: tranſitus autem unguenti in Chriſma ſubſtantialis non eſt, bene vero tranſitus Panis in Corpus Chriſti. Ut autem hujus veritatis certior fieres, legere debebas *Catechef.* 4.. ubi Cyrillus ita ſcribit: *Quare omni cum certitudine Corpus, & Sanguinem Chriſti ſumamus, nam ſub typo Panis datur tibi Corpus, & ſub typo Vini datur Sanguis, ut ſumpto Corpore, & Sanguine Chriſti, efficiaris ei comparticeps Corporis, & Sanguinis. Sic Chriſtophori erimus, cum ejus Corpus, & Sanguinem in membra noſtra recepimus.* Recipere in membra noſtra Corpus & Sanguinem, quidquam diverſum eſt, quam ſpirituali ſumptione fidei ipſum recipere, ut tu prætendis. Hinc ſi Cyrillus *Catechef.* 5. Euchariſtiam dicat *antitypum*: *Guſtantes enim, non Panem, aut Vinum ut guſtent jubentur, ſed antitypum Corporis, & Sanguinis Chriſti*, perſpicue patet non ad realis præſentiæ excluſionem hæc pronuntiaſſe, alias monendos eſſe fideles non diceret, quod Euchariſtiam non guſtent ut Panem, & Vinum; ſed indicare volebat, in Euchariſtia Corpus, & Sanguinem Domini utique recipi ſub typo, & ſub ſpeciebus Panis, & Vini: quare apud Cyrillum *antitypum* idem eſt, ac apud nos Sacramentum, niſi quæ ſupra num. 122. hic etiam aſſerere velimus, *antitypi* nomen, non *figuram* ſignificare, ſed potius *figuratum* reſpondens figuræ. Nihilominus ubi Cyrillus dicit: Panis quem videmus, non amplius Panis eſt, licet guſtando videatur, ſed eſt Corpus Chriſti; tu ex ingenio tuo interpretaris, *non amplius communem eſſe Panem, ſed typicum Chriſti Corpus*. Perperam tamen hæc tibi confingis: ſiquidem, etſi Agnus immolatus typice Chriſtus eſſet, & aqua Baptiſmi typice ſit Sanguis Chriſti, ex quo renaſcimur, nemo tamen pronuntiare auderet, Agnum non Agnum amplius, ſicut aquam non aquam eſſe, quanquam ſenſus hunc Agnum, illam aquam eſſe experiantur. In ſcholis Calvini, ubi docetur Panem typice Corpus Chriſti eſſe, & nihil amplius, forte hæc propoſitio permitteretur: *Non amplius panis eſt, quem videmus panem*. Sed lectoris patientia ultro non abutamur.

§ XIV.

Concilia Tranſubſtantiationem fatentur.

125. Panigarola Concilia vult Tranſubſtantiationem, ac realem præſentiam docere, quod tu e contra negas Apolog. *pag.* 575., ſupponens inde

inde Panigarolam Epheſinam Synodum allegaſſe; ſed oſcitanter de more, immo ſtulte. Enimvero Panigarola non in teſtimonium Tranſubſtantiationis Epheſinam Synodum appellat, ſed dum interim probat, etſi *Tranſubſtantiationis* nomen a Concilio Lateranenſi impoſitum eſſet, re vera tamen rem ipſam ſignificatam Patrum neminem non crediſſe, docuiſſe, ſcripſiſſe, exemplis utitur, videlicet quemadmodum *Chriſtiani* nomen Antiochię primo, *Homouſion* in Synodo Nicęna, *Deipara* in Epheſina, ita in Lateranenſi IV. *Tranſubſtantiationis* nomen potuit forte excogitari, novum in voce, ad ſignificandum accommodatius pervetuſtam veritatem, quam ſemper Eccleſia Sancta Dei tenuit, & credidit. Hac ipſa ratione Vigilius Tapſenſis utebatur adverſus Arium *Lib.* 1. *num.* 11.: *Eccleſiaſticæ ſemper moris eſt diſciplina, ei quando hæreticorum nova doctrina exſurgit, contra inſolentes quæſtionum novitates, rebus immutabiliter permanentibus, nominum vocabula immutare, & ſignificantiue rerum naturae exprimere, quæ tamen exiſtentium cauſarum virtutibus congruant, & quæ magis eaſdem antiquitus fuiſſe demonſtrent, non ortus veritatem inſinuent.* Enimvero Epheſina Synodus nihil in hac cauſa ſtatuit, nec Canon ullus eſt, qui id tractet. Quęſtio iſta non ibi agebatur, ſed tantum contra Neſtorium, utrum unio divinæ, & humanę naturæ in Chriſto moralis præciſe eſſet, vel perſonalis. Quod illo tamen ſeculo realis præſentia Chriſti, & Tranſubſtantiatio dogmata fidei haberentur, negare forte Picenine non auderes, ſi præter commendatos Patres, Irenęum ſcilicet, Hilarium, Chryſoſtomum, Ambroſium, Auguſtinum, alioſque, in manus tuas aſcendiſſet Cyrilli Alexandrini ad Neſtorium Epiſtolà illius Synodi actis præmiſſa, in qua ceterorum Patrum nomine, in confeſſione fidei illorum temporum, ita ſcriptum legitur: *Incruentam celebramus in Eccleſiis Sacrificii veritatem. Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti Corporis, & pretioſi Sanguinis Chriſti omnium noſtrum Redemptoris effecti; non ut communem Carnem percipientes (quod abſit), nec ut viri ſanctificati, & Verbo conjuncti ſecundum dignitatis unitatem, aut ſicut divinam poſſidentis habitationem, ſed ut vere vivificatricem, & ipſius Verbi propriam.* Quod autem Theodoretus *in præfatione ad Opera ſua Romanæ editionis* excuſationem obtineat, ſi Tranſubſtantiationi ſe oppoſuerit, quia circa hunc articulum nondum Eccleſia quidquam decreviſſet, id parum officit, cum deinde & ipſe in communem illorum temporum fidem conſpiraverit, aſſerens realem præſentiam, & tranſmutationem Panis in Corpus Chriſti: *Intelliguntur autem ea quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſunt, quæ creduntur.* Theodoretus ſic fatur de Euchariſtia *in Dial.* 2., & alibi, ut oſtenſum eſt. *Si Eccleſia circa hunc articulum nondum decreverat Theodoreti temporibus*, illum tamen credebat; aliud porro eſt dicere non adhuc præſcriptas fuiſſe formulas, aliud vero fidem non obtinuiſſe. Ante Synodum Nicænam I. Eccleſia nil præſcripſerat de conſubſtantialitate Filii cum Patre: & tamen Eccleſia ante hujuſmodi Synodum hunc articulum fide profitebatur, neque enim tunc ſolum fides huic articulo neceſſario præſtanda fuit, quaſi per Eccleſiam fidei articulus fieret, ſed per Eccleſiæ ſanctionem contra Arianos negantes ſtatutum eſt, quod in verbo Dei revelata hæc veritas haberetur. Ita quod in primis ſeculis non appareat, Eccleſiam quidquam circa realem præſentiam, & Tranſubſtantiationem præſcripſiſſe, peſſime Picenine deducis, quod nulla de his fides eſſet. Nemo adhuc auſus erat id oppugnare, unde non habuit Eccleſia cauſam cur ſuis ſanctionibus inſolentiam, & audaciam negantium coerceret. Berengarius primus fuit, qui contra communem fidem docere præſumpſit; quem nova, & impia molientem, Eccleſia univerſa ſtatim proſcri-

ſcripſit. Hæretici ſunt, qui Eccleſiam dogmata definire compellunt; quippe ſi de legalibus, & eorum obſervantia quæſtio oborta non fuiſſet, nulla de his a Collegio Apoſtolico definitio emanaſſet. Fuerit IV. Lateranenſe, quod realem præſentiam, & Tranſubſtantiationem definierit; quid inde? Nunquid quod Eccleſia nondum iſta crediderit? Stultiſſima illatio! Revolve ſcripta Patrum; hactenus dicta conſidera.

126. *Octavo Seculo* (ais Apolog. pag. 376.) *Conſtantinopolitanum Concilium 338. Patrum ſtatuit, quod in Sacramento offerebatur, panem eſſe, & vinum; imaginem carnis, typum, & commemorationem paſſionis Redemptoris, neque Deum quidquam eligere voluiſſe, ſive typum, aut rem, qua hominis figuram haberet, ne Idololatriæ præberetur occaſio.* Profecto aut tu omnino talpa, aut nos tales eſſe confidis, ratus nos ignorare, Conciliabulum illud 338. Epiſcoporum, qui omnes Iconoclaſtæ, quod Conſtantinus Copronymus coegerat, & ſub Leone inde ad annum uſque 754. dilatum fuit, a Nicæna II. *Synodo Act.* 6. caſſum, nullum habitum fuiſſe. Titulus hujus Conciliabuli erat: *Definitio ſancta magna, & univerſalis ſeptima Synodi.* A Nicæna autem II. ſequentibus verbis proſcriptum fuit *Act. VI.: Quomodo magna, & univerſalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præſules Eccleſiarum, ſed anathemati hanc tranſmiſerunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam* (attende diligenter), *vel eos qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus, neque per Encycliam, quemadmodum lex edicit Conciliorum. Sed nec ſibi conſentientes Patriarchas Orientis, Alexandriæ ſcilicet, Antiochiæ, ac ſanctæ Civitatis, vel Comminiſtros, ac ſummos Sacerdotes, qui cum ipſis exiſtunt. Porro ſeptima quomodo, quæ non concordavit cum præcedentibus ſex ſanctis, ac venerabilibus Synodis?* Nihilominus ejuſmodi Concilium vim, & auctoritatem habere contendis, quod Imaginum cultum abrogaverit, qua de cauſa Oecumenicum a Calvino aſſeritur *Lib. 4. Inſt. cap. 9. §. 9.*, rejiciente ibidem Nicænam II. tanquam Synagogam Satanæ. Attamen Iconoclaſtæ quanquam Sacrarum Imaginum cultum profanaverint, realem tamen Chriſti præſentiam in Euchariſtia negare auſi non ſunt, quemadmodum ex præcitata *Actione VI.* manifeſte deducitur, ubi, inter alia, ſequentia leguntur verba ipſorum nomine a Gregorio Epiſcopo prolata: *Panem Euchariſtiæ, veluti veram imaginem naturalis Carnis, per Sancti Spiritus aggreſſionem ſanctificatum, divinum Corpus eſſe voluit, illique ſic placuit.*

127. Vociferari non deſinis, *Concilium Nicænum II. Irenicum, triginta & amplius annis poſterius, ideſt anno 787., erroris notavit Conſtantinopolitanum, quod contra Imagines decreverit: cenſura confixit imaginis vocem, velut minus convenientem Sacramento Euchariſtiæ, quin animadverteret in ea quæ ſtatuta fuerant de ſubſtantia panis offerendi in commemorationem Paſſionis Salvatoris.* Enimvero Concilium Nicænum II. erroris notavit Conciliabulum illud in decretis ſuis adverſus Imagines, & *imaginis* vocem tanquam Euchariſtiæ impropriam, & contrariam decretis ſuis contra Imagines reprehendit; quare Epiphanius Diaconus Catholicorum nomine oppoſuit: *Ipſi vero viri fortes volentes venerabilium Imaginum demoliri viſionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non eſt imago, ſed Corpus, & Sanguis.* Quomodo ergo Concilium illud Tranſubſtantiationem non approbat, ſi neget Euchariſtiam imaginem eſſe Corporis, & Sanguinis Chriſti? Epiphanius Diaconus, poſtquam faſſus eſt, Apoſtolorum, & Patrum neminem unquam crediſſe, in incruento Sacrificio aliud offerri, quam Carnem Chriſti, concludit: *Ergo liquido demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres, imaginem dixerunt Sacrificium ſine Sanguine: & ante ſanctificationis quidem celebrationem* (nota Domine Jacobe)

typos

typos quibuſdam ſanctorum Patrum hac pie viſum eſt nominare &c. poſt ſanctificationem autem, Corpus proprie, & Sanguis Chriſti dicuntur, & creduntur. Qui Iconomachos etiam audire deſideret Tranſubſtantiationem fateri, Epiphanii orationem ulterius legat, ubi ipſos redarguens, imaginem ſcilicet illam dicentes quæ non eſt, ſed Corpus, & Sanguis Domini, ſubdit: *Deinde dimittentes mendacium, quadantenus veritatem contingunt, confeſſi divinum Corpus Panem fieri. At ſi imago Corporis eſt, non poteſt ſane fieri divinum Corpus. Nunquid igitur huc, illucque ſe jactantes, inconſtantia, & minime firma omnia ſua dogmata aſſerunt?* In hoc ſibi contradicentes Iconomachos Epiphanius reprehendebat, quod hinc dicebant, Panem fieri per conſecrationem Corpus Chriſti, hinc vero imaginem eſſe Corporis Chriſti. Hoc eſt impoſſibile, ajebat Epiphanius: *Si imago Corporis eſt, non poteſt ſane fieri divinum Corpus*. Porro ſi Panis Corpus Chriſti fieret tantum ſignificative, & non tranſubſtantive, nulla impoſſibilitas, nulla repugnantia foret quod eſſet imago, & fieret Corpus Chriſti. Epiphanius probabat Iconomachos contradici, dicentes Panem fieri Corpus Chriſti, & eſſe ejus imaginem. Fatebantur igitur illi Corpus Chriſti fieri per Tranſubſtantiationem, & tam Iconomachi, quam Catholici una fatebantur realem præſentiam Chriſti, & Tranſubſtantiationem, hoc ſolo diſcrimine, quod ab Iconomachis *imago* dicebatur etiam poſt conſecrationem, quam vocem Catholici permittere nullatenus patiebantur, ſi ex ipſo Iconoclaſtarum teſtimonio jam erat verum, & proprium Chriſti Corpus: immo tanta veritate apud ipſos in Euchariſtia aderat Corpus Chriſti, quanta veritate in Chriſto Caro erat, ut Gregorius Epiſcopus aſſerebat eadem *Act.* 6. Vos igitur Proteſtantes ipſis Iconomachis multo pejores eſtis, qui fatebantur veritatem Corporis Chriſti in Sacramento, & Sacrificium incruentum: etſi vero ceteris quibuſcunque imaginibus cultum negarent, Euchariſtiæ tamen deſerebant, quæ ſecundum ipſos imago erat Corporis Chriſti, ut notat Baronius ad *ann.* 787. *num.* 34. Sed Proteſtantes negant veritatem Corporis Chriſti, & Sacrificii: quod ſi veſtrum quidam, Lutherani ſcilicet, fateantur veritatem Corporis Chriſti, cultum tamen ipſi præſtaro negant. Catholici horrendum habuerunt imaginis nomen, etſi ſcirent in ipſa fateri veritatem Corporis Chriſti. Quanta ergo abominatione, & horrore devitandæ ſunt blaſphemiæ Calviniſtarum, qui imaginem Euchariſtiam dicunt, verum autem Corpus Chriſti eſſe non dicunt?

528. Nec te Picenine pudet duo adhuc Concilia proponere in Apologia *pag.* 376., tanquam blaſphemiis tuis propitia. Hæc ſunt Carthaginenſe III. & IV. Audiamus quæſo Carthaginenſe III., quod *Can.* 24., non 40., ut male reputas, mandat nempe: *In Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini, nihil offeratur amplius, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt Panis, & Vinum aqua mixtum*. Hic de materia offerenda, & conſecranda ſermo eſt, quæ ante conſecrationem Panis eſt, & Vinum, poſt vero eſt Corpus, & Sanguis Domini. Chriſtus *accepit Panem*, poſt vero dixit *hoc eſt Corpus meum*; accepit Calicem, poſt vero dixit *hic eſt Sanguis meus*. Carthaginenſe IV., ais, *in ſenſu noſtro Sacramentum vocat imaginem Corporis Chriſti vivificantis*. Utique ſi tibi attendamus, minime vero ſi idem Concilium conſulamus, quod celebratum fuit anno 398., cui interfuit D. Auguſtinus cum 213. Epiſcopis, Canones autem habet 104. Iterum iterumque cunctos iſtos legi, nec videre mihi contigit quæ tu commentaris. In *Can.* 38. unice de Euchariſtia loquitur, nec eam *figuram* appellat, ſed Euchariſtiam Corporis Domini: *Ut Diaconus, præſente Preſbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget*; & *Can.* 6. quod Acolythus dum ordinatur, *Accipiat & urceolum vacuum, ad ſuggerendum Vinum*

num in Eucbariſtiam Sanguinis Chriſti. Hoc nempe totum ibi circa Euchariſtiam. Præfati Canones plura habent decreta dogmatibus Proteſtantium adverſa, nimirum de Ordinationibus, de Sanctimonialibus, de earum conſecratione, de Viduis inſtitutis ad Baptiſmum conferendum mulieribus: præcipiuntur oblationes pro defunctis, & anathemata intentantur contra renitentes, & alia pleraque Proteſtantium Eccleſiis odioſa. Ad octavum ſeculum aſcendis, & Caroli Magni Epiſtolam ad Alcuinum præceptorem ſuum datam profers, in qua ſanctam Cœnam vocat *figuram Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti*. Cum taceas ubi habeatur hujusEpiſtolę exemplar, impedis mendacia tua deprehendi poſſe. In confutatione Synodi Nicęnę II. editę nomine Caroli Magni, poſt Synodum Francofordienſem celebratam anno 794., comperio auctores hujus confutationis, male ſuaſos a Nicęnis Patribus dicta eſſe, quæ ab Iconomachis re vera dicta fuerant in ſua Pſeudoſynodo, iſtos redarguere circa Euchariſtiam, quod male locuti fuerint, eam dicentes *imaginem Corporis Chriſti*, cum Euchariſtia non imago, ſed veritas ſit Corporis ejus. Primus qui hanc æquivocationem deprehendit, fuit Adrianus Papa, qui Magnum Carolum certioravit, & quæ a Nicæna Synodo ex ore Epiphanii Diaconi probata fuerant, confirmavit, videlicet *quod magna ſit temeritatis, ingentiſque abſurditatis, ſæpe memoratas imagines Corpori, & Sanguini Dominico æquiparare velle*. Adrianus reſpondit, quod Nicæni Patres *non æquipararunt, ſed magis ſcripturaliter dixerunt; nullus enim aliquando .... dixit imaginem Corporis ejus* &c. Ita Juveninus refert *Com. hiſt. dogm. de Sacram. Euch. cap. 1. ar. 5. §. 1.* Quod ſi illius ſeculi religio adeo horrebat in Euchariſtia nomen imaginis Corporis Chriſti, quomodo credibile erit, ut in ea nominanda hac voce uſus ſit Imperator Carolus Magnus, cui præ omnibus cordi erat potiſſimum Catholicum dogma? Quoniam autem Picenine mentiendo mentiris Cœnam a Carolo Magno dictam fuiſſe *figuram, & imaginem Corporis Chriſti ſenſu Calviniſtico*, quid eam intelligas cito profer. Nimirum ais: *Nos non intelligimus, ſanctam Cœnam vacuam eſſe imaginem, aut futuri boni figuram, quemadmodum veteris Teſtamenti umbra, immo quod figura ſit præſentiſſimi boni*. Si non vacua imago, quis eam impleet? Si boni præſentis figura, quale hoc bonum in Euchariſtia? Si Corpus Chriſti per vos in Cælo tantum, non in Euchariſtia præſens eſt, niſi ad inſtar figurati in figura ex fide credentium in ipſum, quomodo plena figura dicitur, & boni præſentis imago, niſi in quantum rem quidem præſentem ſignificat, non autem quæ Euchariſtiæ præſens ſit? Dicis, *Eucbariſtiam non futuri umbram, ſed præſentiſſimi boni figuram eſſe*. Ampla verba! Verum ſi nihil aliud ſit, quam imago, ſignum, & figura; non minus vacua imago dici poterit quæ ſit rei præſentis, quam quæ eſt rei futuræ. Euchariſtia quid eſt per vos, quam ſenſibile ſignum, quod ſenſibus objectum, excitat intellectum, & memoriam, quæ fide ſibi commemoret Chriſtum pro me mortem tuliſſe? Iſta actione Chriſtus non Euchariſtiæ fit præſens, ſed vobis tantum; ergo Euchariſtia vacua ſemper figura manet. Si dicas per virtutem, & efficaciam impleri, non id ſufficit, ajunt Nicæni Patres, quia: *Poſt ſanctificationem autem, Corpus proprie, & Sanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur*. Nonne eandem efficaciam habebant ſigna illa ſenſibilia, quæ dicitis *umbras* veteris Teſtamenti? Paſchalis Agnus immolatus, nonne intuentium menti, per fidem, præſentem efficiebat mortem Chriſti, & Chriſti futuri? Duæ pictæ tabulæ, quarum una Chriſtum in Cælo nunc ſtantem, altera Chriſtum venturum Judicem noviſſima die oculis exhibeant, quid præ iſta illa habet, quod me efficacius moveat? Nonne ambæ vacuæ imagines, quæ non habent niſi imaginis efficaciam? Una tam-

tamen præſentem Chriſtum oſtendit, altera futurum.

129. Panigarolam in ſcenam ducis *pag.* 376., ex ore tuo ſic loquentem, nempe: Concilium Romanum *a Berengario abjurari fecit hunc errorem Oecolampadii* (addere poteras Zuinglii, Calvini, & tui). *Concilium a Berengario dici voluit, Panem, & Vinum in Altari eſſe verum Corpus, & verum Sanguinem Domini. Quod iſta ſenſualiter, & vere tractentur Sacerdotis manibus. Quod frangatur, & teratur Corpus.* Berengarius, cum in pluribus Conciliis, tum Romæ ſub Leone IX. ann. 1050., tum Vercellis damnatus, obedire *Leoni*, & Conciliis renuens, eodem anno in Pariſienſi Synodo proſcriptus fuit. Victor II. ann. 1055. iterum in duabus Synodis, Turonenſi ſcilicet, & Florentina, ipſum damnavit; denique ann. 1059. in Concilio Romano 113. Epiſcoporum ſub *Nicolao II.* ipſi *anathema* dictum. Quod vero ad vomitum redierit, ab *Alexandro II.* monitus, iterum proſcriptus eſt ann. 1063. in Synodo Rothomagenſi, & Pictavienſi, demum in duabus Romanis a Gregorio VII. ann. 1078. & 1079. Ex tot proſcriptionibus, tam brevi intentatis adverſum Berengarium, deduci facile poteſt, quantum illis temporibus veritati contraria haberetur, & totius Eccleſię fidei ſcandaloſa ejus doctrina, & quantum intereſſet iſtam exterminare: ac proinde quę maxima cura ſit Eccleſiæ Catholicæ, in Zuinglianis, & Calviniſtis inſoleſcentem eam opprimere. Hac veritate preſſus, nil ultra vales, quam livido dente formulam rodere, qua Berengarius abjurare coactus fuit in Canone *Ego Berengarius* ann. 1059., ſcilicet quod *Berengarius adactus fuerit fateri Corpus Chriſti in Euchariſtia ſenſualiter tractari, frangi, conteri manibus Sacerdotis, cum hodiernam Romanam Eccleſiam pudeat dicere conteri, mandi dentibus Corpus Chriſti, ſed quod integrum glutiatur, quod converſio ſit inſenſibilis.* Hujuſmodi commenta vetuſtos Patres feriunt. Chryſoſtomus ait; *Ipſum vides, ipſum tangit, ipſum comedis. Homil.* 83. *in Matth.*, *& Homil.* 45. *in Joann.* Auguſtinus ſcribit, quod Chriſtus Corpus ſuum in manibus portabat. *Enarr. in Pſ.* 33. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catecheſ.* 4. aſſerit: *Sic Chriſtophori erimus, cum ejus Corpus, & Sanguinem in membra noſtra receperimus.* Res eſt videre quomodo ſenſibiliter Corpus Chriſti tractetur, & frangatur. Apud Eccleſiam Romanam certiſſimum erat, Corpus Chriſti in ſemetipſo, & in propria ſpecie ſenſibiliter non tractari, non frangi, non conteri, tantumque tractari, frangi, teri accidentia Panis ſenſibilia. Quoniam autem ſub iſtis, & in ipſis vere continetur Chriſti Corpus, petiit quod Berengarius fateretur Chriſtum tractari, frangi, teri in Sacramento, quomodo vere credebat, & in præſens credit Eccleſia. Advertens autem quod Berengarius illud tractari, frangi, teri in Sacramento, intelligeret in typo, & figura contingere, ad impediendum omne dolum hujuſmodi confeſſionis formulam ipſi præſcripſit. Quemadmodum enim dicere non dubitamus Deum pro nobis paſſum, & mortuum, quanquam non in ſemetipſo ſecundum Divinitatem paſſus ſit, ſed tantummodo ſecundum humanitatem ſibi unitam, ita proportione ſervata dici poteſt, Corpus Chriſti teri, frangi, tractari, ſicut comedi etiam in Euchariſtia dicitur, tametſi ſolæ ſpecies immediate tangantur, quibus unitur, & re ipſa præſens eſt ejus Corpus.

130. Extremę tuę voces in Apologia *pag.* 377. has edunt nenias: *Concilium Lateranenſe hanc ſibi laudem meruit, quod nedum barbaram, & incongruentiſſimam introduxerit Tranſubſtantiationis vocem, ſed quod ulterius ad fidei articulum revocaverit errorem nudiuſtertius ſubortum.* Mihi videor videre hìc Arianum bacchantem adverſus terribilem vocem *Homouſion* in Nicæna Synodo conſecratam. Furebant Ariani, quod Arianiſmi jugulum peteret, contra quam nullum valebat rimarum cuniculum. Contra *Tranſubſtantiationis* vocem Calviniſtę, & Luthe-

rani fremunt; quod errores ſui uno ictu pereant. Ariani ſuſurrabant, vocem *Homouſion* natam in Nicæna Synodo, Scripturis inuſitatam, recipiendam non eſſe. Eodem ſermone tu muſſitas: *Tranſubſtantiationem, quæ ex Scriptura probationem non habet, in primæva Eccleſia inauditam, nudiuſtertius ſubortam, Romana Eccleſia vult, & cogit haberi tanquam fidei teſſeram.* Arianæ perfidiæ vocibus ſilentium imponant eędem contra Arianos Catholicorum Patrum voces, præſertim Divi Athanaſii *Epiſt. de decretis Nicænæ Synodi*. Si Tranſubſtantiationis vox in Lateranenſi inſonuit, in Concilio tandem inſonuit, ubi Eccleſia voces ſuas edebat ſecundum intellectum Scripturæ, & Patrum: *En igitur nos quidem hanc ſententiam a Patribus ad Patres tranſiiſſe demonſtramus. Vos vero* (o Lutherani, & Calviniſtę) *o novi Judęi, & Caiphæ diſcipuli, quos Patres qui veſtris voculis* (conſubſtantiationis, figuræ, typi, imaginis) *faverint exhibere poteſtis? Nullum certe prudentem, & ſapientem unquam proferetis.* Voces *figuræ*, & *imaginis*, a Berengario vix primo prolatas, univerſi deteſtati ſunt: quamobrem Berengarii diſcipuli ut fucum ipſi quadantenus facerent, *conſubſtantiationis* nomine celarunt; ſed fruſtra: *Omnes enim a vobis abhorrent, præter unum Diabolum, qui nempe ſolus hujus veſtræ defectionis pater, & auctor extitit, vobiſque primum impietatem hanc inſeminavit, ac etiam nunc ſuadet, ut œcumenicam Synodum veſtris maledictis inſectemini, quia videlicet non veſtra, ſed illa definierit, quæ ab initio tradidere teſtes oculati, qui & miniſtri verbi fuere. Nam fides, quam Synodus ſcripto confeſſa eſt, ipſa vere eſt Catholicæ Eccleſiæ, quam ut tuerentur, placuit beatis Patribus ita ſcribere, Arianamque* (Calvinianam, & Lutheranam) *hæreſim condemnare.* Vix quippe Tranſubſtantiationis vox a Concilio Lateranenſi inſonuit, ſtatim ab univerſa Eccleſia plauſu recepta, & contra vos proclamatum eſt, qui e contra in voculis veſtris diviſi, confuſi, inconſtantes, nec pacem, nec fidem certam (ut alibi oſtenſum eſt) in ipſis habere potuiſtis: *Hinc illi potiſſimum ob hanc causam Synodum calumniari conantur. Nam non tam* (attende) *hujuſmodi dictionibus cruciantur, quam quod inde convicti ſunt, non ſolum hæretici eſſe, ſed aliis etiam hæreticis audaciores.* Videat lector num D. Athanaſius ad rem præſentem apte locutus ſit. Videatur etiam Vigilius Tapſenſis in Dialogo, quem ſub Athanaſii nomine edidit cum Ario diſceptantis num. 11. & 12., & D. Auguſtinus *Tract. 97. in Joannem*, ubi ſuper verba Divi Pauli *profanas verborum novitates devita* 2. *Timoth.* 2. 16., hæc habet: *Et non ait verborum novitates devita, ſed addidit profanas. Sunt enim & doctrinæ Religionis congruentes verborum novitates .... Adverſus impietatem quoque hæreticorum Arianorum novum nomen Patres Homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt; hoc enim vocatur Homouſion, quod eſt ego, & Pater unum ſumus, unius videlicet, ejuſdemque ſubſtantiæ. Nam ſi omnis novitas profana eſſet, nec a Domino diceretur mandatum novum do vobis, nec Teſtamentum appellaretur novum, nec cantaretur in univerſa terrà canticum novum.* Porro Picenine, qui adeo furis de voce *Tranſubſtantiationis*, quod nova ſit, & barbara, dic quæſo: Undenam venerunt vocabula illa peregrina *derivationis, irradiationis, trajectionis, traductionis*, quibus utitur Calvinus tuus ad ſignificandum modum quo Spiritus Chriſti in nos deſcendat velut *canalis*, aut *radius*, aliaque hujuſmodi? Hæc ne antiquitus tradita? In qua Scriptura leguntur? Qui Patrum, quæ Synodus hæc pronuntiavit? *Vinculum ergo iſtius conjunctionis eſt Spiritus Chriſti, cujus nexu copulamur, & quidam veluti canalis, per quem quidquid Chriſtus ipſe & eſt, & habet, ad nos derivatur. Nam ſi Solem conſpicimus radiis in terram emicantem, ad generandos, fovendos, vegetandos ejus fœtus, ſuam quodammodo ſubſtantiam ad eam trajicere; cur inferior Spiritus Chri-*

Chriſti eſſet irradiatio, ad communionem Carnis, & Sanguinis ejus in nos traducendam? Ita Calvinus *Lib. 4. Inſt. cap. 17. §. 12.* Et in §. 6. transfuſionis vocabulo utitur, & diffuſionis: *Communionem* (Corporis ſui) *Spiritus ſui virtute in nos transfundit*. In §. 32.: *Propriam in nos vitam diffundere*. Tot clamores contra nos, quod Tranſubſtantiationis adhibeamus vocem ex Patribus deſumptam, & ex Scriptura derivatam, obſequia inde, & reverentiam præſtas Novatori, inuſitatas voces a nullo Patrum indicatas, ſuo tantum marte cuſas, pronuntianti?

131. Quemadmodum vero Ariani vocem *Homouſion* nulla ratione excludebant, ita Calviniſtæ, & Lutherani vocem *Tranſubſtantiationis*, & ejus ſignificatum, nulla ratione contendunt. Si in Scripturis nec *Tranſubſtantiatio* legitur, nec *Homouſion*, res tamen ſignificata non minus per vocem *Homouſion*, quam per illam *Tranſubſtantiationis*, in Scripturis & vere continetur, & recte dicitur. Hæc erat Auguſtini reſponſio reddita interroganti ſic: Cum Scriptura non fateatur expreſſe tres Deos, neque expreſſe fateatur Perſonas tres in Deo, quare ergo in Deo tres Perſonas dicis, non item tres Deos? *An quia nec tres (ajebat Sanctus Doctor), nec unam Perſonam Scriptura dicit hac tria ... licuit loquendi, & diſputandi neceſſitate tres Perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit? Si autem diceremus tres Deos, contradiceret Scriptura, dicens (Deuter. 6. 4.): Audi Iſrael, Dominus Deus tuus unus eſt .... Quid igitur reſtat, niſi ut fateamur loquendi neceſſitate parta hic vocabula, cum opus eſſet copioſa diſputatione adverſum inſidias, vel errores Hæreticorum? Lib. 6. de Trinit. cap. 4.* Nunc tecum Picenine. Nego Chriſtum in Euchariſtia eſſe, ut tu fingis, tantum in figura, quia ſi id dicerem, contradiceret Scriptura, ex ore Chriſti dicens: *Hoc eſt Corpus meum.* Aſſero tamen, & fateor Chriſtum in ea eſſe per Tranſubſtantiationem, *non quia Scriptura dicit, ſed quia non contradicit*. Perfidia, & inſidiæ tuæ, ad explicandam veritatem his uti vocabulis me coegerunt: *Loquendi neceſſitate parta hic vocabula, cum opus eſſet copioſa diſputatione adverſum inſidias, vel errores Hæreticorum*. Etenim poſtquam Chriſtus accepit Panem, dixit: *Hoc eſt Corpus meum*. Et ſimiliter poſt acceptum Calicem: *Hic eſt Sanguis meus*; quibus verbis quæ res communes erant, Panem, & Vinum, mutavit in Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui. Ex efficacia verborum Chriſti cogimur omnes mutationem aliquam, & variationem fateri in Pane, & Vino, ſecus quomodo Chriſtus dicere poterat *hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, niſi aliqua fieret mutatio, ex qua vel identitas, vel unio oriretur inter Panem, & Corpus Chriſti? Quis indicato Chriſto proferre potuiſſet *hic eſt Deus*, niſi in humanitate Chriſti facta fuiſſet aliqua mutatio, & unio ipſius cum Perſona Verbi? Præfata igitur verba mutationem indicant, aut realem Panis, & Vini, aut metaphoricam, aut coexiſtentiam Panis, & Vini cum Corpore, & Sanguine Chriſti. Solam eſſe metaphoricam mutationem, aut moralem, Panis ſcilicet, & Vini communis in ſacrum, negant Lutherani, tanquam quid contrarium verbis Chriſti, quod nos item negamus. Neque coexiſtentiæ mutationem eſſe, itaut Panis, & Vinum ſimul cum Corpore, & Sanguine Chriſti eſſe incipiant, ut prætendunt Lutherani, ex eo probatur, quod Chriſtus non dixerit *hic eſt Corpus meum*, ſed *hoc eſt Corpus meum*: quamobrem neceſſe eſt vel Panem non manere, ſi *eſt Corpus*, vel Corpus non fieri, ſi Panis remaneat. Si eodem loco duo ſimul extarent corpora, neutiquam dici poſſet, unum eſſe alterum corpus, bene vero locum unius eſſe locum alterius, & unum ibidem eſſe, ubi & alterum. D. Thomas *3. p. quæſt. 75. ar. 2.* probat, corpus ubi prius non erat non poſſe ibi eſſe, niſi vel quod locum mutet, vel quod aliud corpus in ipſum mutetur,

tetur, ſicut ignis in domo qua non erat eſſe non incipit, niſi quia a loco ubi erat in domum defertur, vel in domo accenditur. Corpus autem Chriſti in Euchariſtia præſens fieri nequit, quaſi per localem motum in ipſam adveniat, aliunde translatum: oporteret quippe quod Cælum dimitteret, cum ea ſit localis motus ratio, quod corpus alium non acquirat locum, niſi priore dimiſſo; tum etiam quia corpus dum a loco ad locum movetur, loca media pertranſire debet; repugnat autem eundem motum corporis ejuſdem in ipſo inſtanti diſſita inter ſe plura loca acquirere: Corpus tamen Chriſti eodem tempore præſens eſſe incipit, tum pluribus locis, tum pluribus Sacramenti partibus. Reſtat igitur in Euchariſtia præſens primo fieri reali immutatione Panis in ipſum. Hanc tamen mutationem cum non fieri in accidentibus, omnes ſenſus, qui eadem experiuntur eſſe, quæ prius erant, certiſſime teſtentur, illa igitur quæ fit mutatio, ſubſtantiæ Panis erit in Corpus Chriſti: & hæc eſt Tranſubſtantiatio. Factis modo rationibus reſponde Picenine, vel pro te alius quiſquam, ſed reſponde rationum momentis, non mimica admiratione, non verborum techuis, neque Lutheri errorem, ſicut hactenus feciſti, cum errore Calvini confundas. Contra Calvinum, quod Chriſtus in Euchariſtia ſit præſens re ipſa, non ſola figura, oſtenditur. Sed contra Lutherum, qui vere præſentem eſſe ſaltim in uſu fatetur, coexiſtente tamen Panis ſubſtantia, demonſtratur, ſuppoſita reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia, hujuſmodi præſentiam haberi non poſſe, niſi converſio ſequatur Panis in ipſum: & hoc aſſerimus verba Chriſti effeciſſe, cum dixit *hoc eſt Corpus meum*. Hæc eſt virtus divini verbi, quæ cum ex nihilo res eſſe fecit, ipſas rerum naturas in alias mutari facit, ut prælaudati Patres confitendo mirantur, & Eccleſia perenni, conſtantique fide credidit ſemper, & docuit, velint, nolint Calviniſtę, Lutheranique ſimul, quæque ſint ſimiles peſtes. Quod ſi nulla fides adhibenda eſſet, cum Eccleſia Romana iſta proponat; nunquid Luthero, & Calvino contradicenti credendum erit?

132. Inſurgis, Triumphi *pag.* 158. opponens, *Græcam horum temporum Eccleſiam, Schiſmaticam ſcilicet, a Latina diſſentire, & Tranſubſtantiationem inficiari*. Ipſa tamen realem fatetur præſentiam, & anathema Calvino dicit. Melancton in Auguſtana Confeſſione ſcripta anno 1531. id teſtatur: *Comperimus non tantum Romanam Eccleſiam affirmare corporalem præſentiam Chriſti, ſed idem nunc ſentire, & olim ſenſiſſe Græcam Eccleſiam, ut teſtatur Canon Miſſæ apud Græcos*. Et textum refert D. Cyrilli *in cap.* 15. *Joann.*: *Conſiderandum eſt non habitudine ſolum, quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verum etiam participatione naturali*. Atqui Eccleſiam Græcam, quæ antiquitus tam venerabilis erat, in negotio etiam Tranſubſtantiationis cum Latina conſenſiſſe jam oſtendi. Antiqua igitur, etiam apud Eccleſiam Græcam, eſt Tranſubſtantiationis fides, & illam negare modo, non erit niſi noviſſimus error. Veruntamen nec ipſa Schiſmatica Eccleſia Græca in hoc Tranſubſtantiationis articulo a Latina receſſit: neque Photius ſchiſmatis auctor ſeculo IX., neque Michael Cerularius ejus inſtaurator ſeculo XI., inter ea quæ Latinæ Eccleſiæ opponunt, Tranſubſtantiationem recenſent. Enimvero ſi Gręca Eccleſia Schiſmatica, aut realem præſentiam, aut Tranſubſtantiationem negaſſent, vel præcitati, vel alii Gręci, qui poſt ſchiſma ſcripſerunt, inter cetera dogmata, quorum non eſt cum Latinis conſenſio, hoc etiam objeciſſent. Et tamen nulla de hac re mentio fit, nec apud pręfatos ſcriptores, nec apud eos qui ſequentibus ſeculis XI. & XII. Gręcorum cauſas tractarunt, ut Euthymius Zigabenus, Nicolaus Metonenſis contra Chryſolanum Mediolanenſem Archiepiſcpum, Joannes Firmius, aliique. Latini pariter, qui contra Græcos rem Catho-

licam

Digitized by Google

licam egerunt, nec verbum quidem habent de hac cum Græcis quæſtione: quæ certe ſi inter Latinos, & Græcos verſata eſſet, cum magni momenti res ſit, ſilentio utrinque præterire non permiſiſſent, qui de aliis articulis minoris notæ diſputare non dubitarunt. Legatur Baſilii Theſſalonicenſis Epiſtola ad Adrianum IV., relata a Leone Allacio de *perpetua utriuſque Eccleſiæ conſenſu pag.* 658., tum ipſe Allacius in *Creigton Exercit.* 23., ubi de hac re tractat. Ad hæc. In Lateranenſi IV. aderant Patriarcha Jeroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus, ſicut Legati Alexandrini, & Antiocheni, plerique alii Metropolitæ, & Epiſcopi Græci, ex ſuis Diœceſibus coacti, qui procul dubio vocis novitatem inceſſere non deſtitiſſent, ſi fidei ſuæ contrariam eſſe noviſſent. Sed ſummum ſilentium; eamque firmarunt, ſecum reportantes Græce tranſcriptos illius Concilii Canones. *Nat. Alex. ſæcul. XIII. & XIV. diſſert.* 1. *ar.* 2. In Concilio Lugdunenſi ſub Leone X. facta eſt unio Græcorum cum Latinis, & a Græcis jam recepta fuerat fidei profeſſio a Clemente IV., & Gregorio X. miſſa, in qua expreſſe habebatur Tranſubſtantiationis doctrina. Joannes Veccus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Epiſtola ad Joannem XXI. fatetur: *Credentes & nos ipſum azymum Panem ... vere tranſubſtantiari in Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti*. In Florentina Synodo, in qua diſputatum eſt de articulis vertentibus inter Græcos, & Latinos, de Purgatorio quæſtio fuit; de reali autem præſentia, & Tranſubſtantiatione ſilentium. Communis igitur fidei articulus erat Tranſubſtantiatio, quæ utrinque præſupponebatur. Unice diſputatum quæ eſſent verba Tranſubſtantiationis operativa, an nimirum ea a Chriſto prolata, an a Græcis ſuperaddita, quod indicat interrogatio a Latinis Græcis facta, quare poſt verba Chriſti Græci ſubjicerent: *Fac hunc Panem pretioſum Corpus Chriſti tui &c.*? Quibus reſponderunt Græci: *Fateri nos dicemus, per hæc verba tranſubſtantiari ſacrum Panem, & fieri Corpus Chriſti. Nat. Alex. Sec. XI. XII. diſſert.* 12. *ar.* 3. Idem faſſus eſt Marcus Epheſinus, qui Latinis inimicus, nunquam hanc edidiſſet confeſſionem, ſi ad doctrinam Eccleſiæ ſuæ non pertineret. Præ omnibus tamen dicta tua apertiſſime mendacii redarguit Jeremias Patriarha Conſtantinopolitanus, qui etiam rogatus, noluit cum Proteſtantibus communionem habere; ſiquidem in cenſura Auguſtanę Confeſſionis hæc habet: *Statuit Eccleſia Catholica, quod conſecratione facta, Panis mutatur in ipſum Corpus Chriſti, & Vinum in ipſum Sanguinem, Panis videlicet fermentatus, non infermentatus. Dominus enim non dixit: Hoc eſt azymum, aut typus Corporis, ſed hoc eſt Corpus meum, & Sanguis meus. Nec equidem data eſt tum Caro Domini, quam geſtabat, ad edendum diſcipulis, nec Sanguis bibendus*, quaſi in fruſta concideret Carnem ſuam, aut exhauriret venas Sanguine: *Aut etiam nunc in ſacro hoc ritu deſcendit Dominicum Corpus e Cælo*, quaſi in Cælo non remaneat: *Blaſphemum id eſſet. Sed & tunc, & nunc, invocatione, & gratia omnipotentis, & myſteriorum operatoris Spiritus, per ſacras preces, & orationes, Pane in ipſum Domini Corpus, & Vino in ipſius Sanguinem converſo, & mutato.* Et poſt pauca: *Non igitur typus eſt, aut azymum quoddam Dominici Corporis, Panis qui a Sacerdote perficitur, ſed fermentatum, & ipſum Domini Corpus.* Ecce Eccleſiæ Græcę Schiſmaticę ſupremum caput, impiam Calvini, & Lutheri doctrinam proſcribit, veritatem realis præſentiæ Chriſti in Euchariſtia confitetur, figuras & typos rejicit, Tranſubſtantiationem ſtatuit, ac demum ſive ignorantia, ſive malitia Picenine tua, qui iſta aut neſciebas, aut diſſimulabas, plene victa manet, & confuſa. Quæ tamen ignorantia, ſeu malitia impudentior apparet Apolog. *pag.* 577., ubi pertinax in aſſerendo, Tranſubſtantiationem *ab hodiernis Græcis negari*, id probare non times *Confeſſione Cyrilli eorum Patriarcha*. Nam, ignoras, vel ignorare

fingis,

ſingis qui eſset *Cyrillus*, & quomodo Confeſſio ejus, vera, aut ſuppoſita, ab Eccleſia Græca recepta fuerit? Cyrillus Lucari Jeroſolymitanus Patriarcha, ut Calvini adhæreret impiis dogmatibus, a ſua Eccleſia defecit, Patriarchali fide fœdiſſime proſtituta, ut legitur apud Græcum *Allatium* contra *Creigton pag. 499.*; quamobrem tam verum eſt in iſtius Confeſſione contineri Greeæ Eccleſiæ doctrinam, quam verum ſit in Inſtitutionibus Calvini Romanæ Eccleſiæ doctrinam doceri. Vix ad notitiam Græcorum hujuſmodi Confeſſio pervenit, quod eam omnes deteſtati ſunt: & Cyrillus Berœenſis, *Lucari* ſucceſſor, primus eam damnavit, deinde Parthenius, nedum in Synodo Jaſſii Moldaviæ celebrata, quam Conſtantinopoli anno 1642., ubi relatis 18. Capitulis Confeſſionis editæ ſub nomine *Lucari*, ſingillatim omnes tanquam hæreticam doctrinam continentes contrariam Orientalibus Eccleſiis proſcripti fuerunt; potiſſimum autem Calvini dogma contentum in *Cap.* 17. circa præſentiam Chriſti fuit reprobatum, *tanquam plenum omni iniquitate*. Cum autem id ſatis viſum non ſit ad effrænem Calviniſtarum audaciam compeſcendam, qui nihilo ſecius rudes impudentius fallebant, jactantes ipſorum dogmata eadem eſſe, ac illa Græcæ Eccleſiæ; hæc in Synodo Jeroſolymitana ſub Doſitheo ann. 1672. Apologiam edidit, in qua dubium eſſe probat, præfata Capitula *Lucari* ſuppoſita, ipſius eſſe legitima: quæ ſi ejus eſſent, declarat *cap. 3., Cyrilli Confeſſionem nullatenus eſſe, nec dici poſſe Orientalis Eccleſiæ Confeſſionem, nemini non compertum, niſi inſanientis, & aperte veritati contradicere ſtudenti*. Deinde deſcripta vera Confeſſione ſua, oppoſitam omnino Calviniſtarum, & *Lucari* Confeſſioni eſſe demonſtrat, noſtræ vero conformi, indicto anathemate Cyrillo in omnibus dogmatibus, quæ cum Calviniſtis profitetur. Quod vero ad articulum attinet Euchariſtiæ, ſic decernit: *Cyrillo dogmatizanti, & credenti Panem, qui in Altari proponitur, ac Vinum, nequaquam per Sacerdotis benedictionem, & Sancti Spiritus adventum, in verum Chriſti Corpus, & Sanguinem converti ... anathema*. In Capitulo 17. fatetur apertiſſime Tranſubſtantiationem contra Lutherum, & Chriſtum eſſe in Sacramento *non penes conjunctionem, qua propoſito Euchariſtiæ Pani Verbi divinitas ſubſtantialiter uniatur, quemadmodum inſcite juxta, ac miſere Lutherani arbitrantur, ſed vere, realiterque, quatenus Panis, & Vini facta conſecratione, tranſmutetur, tranſubſtantietur, convertatur, tranſeat &c. Panis quidem in ipſum Domini Corpus verum .... Vinum vero in ipſum Domini Sanguinem verum converti, ac tranſubſtantiari*. Simul etiam realis præſentia palam ibi aſſeritur, his verbis: *Item facta Panis, & Vini conſecratione, non Panis, nec Vini manere amplius ſubſtantiam credimus, ſed ipſum Corpus, & Sanguinem Domini, ſub Panis, & Vini ſpeciebus, id eſt ſub Panis accidentibus*. Aſſeritur: *Manibus, dentibuſque concidi quidem Domini Corpus, ac dividi; verum per accidens dumtaxat, ſive penes accidentia Panis, & Vini*. Inde ſtatuitur adoratio: *Supremo colendum honore, cultuque latria idem Domini Corpus, & Sanguinem eſſe adorandum*. Quod Miſſa ſit: *Verum, ac propitiatorium Sacrificium, quod pro fidelibus omnibus, tum vivis, tum defunctis, necnon & pro utilitate omnium offertur*. Uno verbo, ibidem aſſeritur quidquid a nobis creditur, ſive in hoc, ſive in aliis articulis. Legatur Tomus 4. *de fides perpetuitate ſuper Euchariſtiam*, & Arduinus Tom. II. Conciliorum. Audebis ne ſycophanta ultra dicere, *Tranſubſtantiationem ab Eccleſia Græca in præſens negari*, & in ejus argumentum proponere *Confeſſionem Cyrilli Lucari*? Euchariſtia quod jejunium frangat, ac de ipſa eveniat ſicut de reliquis cibis, mendacium eſt fœdiſſimum Nicetæ auctoris *Stercoraniſtarum*, refutatum ab Algero *Lib. 2. de Sacram. cap. 1.*, & ab Humberto Cardinali *Tom. 4.*

Bibl.

Bibl. PP. Nec te pudet hoc argumento ſordido comprobare fidem totius Eccleſiæ Græcę, etiam ſchismaticæ!

133. Reſtat duos Pontifices a calumniis tuis expiare. Primus eſt Gregorius VII., cui imponere non dubitas, hæſitaſſe in fide circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & Tranſubſtantiationem, quia antequam damnationis ſententiam contra Berengarium pronuntiaret, jejunia indixit, quo veritas ſibi latius innoteſceret. Verum quæ Synodus, ante proſcriptionem errorum, & decretorum ſanctionem, preces, & jejunia non præmiſit? Igitur cuncti illi Patres in fide dubitarunt. Quo firmior fieret eorum fides, divini Spiritus opem invocabant, quem Deus Eccleſiæ ſuę dedit ad notitiam omnis veritatis. Chriſtus ipſe ſpiritum ſuum æterno Patri commendavit, ideone de propria ſalute dubitabat, quemadmodum Calvinus impiiſſime blaſphemavit? Hæc calumnia in maligno decreto adverſus Gregorium a Conciliabulo Brixini Bavariæ concinnato cuſa fuit, cum Henricus furore percitus ipſum deponi curavit, ejus Cathedræ ſuffecto Clemente III. nuncupato, qui erat Gibertus Ravennatenſis Epiſcopus, infenſus Gregorii inimicus. Ibi damnarunt Gregorium *tanquam Catholicam, & Apoſtolicam Fidem de Corpore, & Sanguine Domini in quæſtionem revocantem, veterem Berengarii diſcipulum.* Hinc eam improbe calumniator tranſcripſiſti. Nec vides miſer eodem ictu te ipſum ad internecionem confodiſſe, dum ſic ipſe probes illo ſeculo hæreſi infectum, immo Berengarii diſcipulum, & Apoſtolicæ doctrinæ omnino contrarium haberi, quiſquis dubitaret de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. Nec valet addere, *potuiſſe Gregorium dubitare, cum res adhuc incerta eſſet quamobrem nono Seculo Bertrami liber proſcriptus non fuit, in quo tamen Berengarii doctrina tradebatur.* Verum qua ratione probatur liber *Bertrami*, ſive *Ratbrami*, Berengarii doctrinam tradere? Quanquam Baſnages, Albertinus, Claudius, aliique Calviniſtæ id effutiant, ipſi tamen Magdeburgenſes id negant, Centuria 9. ſcribentes: *Tranſubſtantiationis habet ſemina Bertramus; utitur enim vocabulis commutationis, & converſionis.* In illo libro, ſi propoſitiones quædam duræ quadantenus habeantur, quæ explicatione indigeant, rei tamen ſubſtantia omnino favet reali præſentiæ, & Tranſubſtantiationi. Neque tam propria, & nitida ſcribendi ratio exigenda eſt ab Auctore in ſimplicitate ſcribente, antequam hujuſmodi articulus in contentione eſſet; quippe qui pariter Patres revolvat de Trinitate agentes ante Arianam hęreſim, non ita perſpicue, nitideque de hoc myſterio loquentes inveniet, ſicut poſt hæreſim ceteri Patres accuratius fecerunt: nec ideo quiſquam audebit primos illos Patres velut Arianæ hæreſis fautores traducere. Alter Pontifex, quem calumniis vexas, eſt Innocentius III., qui in *Lib. de Myſt. Miſſæ cap. 7.*, plebi explicaturus in Euchariſtia accidentia remanere, & proprietates Panis, utitur vocabulis *Paneitatis*, *Vineitatis*, *quam novam* appellas *doctrinam*, *& barbaras voces*. Sed D. Auguſtinum adire debebas *Lib. 4. de doct. Chriſt. cap. 10.*, ubi docet: *Evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene ſonet, ſed quid bene indicet, atque intimet quod oſtendere intendit.* Hæ *barbaries*, a cultiſſimo Rethore noſtro aurei Seculi Scriptore elegantiſſimo notata a D. Auguſtino dicitur *diligens negligentia*; ad quam converſus Innocentius III., ut Panis, & Vini proprietates diſtincte explicaret ab eorum ſubſtantia, ne æquivocatio fieret, vocabula adhibuit *Paneitatis*, *& Vineitatis.* Nova vero hæc doctrina a te dicitur, vetuſta tamen, ut hactenus probavi, a me aſſeritur.

134. Lutherani Corpus, & Sanguinem Chriſti in Euchariſtia eſſe affirmant, Calviniſtę e contra negant; nihilominus, juxta decretum Synodi *Charentoni* habitæ ann. 1581., Lutheranos ſecum ad communionem, & ad

Cœnam recipiunt, dicentes cum ipſis convenire in Articulis formalibus; & Dallæus pro Eccleſiis, quas Reformatas dicunt, ita ſe exprimit: *Huic opinioni nihil eſſe veneni, nec ad aliquid inducere, quod ſit contrarium pietati*. Porro ſi in ore Lutherano realis Chriſti præſentia nihil habet veneni, nec quidquam refert pietati contrarium, quare in ore Catholico toxicus efficitur peſtilentiſſimus, nonniſi horrore exaudiendus? Nunquid, quod a Lutheranis Tranſubſtantiatio rejicitur, quæ tanquam fidei dogma a nobis defenditur? Verum reali præſentia poſita, negari non poſſe Tranſubſtantiationem, veſtri Confectarii ipſi fatentur. Theodorus Beza *lib. de Cœna* contra Weſtphalum, apud *Nat. Alex. Secul.* XV. & XVI. *ar.* 12. §. 2. *num.* 63., & in libro inſcripto *Converſio Joannis Georgii Rhati pag.* 418. & 420., ubi habetur, realem præſentiam tueri non poſſe, *quin Tranſubſtantiatio ſtatuatur*; & alibi: *Vel Tranſubſtantiatio ponenda eſt, vel tropus*. Videatur *ad* 1. *p. lib. Brentii pag.* 220. Zacharias Urſinus *in Catecheſ. qu.* 78. *de conſubſtantial.* §. *Nam: Lutherani finxerunt aliud abſurdius de penetratione corporum, & longe quam Papiſtæ a veritate receſſerunt.* Bullingerus etiam, Muſculus, & Scultetus id fatentur. Itaque cum nihil veneni ibi ſit ſi Dallæum audiamus, inſit autem ſi aliis attendamus, peſtilentior abſque Tranſubſtantiatione, quam cum ipſa erit eadem præſentia.

ARTICULUS XIII.

De Venerabili Sacrificio Sanctæ Miſſæ.

§. I.

Sancta Miſſa verum eſt Sacrificium, propitiatorium, commemorativum, & applicativum.

1. T*ranſubſtantiatione devicta, non eſt grandis induſtria Sacrificium Miſſæ conterere, quod de ſe præceps ruit.* Ita Picentine thraſo jactas Apolog. *pag.* 177. Stulto autem juxta ſtultitiam ſuam reſpondeo: Stante Tranſubſtantiatione, & reali præſentia Corporis Chriſti, nullius negotii eſt Sanctæ Miſſæ Sacrificium tueri, quod de ſe ſtat: ſiquidem quomodo propitiatorium non erit Sacrificium, in quo non nudus Panis, ſed verum Corpus offertur, & Sanguis Jeſu Chriſti? Quomodo non omnes ex ipſo ſequentur effectus, quos ſequi docent Catholicæ Scholæ? Latras, *Architectos non convenire in hujus altæ Turris ædificio. Bellarminus Lib.* 1. *de Miſſ. cap.* 5., *vult cum Trident. Synodo ſeſſ.* 22. *Miſſam eſſe Sacrificium propitiatorium. Panigarola eam vult Sacrificium applicativum, & commemorativum.* Sed in Babele pſeudoreformationis Architecti ſe ſe confundunt, quod qui velit certo cognoſcere, ſequentia attendat Bullingeri verba in Lib. inſcripto *Fundam. firmum par.* 1. *cap.* [illegible]: *Ipſi inter ſe Evangelici acriter pugnant, & pugnant, & hinc audiuntur inter nos infelicia partium nomina Lutheranorum &c. Commovet vehemens, & implacabilis diſſenſio non paucos, adeo ut animum veluti deſpondentes, dicant ſe poſthac nihil amplius, niſi quod ipſis libeat, credituros; quinimmo fidem abjicientes clamant: Quid, oro, fidei in tot factiones diſtracta tribuas?* Enimvero in hac re tercentum diverſæ interpretationes numerantur ad hæc duo verba *hoc eſt Corpus meum*. Catholici unius populus unius linguæ ſunt in Sacrificio Miſſæ: quodque a Bellarmino traditur ex Tridentina Synodo, ab omnibus recipitur, & commendatur, præſertim a Panigarola, in quem pugnas, quin hoſtem in faciem aſpicias. Etenim ipſe Lect. 17. *pag.* 294. verba faciens de Miſſa, Sacrificium eam eſſe affirmat propitiatorium, dum de Sacrificio Crucis, & Euchariſtiæ aſſerat „ Horum utrumque, ad differentiam „ Sacrificiorum quæ gratiarum actionis, & laudis erant, propitiatorium eſt quod utcunque remiſſionem operetur peccatorum „. Quæ autem uniuſcujuſque ſit propria operandi

randi ratio, ſic explicando proſequitur „ Diverſe admodum: quia illud „ Crucis remiſſionem operatum eſt „ peccatorum ad ſufficientiam pro „ omnibus, iſtud vero remiſſionem „ peccatorum a primo operatam, iis „ applicat, qui ſibi eam applicari volunt „. Et *pag.* 205. „ Inſtituit „ Sacrificium non modo applicativum, „ ſed & commemorativum, dicens *hoc* „ *facite in meam commemorationem*, ut „ eodem tempore, & applicatio nobis fieret, & præſentiſſima commemoratio ſummi beneficii Paſſionis ſuæ „. Igitur Miſſam appellare applicativum, & commemorativum Sacrificium, non eſt propitiatorium ipſum negare, ſed unice explicare quæ diverſa ratio ſit Sacrificii propitiatorii in Miſſa, & in Cruce.

2. Veruntamen Apologiæ *pag.* 377. neque propitiatorium eſſe vis, neque applicativum, rauce clamitans: *Prima Cœna, quam Chriſtus inſtituit, Sacrificium fuit propitiatorium, nec ne?* Inde: *Ergo Chriſtus Deo ſatisfecit antequam Deo ſatisfaceret, quia in Cœna mortuus eſt, antequam moreretur in Cruce.* Quæſo, antequam Chriſtus moreretur in Cruce, & in perſona ſatisfaceret Deo pro peccatis hominum, in quo fiebat remiſſio peccatorum? Quinam ſanguis propitiatoria eſſe faciebat vetera Sacrificia? Nunquid animalium ſanguis? Non equidem, clamat D. Paulus *Hebr.* 10. 4.: *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Sanguis igitur Chriſti in animalium ſanguine deſignatus, & per fidem veterum Patrum applicatus efficacia, & propitiatoria eſſe faciebat illa Sacrificia, quare dicitur Chriſtus myſticus Agnus, qui *occiſus fuit ab origine Mundi. Apoc.* 13. 8.; nam ſanguis eius ſemel ab æterno Patre pretium ſtatutus, ab ipſa origine Mundi propitiatio fuit his, quibus fuit applicatus. Ecce tibi Chriſtum Deo ſatisfacientem, antequam Deo ſatisfaceret, quia in antiquis Sacrificiis immolabatur, antequam immolaretur in Cruce. Igitur ſi vetuſta Sacrificia, quæ figuræ erant Sacrificii Crucis, ab iſto propitiationis virtutem habuerunt, tametſi mille, & mille annis præceſſerint, quid non hanc virtutem aſſequi potuit Sacrificium Cœnæ, ad horas præmiſſum Cruci: quodque in illis umbra, & figura tantum ipſius Sanguinis erat, in hoc veriſſime, & re ipſa habebatur? Secula, & ſecula ante Crucis Sacrificium poterat applicari, nec idipſum fieri poterat a Chriſto nocte ante paſſionem ſuam, quando Sacrificium, ſi nondum conſummatum, ab illa hora jam erat incœptum? Primo actu, quo Verbum incarnatum Corpus, & Sanguinem ſuum obtulit æterno Patri, nonne pretium erogavit ſufficiens ad redemptionem Univerſi? In Cœna autem, dum Chriſtus poſt tot meritorios actus, Corpus, & Sanguinem ſuum æterno Patri obtulit, non potuit hac oblatione propitium eſſe? Nec Picenine vides, quam ridiculoſa ſint quæ deducis? Chriſtus Sacrificium obtulit in Cœna, & in Cruce. Hoc Sacrificium fuit, & conſummatio *Redemptionis*, illud *Religionis* Sacrificium fuit. Hoc ipſe ſolus obtulit, & pretium fuit peccatorum omnium noſtrum, illud jugiter ipſe offert Sacerdotum manibus, ut pretium in Cruce ab ipſo ſolutum cuique noſtrum applicetur. Hoc ſemel perfectum, non eſt reiteratum, quia pretium ſuperabundavit per omnia ſecula: illud voluit a nobis reiterari, ut commemoratione paſſionis ſuæ, juxta neceſſitates noſtras, pretium nobis tribueretur; ideo dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Itaque quæ ipſe fecit & nos facimus. Chriſti Cœna Sacramentum fuit, & Sacrificium: menſa fuit, & Altare. In ipſa Chriſtus accepit Panem, convertit in Corpus ſuum, Patri obtulit, Apoſtolis diſtribuit. Hæc omnia & nos facimus. Quam obrem Cœna noſtra eadem eſt, ac illa quam Chriſtus inſtituit, & ibi ſi aderant *Communio*, & *Communicantes*, hic etiam adſunt, ſi qui adſunt ſint recte diſpoſiti: nec tamen impii communionem ſumere debent quia Chriſtus

Judæ communionem dedit, ſi D. Paulo credamus, qui 1. *Cor.* 11. monet: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Propterea non qui adſtant omnes communicare debent, ſed qui ſibi probati ſunt, & poſtulant communicare. Loquendo de calice te Picenine fugiit probare neceſſarium eſſe, & a Chriſto præceptum, ipſum accipi ab omnibus Sacramentum ſumentibus, non autem a ſolis Sacerdotibus, qui quemadmodum Chriſtus fecit, Sacrificium offerre tenentur. Si omnes bibere debent calicem, quia Chriſtus Apoſtolis dedit, dicens *hoc facite*, cur non omnes etiam accipiunt in manibus panem, non benedicunt, non frangunt, non denique dicunt *hoc eſt Corpus meum*, ſed hæc omnia a ſolo fiunt miniſtro? Si quod Chriſtus dixerit *facite*, omnes tenentur bibere calicem, quid non omnes tenentur benedicere, frangere, proferre ſuper panem quæ Chriſtus pronuntiavit? Parum admodum confert deliriis tuis muſſitare, *in Cœna Chriſti nullam adorationem fuiſſe, nullam elevationem*, nam hujuſmodi ritus non mutant Sacrificii eſſentiam, ſi eadem eſt victima, idemque Sacrificii finis. Intentum tuum erat probare, ſi tamen poteras, quod Chriſti Cœna Sacrificium non fuerit propitiatorium, non tentare, quod eſt probatu impoſſibile, noſtrum Sacrificium non illud eſse, quod Chriſtus fecit.

3. Poſtulas etiam Apolog. *pag.* 378. a Panigarola, *quomodo Euchariſtia eſſe valeat Sacrificium applicativum, ſi Chriſtus quotidie immolari debet, ut fructum nobis tribuat Sacrificii ſui?* Verum petitiones iſtas vaniſſimas D. Auguſtinus rejicit, inquiens *Epiſt.* 23. nunc 98.: *Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſe ipſo, & tamen in Sacramento, non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die, populis immolatur, nec mentitur, qui interrogatus, eum reſponderit immolari.* Si ad nauſeam uſque inſtes: *Hoc eſt, ac dicere: Chriſtus quotidie naſci debet, ut fructum mihi applicet nativitatis ſuæ: Mori quotidie debet, ut fructum mihi applicet mortis ſuæ: Reſurgere ſingulis diebus debet, ut fructum mihi applicet reſurrectionis ſuę*, iterum S. Doctor admonere te non ceſſat, ex ipſa memoria quotidie ſpiritualiter nobis naſci: ex ipſa memoria ſpiritualiter quotidie immolari: ex ipſa memoria ſpiritualiter quotidie reſurgere: *Ex ipſa memoria (in Ps. 75.) quotidie nobis ſic immolatur, quaſi quotidie nos innovet, qui prima gratia ſua nos innovavit.* Itaque quemadmodum mihi applico ſuę mortis fructum memoria mortis, ſic memoria Sacrificii mihi applico fructum Sacrificii: *Quotidie nobis ſic immolatur.* Hęc tamen applicatio mortis, & Sacrificii ſui, quam facio mihi, ſpiritualis eſt dumtaxat, niſi quod aliquo ſenſibili egeo, quodque applicatio fiat per Sacramentum: etenim ut regenerer ex morte ſua ad gratiam, fidei tantum applicatio non ſufficit, ſed ultro requiritur aqua Baptiſmi. Igitur ut mihi fiat Sacrificii applicatio, ſola memoria non ſufficit, ſed vult mihi applicari per Sacrificium ſui Corporis, quod ad hunc finem inſtituit: *Hoc facite*, ideſt: Offeretis Corpus meum, & Sanguinem meum ſub ſpeciebus Panis, & Vini, in commemorationem illius quod ego obtuli in Cruce. Subdis: *In Baptiſmo, abſque Sacrificio, mihi applicatur fructus mortis Chriſti, etenim Rom. 6. 4. Conſepulti ſumus cum Chriſto per Baptiſmum. Neque opus eſt de Cœna Domini Sacrificium facere applicativum, contradictionum, & abſurditatum plenum, & vere ineffabile.* Si in veteri lege per Circumciſionem applicabatur Sanguis Chriſti abſque Sacrificio, quid tot inde oblationes, victimæ, & Sacrificia, ut applicaretur Sanguis Chriſti? Baptiſmus reſpondet Circumciſioni, ſive, ut autumant alii, aquis Diluvii, ſive tranſitui maris, quæ omnia Sacrificia non erant: ſed Euchariſtia, cum ſit memoria Sacrificii Crucis, cujus figuræ erant vetera Sacrificia, debet & ipſa eſſe Sacrificium. Si in Baptiſmo inſpicimus Chriſti Sanguinem, velut lavacrum purgans ſordes noſtras,

in

in Euchariſtia habetur Corpus, & Sanguis Chriſti, ut victima oblata æterno Patri ad redemptionem noſtram: idcirco hoc eſt Sacrificium, non illud. D. Auguſtinus in *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 20., poſtquam egerat de Sacrificio Crucis, ita diſſerit: *Cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſia Sacrificium, quæ, cum ipſius capitis corpus ſit, ſe ipſam per ipſum dicit offerre. Hujus veri Sacrificii multiplicia, variaque ſigna erant Sacrificia priſca Sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur... Huic ſummo, veroque Sacrificio, cuncta Sacrificia falſa ceſſerunt.*

4. Neque Apolog. *pag.* 378. Cœnam vis eſſe Sacrificium commemorativum, quippe ais: *Offerre Chriſtum, ut habeatur commemoratio Sacrificii ſui, eſt velut morti Chriſtum tradere, ut commemoratio habeatur mortis ſuæ. Cœna non eſt Sacrificium commemorationis, ſed commemoratio Sacrificii Jeſu.* Utique eſt Sacrificium commemorativum, quia in Miſſa Sacerdotum manibus ſub ſpeciebus *Panis*, & *Vini* offeruntur ęterno Patri illud idem Corpus, & Sanguis, quę in propria ſpecie oblata fuerunt in Cruce: quare non ſola commemoratio, ſed verum eſt Sacrificium, etſi illius commemorativum. *Facite, ait Chriſtus, in meam commemorationem.* At quid inde? Sacrificia Moſaica, ait D. Auguſtinus *in Pſal.* 49., *erant tunc prænuntiantia futurum quoddam Sacrificium, cujus Sanguine mundaremur*, et etiam erant vera Sacrificia: attamen quid in ipſis offerebatur? Victimæ brutorum, ſanguis agnorum, umbræ, figuræ futuri boni, nempe Chriſti. Agnus paſchalis immolabatur in memoriam tranſitus, & ſanguinis illius Agni, quo domus Hebræorum tinctæ fuerunt, ut Iſraelitæ illum ſanguinem aſpicientes, recordarentur tranſitus Domini: *Et cum dixerint vobis filii veſtri: Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis: Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit domos filiorum Iſrael in Ægypto. Exod.* 12. 27. Et tamen vere erat commemorativum Sacrificium, nec ſola facti jam Sacrificii commemoratio! In Cœna autem, in qua Æterno Patri offertur idem Corpus, & Sanguis Chriſti in memoriam Sacrificii ab ipſo facti in ara Crucis, non erit verum Sacrificium? Si Sacrificia Moſaica, quanquam figurativa, & prænuntiativa Sacrificii Crucis, & Sacrificium Agni, etſi commemorativum tranſitus, vera fuerunt Sacrificia, etiam Cœna, etſi commemorativa Sacrificii Crucis, erit verum Sacrificium; immo cum iſtud ſubrogatum fuerit Sacrificio Paſchatis, velut figuratum figurę, illud cum eſſet Sacrificium, potiori jure etiam iſtud. Tu non capis, *Cœnam eſſe Sacrificium, cum ſit commemoratio, & repræſentatio Sacrificii.* Sed hoc argumentum ſe ipſum diſſolvit, ſiquidem cum Euchariſtia viva ſit repræſentatio Sacrificii Crucis, & ipſa debet eſſe Sacrificium, quippe nunquam fieri poterit viva repræſentatio Sacrificii a Chriſto facti in Cruce, niſi alio Sacrificio alio modo facto: potius autem dicendum erit nihil eſſe, quod melius Sacrificium, & oblationem repræſentet, quam aliud Sacrificium, & oblationem, alias fieret imperfecta reprę ſentatio. Euchariſtia perfecte repræſentat Sacrificium Crucis, ideoque ipſa eſt Sacrificium, & oblatio, ſecus nullum ex priſcis Sacrificiis, quæ omnia figuræ erant repræſentativæ Sacrificii Crucis, verum fuiſſet Sacrificium: quod ſi illa fuerunt, licet in umbris repræſentantia, potiori jure Euchariſtia Sacrificium erit, quæ viva eſt repræſentatio, in qua illa eadem victima offertur, quæ oblata fuit in Cruce, nimirum idem Corpus, & Sanguis Chriſti. Nec valet objicere, *illa vera fuiſſe ſacrificia, quia Crucis Sacrificium nondum impletum fuerat, quod cum modo perfectum ſit, ſuperflua eſt repræſentatio, quæ ſit Sacrificium.* Etenim, quid ergo Hebræi Sacrificio Paſchalis Agni repræſentabant ſingulis annis aliud Sacrificium alterius Agni, jam in Ægypto immolati, cujus ſanguine ſervati fuerunt ab Angelo exterminatore? Si Hebræi alio Sacrificio celebrabant commemorationem Sacrificii jam olim facti, Chriſtus pariter

riter vult a nobis alio Sacrificio recoli memoriam Sacrificii, quod ipſe impleverat in Cruce. Totum hoc commendat D. Auguſtinus *Lib.* 20. *contra Fauſtum cap.*21., ubi poſt dictum, minus eſſe a memoriis Martyrum ebrium diſcedere, quam jejunum ſacrificare Martyribus, ſubdit: *Sacrificare Martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis Martyrum, quod frequentiſſime facimus illo dumtaxat ritu, quo ſibi ſacrificari Novi Teſtamenti manifeſtatione precepit ... hujus Sacrificii Caro, & Sanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in Paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoriæ celebratur.* Ecce quod Auguſtinus fatetur Sacrificium eſſe Sacramentum memoriæ. Videatur idem S. Doctor *Lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 28., & Chryſoſtomus *Hom.* 17. *in cap.* 10. *ad Hebr.* Sed præ ceteris audiatur Bertramus ille, ſive Rathramus, quem ſupra tibi favere jactabas: *Quod ſemel fecit* (Chriſtus) *nunc quotidie frequentat. Semel enim pro peccatis populi ſe obtulit, celebratur tamen hæc eadem oblatio ſingulis per fideles diebus, ſed in myſterio, ut quod Dominus Jeſus Chriſtus ſemel ſe offerens adimplevit, hoc in ejus paſſionis memoriam quotidie geratur per myſteriorum celebrationem .... nec tamen falſo dicitur, quod in myſteriis illis Dominus vel immoletur, vel patiatur ... quoniam illius mortis, atque paſſionis habere ſimilitudinem, quarum exiſtunt repræſentationes: unde Dominicum Corpus, & Sanguis Dominicus appellantur &c.*

5. Dixerat Panigarola, ipſos Proteſtantes Corpore Chriſti incruento uti, ut ſibi applicent meritum ipſius cruenti. At in ipſum ferox & minax, Apolog.pag.370. clamas: *Quid Tu meam fidem contaminare velles? Inter me, & te magnum diſtat chaos.* Idem ſane chaos inter te, & Panigarolam, quod inter Epulonem, & Lazarum, & reliqua quæ ſcripta ſunt apud D. Lucam. Hanc tamen chordam pulſare mittam, cujus ſonus ingratus nimium ſit Proteſtantibus. Eja vero, male locutus ſit Panigarola. Scire tantum lubet, quid ſit magnum iſtud chaos. *Cœna mea* (ais) *eſt pro communicantibus; Miſſa tua eſt etiam ad medelam brutorum & ad bonas ſemitas viatorum.* Hæc tua Cœna communicantibus nil prodeſt ex eo quod accipiunt, cum ſit ſimplex panis: prodeſſe ipſis poſſet fides, qua fruſtum illud panis ſumentes, Chriſti paſſionem meditantur; cum tamen hujuſmodi fidem in ſe valeant excitare, vel concionis auditu, vel lectionis ſonitu, vel aſpectu pictæ tabulæ, quæ Chriſti paſſionem, & mortem repræſentet, vel tandem movente quovis ſenſibili, propterea dico iterum hujuſmodi Cœnam nihil prodeſſe, e contra ſancta Miſſa mea ex eo quod offertur ſcilicet Corpore, & Sanguine Chriſti, maxime prodeſt & ipſi offerenti, & illi pro quo offertur, ſicut & communicantibus, & adſtantibus, quibus omnibus gratia abunde confertur: principaliter autem animæ ſalutem operatur, ſecundario vero alia etiam temporalia bona. In pſeudoreformatione tua preces ne unquam funduntur ad temporalia vel vitanda, vel aſſequenda? Si peregrinatio ſuſcipitur, nonne pro fauſto exitu orationes fiunt, quæ dum fiant, nonne Chriſti merita interponuntur, ſine quibus nihil eſt, quod obtineatur? Nos præter orationes, eadem merita in Miſſæ Sacrificio interponere ſatagimus, ubi juxta Dei verbum habemus Corpus illud quod pro nobis crucifixum fuit, Sanguinem illum, qui pro nobis effuſus eſt: & tamen nolles ad iſta nos confugere, ut bona quæcumque accipiamus, ſive animæ, ſive corporis? Abſtine potius tu ad tuam Cœnam confugere, in qua nihil habes præter panem, & vinum.

6. *Cœna mea* (ſubdis) *eſt pro vivis, qui credunt; Miſſa tua pro mortuis etiam eſt, quibus prodeſt ex opere operato.* Iterum repeto, Cœnam tuam, quia non eſt niſi ſenſibile votum, non aliud valere, quam excitare fidem: mea vero Miſſa, in qua Corpus & Sanguinem Chriſti offero, *ex opere operato* prodeſt vivis, & defunctis, cum

nulla

nulla ſit efficaciæ Sanguinis Chriſti apponenda limitatio. Defuncti nondum expurgati poſſunt Paſſionis illius fructus participare, ut oſtenſum eſt; & cum membra ejus ſint, apta ſunt ad ejus influxus recipiendos. Mos offerendi pro defunctis communis fuit apud veteres, quamobrem inquiebat Tertullianus: *Oblationes pro defunctis pro natalitiis* (Martyrum) *annua die facimus.* Ita in *Lib. de coron. milit. cap.* 3., qui ut indicet de Sacrificio loqui, in *Lib. de exhort. ad caſtit. cap.* 11. aſſerit hujuſmodi oblationes fieri *per manus Preſbyterorum*. D. Cyprianus *Ep.* 9. *ad Clerum &c.* teſtatur, prædeceſſores ſuos ſtatuiſſe, quod ſi quis morti proximus, curatorem, vel tutorem Clericum deſtinaſſet, *non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Audiatur Chryſoſtomus *Homil.* 3. *ad Philipp.*: *Non fruſtra hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, ut in venerandis inquam, atque horrificis myſteriis memoria eorum fiat, qui deceſſerunt. Noverant hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis. Etenim tempore quo univerſus populus ſtat manibus paſſis, ac cœtus Sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens Sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro iſtis orantes?* D. Cyrillus *Catecheſ. myſt.* 5.: *Deinde pro defunctis Patribus, & Epiſcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita defuncti ſunt, maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur obſecratio ſancti illius, & tremendi, quod in Altari poſitum eſt, Sacrificii &c.* Vincentius Victor, adverſus quem Auguſtinus libros ſcribit *de Anima, & ejus origine*, in *Lib.* 1. *cap* 9., coactus probare quomodo pueri decedentes ante Baptiſmum, poſſent ab originali peccato redimi, reſpondet: *Sane pro eis oblationes aſſiduas, & offerenda jugiter ſanctorum cenſeo Sacrificia Sacerdotum*; cui D. Auguſtinus non negat Sacrificia eſſe offerenda pro mortuis, ſed ait: *Quis enim offerat Corpus Chriſti, niſi pro iis, qui ſunt membra Chriſti?* Porro ſi Sacrificium Miſſæ non ſit offerendum pro mortuis, & hæc illorum temporum fides eſſet, aut Vincentius id non aſſerere, aut Auguſtinus ipſum redarguere debuiſſet. Verum quomodo Auguſtinus redarguere in aliis, quod ipſe admiſerat, jubens offerri pro Monica Matre defuncta? *Lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 12.: *Cum offerretur pro ea Sacrificium pretii noſtri.* Videatur *de cura pro mort. cap.* 1., *Serm* 32. *de verb. Apoſt.* nunc 172., *&* *Enchirid. cap.* 10.

7. Subjicis *pag.* 370., *in Cœna tua applicari per fidem non Corpus incruentum, ſed cruentum, & ſanguinolentum tui Jeſu. Tu* (ais) *in tua Miſſa habes pro peccato Sacrificium incruentum, quod, ut pone dicam, non eſt pro peccato.* Quid porro hic intelligis? Nunquid fide applicari idipſum Corpus ab Hebræis cruentatum, & intriſum Sanguine? Si id intelligas, nos quoque fatemur idipſum Corpus, effuſione ſanguinis ab Hebræis crucifixum, offerri in Miſſa. Si autem intelligas ipſam applicandi rationem, quam adhibes, cruentam eſſe & cum Sanguine, atrox nimis eſt tua fides, quæ iterum Sanguinem effundi vult e venis Jeſu Chriſti glorioſi, & impaſſibilis. Porro non vides tibi quoque Corpus Chriſti incruenta ratione applicari? Quare ergo nos redarguis, quod Corpus Chriſti cruentum offeramus, modo tamen non ſanguinolento, ſed incruento? Modus quo Chriſtus Corpus ſuum in Cruce obtulit, ſanguinolentus fuit; in Cœna tamen non ita: hac autem ratione & nos offerimus, & ipſum ſumimus, quale nobis Chriſtus dedit; tu autem ſanguinolentum habere vis, quale voluerunt Hebræi. Proſequeris: *Ego utor mediis applicativis a Deo inſtitutis, qualia ſunt fides, & Sacramenta; Tu vero mediis applicativis ab hominibus confictis, qualia ſunt tua incruenta Sacrificia.* Incruentum Sacrificium non eſt humanum commentum, ſed Chriſti donum, ab ipſo inſtitutum, cum mandato faciendi a nobis in ſuam commemorationem, & offerendi Corpus, & Sanguinem ſuum, quemadmodum ipſe obtulit; Cœna autem

Cal-

Calviniſtarum a Chriſto non eſt, qui dixit *hoc eſt Corpus meum*, & ipſi dicunt *hic eſt Panis*. Fremis, nos *Miſſam dicere Sacrificium viſibile. Vides ne* (inquis) *victimam hujus viſibilis Sacrificii? Tu panem vides, ſed non eſt panis quem offers: Corpus vero tibi inviſibile eſt in Hoſtia.* Tua Cœna ſi eſt Sacramentum viſibile, nec tamen vides Corpus Chriſti, cujus Cęna tua figura eſt, quare eam dicis Sacramentum Corporis Domini? Forte dices, in ipſa non ſumi Corpus Chriſti niſi ſub typo panis, atque ideo Sacramentum quidem eſſe viſibile, Corpus vero Chriſti non eſſe viſibile; tum ego, Corpus quidem Chriſti offerri non in typo, ſed in ſubſtantia: attamen cum non in propria ſpecie, & forma, ſed ſub ſpeciebus panis offeratur, Sacrificium viſibile eſt, victima tamen, quæ offertur, inviſibilis. *Item* (inſtas) *in Sacrificio conſummatur, nec amplius remanet quod ſacrificatur, & Arietes, & Agni conſumebantur, & immolabantur. Quid eſt quod in Miſſa conſummatur, & occiditur? Si panis. ecce perit Tranſubſtantiatio, & panis eſt qui ſacrificatur. Si Corpus Chriſti. ergo Chriſti Corpus frangitur, crucifigitur, & moritur in omnibus Miſſis.* Si in Sacrificio conſumitur, nec remanet quod ſacrificatur; in Sacrificio Crucis. quæ quaſo victima conſummata fuit? Si humanitatem dicas, perit Incarnatio, & Neſtorius vicit, qui hominem vult, non Deum ſacrificatum. Si divinitatem aſſeras, atrociſſime blaſphemas, dum putes occidi Deum, & conſummari. Sed puto dices victimam in Calvario immolatam nec Deum ſolum. nec hominem ſolum fuiſse, ſed Deum trabea humanæ carnis indutum, atque hominem occiſum fuiſſe. qui tamen cum Deus ſimul eſſet, ipſo occiſo, immolatus eſt Deus factus homo. Tum ego: In Sacrificio Miſſæ conſummantur, & deſtruuntur ſpecies Panis. Verum quod iſtę in ſubſtantia contineant Chriſti Corpus. fit conſummatio Corporis Chriſti Sacramentati, ideſt non Corporis Chriſti in ſe ipſo, ſed ſub illis ſpeciebus. Ecce Panigarola a *rete* evaſiſſe faciliime, quod jactabas grandi arte ipſi tetendiſſe.

§. II.

D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos favet, nunquam vero contradicit Sacrificio Sanctæ Miſſæ.

8. PAnigarola vix expedito ab aranco primo rete, aliud ipſi tendere eniteris, hiſce contextum jactantiæ verbis Apolog. *pag.* 379.: *Dic Pater Franciſce, cur reiterabantur Sacrificia Synagogæ, niſi quod imperfecta erant, nec poterant expiare peccata? Audiamus D. Paulum* (*Heb.* 10. 11.): *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Apoſtolus contrapoſitionem inſtituit inter Sacrificia veteris Teſtamenti. & Sacrificium Chriſti. & docet ea reiterari, quod imperfecta eſſent, abſque efficacia ſatisfaciendi Deo, hoc vero irreiterabile eſſe, quia perfectiſſimum. Vos vero ſacrificolæ perfectum conceditis Sacrificium Crucis, & tamen reiterabile facitis? Quid hoc, quam contradici, & D. Paulo opponi &c.* Famoſum nempe hoc eſt ſophiſma, quo Diabolus Lutherum ſtrinxit, & ſecum vinctos tenet miſeros Proteſtantes omnes, ut apud ipſum Lutherum videre eſt *Lib. de Miſſ. Angul. tom.* 6. *oper. editionis Jen. fol.* 28. Quemadmodum tamen Sacrificia vetuſta reiterabantur, quia in perfecta, a Sacerdote etiam preces replicabantur: & quemadmodum Sacrificium Crucis ſufficiens pretium fuit ad redemptionem omnium peccatorum, ita Chriſti oratio ad omne bonum nobis obtinendum, dum paſſiones, jejunia, & divina geſta ſua ipſe pro nobis obtulit. Porro. poſtquam oravit pro nobis Chriſtus. cur præcipit D. Paulus 1. *ad Timoth.* 2. 1.: *Obſecro igitur primum omnium. fieri obſecrationes. orationes, poſtulationes gratiarum actiones?* Quid ergo Picenine prætendis, paſſiones, jejunia, bona opera noſtra,

ſtra, ſi non media, conditiones ſaltim, & requiſita eſſe neceſſaria ad aſſecutionem ſalutis, ſi regnum pretio paſſionis ſuæ Chriſtus jam acquiſivit, & nobis largitus eſt? Quid D. Paulus *ad Coloſſ.* 1. 24. aſſerit: *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*, ſi Chriſtus jam ad redundantiam pro ipſo paſſus eſt? Ad evitandum hoc *rete*, hoc unum reſtat effugium, nimirum Chriſtum quidem ad supererogationem pretii pro omnibus ſatisfeciſſe, velle tamen quempiam hoc pretium ſibi appropriare, & applicare paſſionibus, orationibus, & laboribus propriis, non quaſi iſta pretia ſint redemptionis, ſed conditiones, & requiſita, ſine quibus pretium non obtinetur, nec redemptio. *Non valet* (inquis) *reſponſio, quod Miſſa ſit Sacrificium applicativum: medicina autem non nocere ipſius medicinæ applicationem.* Quæſo cur non valet? Si reiterabiles ſunt orationes ut applicativæ, cur Sacrificium non erit ex eadem ratione reiterabile? Si redemptionis Sacrificium ab ipſa perſona Chriſti conſummatum ſemel reiterari nequit, quia Hebr. 10. 15. *una oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos*, reiterari tamen poteſt Sacrificium religionis: & Chriſtus miniſterio noſtro iterum ſe offert in memoriam Sacrificii redemptionis, non quaſi novum erogans pretium, ſed novam inſtituens applicationem illius pretii ſemel ſoluti. Sacrificium quod Chriſtus obtulit in terris, ab eodem coram æterno Patre ſemper reiteratur in Cœlis, ut fructus ejus nobis adveniat: *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis (Rom.8.34.). ſemper vivens ad interpellandum pro nobis (Hebr.7.25.).* Quare non poterit miniſtrorum ſuorum manibus reiterari hic in terris, ut nobis proſit Sacrificium ſemel ab ipſo conſummatum in Cruce?

9. Apolog. *pag.* 380. renuis hic aſſentiri, *quia Tridentina Synodus eandem hoſtiam ait oblatam in Cruce, offerri in Miſſa miniſterio Sacerdotum (Seſſ.22.cap.1.&2.). Ecce apertiſſima reiteratio Sacrificii Crucis, quaſi inſufficientis. Miſſa nequit eſſe Sacrificium applicativum, ut uſque modo probavi &c.* Sed Tridentina Synodus diverſam explicat rationem, qua in Miſſa eadem victima offertur, quæ oblata fuit in Cruce, dum ibi ſolus Chriſtus obtulit, hic Sacerdotum miniſterio. Ibi oblatio facta fuit in pretium, quæ poſt nunquam reiterata fuit, hic fit ad applicationem pretii, quæ juxta indigentiam reiteratur, quamobrem falſiſſimum eſt Sacrificium Crucis inſufficientia notari. Chriſtus in Cruce opus ſuum perfectiſſime conſummavit, cum factum ſit Sacrificium cruentum, expiatorium, & propitiatorium pro peccatis noſtris, & generalis remiſſio. Reliquum eſt ut nos impleamus quæ ad nos pertinent, applicando remiſſionem in ipſo jam completam, quod facimus Sacrificio Miſſæ, quod eſt ipſum Crucis Sacrificium reiteratum, non ex illius imperfectione, ſed ex neceſſitate noſtra, qui cum quotidie dicere debeamus *Dimitte nobis debita noſtra*, opus fuit ſemper nobis præſto eſſe hoc Sacrificium incruentum, ad ſuſceptionem fructus ejus; in quo lex noſtra ſupereminet veteri, quæ duas hoſtias habebat pro peccatis, unam cruentam, incruentam alteram: in prima immolabatur hircus, in alia offerebatur Domino, ſed vivus remanebat. Legatur *Levit. cap.* 16. Sed iſtę umbræ erant. E contra nos in utroque Sacrificio habemus Jeſu Chriſti Corpus, in uno re ipſa occiſum, in alio vivum cum repræſentatione mortis ſuæ, unum impetratorium univerſæ remiſſionis, aliud applicativum particularis veniæ. Nec vociferari refert, Miſſam non eſſe Sacrificium applicativum, *quia Sacrificium Deo fit, nobis vero applicatio*; nam ſummæ ignorantiæ indicium eſt, non diſtinguere inter illum cujus gratia fit Sacrificium, qui Deus eſt, & illum cui applicatur. Omne Sacrificium ſoli Deo fieri probat D. Auguſtinus *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 27. Applicatio tamen Sacrificii non Deo, ſed nobis fit, qui fructum ex eo ſperamus;

ramus; quod ſi recte Picenine conſiderare digneris, videbis, hoc erroneo principio tuo, neque Sacrificium Crucis futurum fuiſſe verum Sacrificium; Deo nempe & ipſum factum fuit, ſed propter nos homines, & applicatum nobis, ut fructum inde ex ipſo referremus.

10. Ineptior autem item eſt alia animadverſio tua, nimirum *applicationem Sacrificii poſteriorem eſſe ipſo Sacrificio*, ex quo infers, *primam Cœnam cum applicativa facti Sacrificii eſſe nequiret, neque fuiſſe Sacrificium applicativum; hinc aut Miſſa applicativum Sacrificium non eſt, aut non eſt eadem cum prima Cœna*. Fallaciſſima verba; etenim veteres Patres Sacrificiis ſuis, nonne ſibi applicabant Sacrificium Crucis, quod tamen nondum impletum erat? Applicatio igitur Sacrificii non ſemper poſterior eſt ipſa conſummatione Sacrificii, ſed ſatis eſt referri ad iſtud, ſive factum, ſive faciendum. Chriſtus ergo in Cœna potuit nobis applicare Sacrificii ſui fructum, etſi nondum ſacrificatus: ſi autem antiqui ſibi applicabant Sacrificium Crucis, quod fieri exſpectabant, mediis aliis Sacrificiis, quæ illius figuræ erant, quare permiſſum non erit nobis applicari Sacrificium Crucis jam perfectum, medio alio Sacrificio, quod ſit illius memoria? In ſumma, tanta inſania, & furore mentis eniteris ab Eccleſia exterminare tremendum Miſſæ Sacrificium, quod, quin attendas quæ profeſſas, mille evomis ineptiſſima, & inſaniſſima verba. Non abſimile eſt exemplum a te allatum, videlicet: *Velut ſi quis debitori applicaret ſatisfactionem vadis per ſatisfactionem alterius, & hanc non veram*. Quis ignorat, in Sacrificio Miſſæ non applicari ſatisfactionem Chriſti vadis per alterius ſatisfactionem, ſed eandem ſatisfactionem a Chriſto pro nobis exhibitam, applicari nobis in Sacrificio Miſſæ Sacerdotis miniſterio, qui Deo offert eandem Chriſti ſatisfactionem, nimirum Corpus ejus, & Sanguinem?

11. Sed redeat D. Paulus, de quo maxime, ſed maligne, gloriaris Apolog. *pag.* 380. &c. Perperam autem agis, quod ut oſtendam, animadverto D. Paulum Epiſtolam ſcribere ad Hebræos illos, qui, quod legem Chriſti ſuſceperant, a ceteris Hebræis ſubſannabantur, quod a perfectiſſima omnium lege diſceſſiſſent, a Deo ipſo lata, cujus Sacerdotes, & Sacrificia ex ipſius præſcripto fuerant inſtituta. Hinc D. Paulus ad eos muniendos contra hujuſmodi inſidias, totus eſt in illa Epiſtola, ut oſtendat, juxta ſtatum illius populi, Chriſtum eſſe Moyſe majorem, Evangelium autem ipſa lege, & ejus Sacrificium excellentiſſimum eſſe præ omnibus veteris legis, quæ nonniſi iſtius umbræ erant, & figuræ. Quocirca ubique per totam Epiſtolam inſinuat differentiam inter Sacerdotium Aaronis, & illud Chriſti, quod eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, & inter vetuſta Sacrificia, & illud Crucis. Hæ diverſæ rationes ſunt, quod Aaron, & ejus ſucceſſores annis ſingulis offerebant in die ſolemni expiationis taurum, & hircum pro peccatis propriis, & populi, omnia tamen iſta Sacrificia non valebant expiare peccata; e contra Chriſtus ſe ipſum offerens, Sanguinem ſuum dedit, qui infinitæ virtutis, expiatio fuit omnium peccatorum. Legatur *Caput* 9. *&* 10. Quare D. Paulus hic comparat cruentum Crucis Sacrificium omnibus legis Sacrificiis, & Sanguinem Chriſti, ac ejus mortem, cum immolatione aliarum victimarum, ſicut excellentiam Sacrificii ſui, cum deficientia veterum Sacrificiorum. Porro quis non videat, ad intentum D. Pauli hic non fuiſſe, neque indirecte indicare Sacrificium Euchariſtiæ incruentum, quod non ſemel, ſed ſæpe offertur? Altera differentiæ ratio erat, quod demortuo Pontifice ſecundum ordinem Aaron, alter ſuccederet par ipſi poteſtate, & auctoritate: ſed Jeſu Chriſto Sacerdoti Summo ſecundum ordinem Melchiſedech, nemo ſuccedere poteſt par in auctoritate; quinimmo cum ex morte ſucceſſio contingat, & Chriſtus ſit Sacerdos

dos in æternum, hac ipſa etiam ratione nemo valet ipſi ſuccedere. Videatur 7. *Caput*. Quocirca Sacerdotes noſtri novæ legis ſunt tantummodo Vicarii, non ſucceſſores Jeſu Chriſti: ipſi non offerunt proprium Sacrificium, ſed illud dumtaxat Chriſti, nec Deo populum reconciliant propria virtute, ſed ſola virtute Chriſti. Quę omnia probant, D. Pauli Epiſtolam nobis non contradicere. Tertia differentiæ ratio eſt, quod vetus Sacerdos quolibet anno victimas mutabat, quanquam ejuſdem ſpeciei acciperet, quare Sacrificium diverſum erat, ſicut res ipſa immolata. Sacrificium autem Chriſti omnino unum eſt, nimirum Corporis, & Sanguinis ſui, ſemel oblatum cruente in Cruce, & quotidie incruente in Eccleſia: quapropter neque hic D. Paulus nobiſcum pugnat, quia in Miſſa ſubſtantia victimæ, vel hoſtiæ oblatæ, non multiplicatur, ut illæ Hebræorum, qui hodie hunc Bovem, aut hircum, cras vero numero alterum offerebant. Neque mors, neque victima multiplicatur, quemadmodum in antiquis, nam Chriſtus ſemel mortuus, & redivivus, jam non amplius moritur, quia Sacrificium noſtrum in re oblata idipſum eſt cum illo Chriſti, ideſt Corpus, & Sanguis ejus, non numero diverſum, ut antiqua erant. Tantummodo diverſa eſt ipſa offerendi ratio: quia in ara Crucis Sacrificium fuit cum reali victimæ immolatione, & morte; in Altari autem cum ſola repræſentatione, & commemoratione mortis. Ex hucuſque dictis qui cæcus non ſit optime videt, quod longe eſſet a negotio D. Pauli minimum quodpiam de Sacrificio Euchariſtico attingere.

12. Nec tamen acquieſcis, immo Apolog. *pag.* 380. perſuadere niteris, Divum Paulum *late deſcribere novi, & veteris Teſtamenti Sacrificia, quin ullam mentionem faciat de Miſſa*: quod tamen quam inepte effutias jam vidimus; nec futile minus eſt quod inde ſubdis, nimirum D. Paulum *de oratione loqui & Sacrificium eam appellare Heb.* 13. 15., *beneficentiam proponere, & Sacrificium dicere Heb.* 13. 16. *Aſt ubi Miſſa? Quare tacet D. Paulus oblationem Panigarola, quam ipſe unicam, propriam, & characteriſticam eſſe aſſerit? Ubi D. Paulus mandat nihil offerendum, quam Corpus, & Sanguinem Chriſti?* In illa Epiſtola D. Paulus neque de Cœna tractat ut Sacramento, ideſt non modo ſilet de Sacrificio Euchariſtico Corporis, & Sanguinis Domini, ſed etiam de ejus manducatione; quamobrem ſi D. Pauli ſilentium argumentum facit contra uſum Sacrificii, probabit etiam, inter neophytos illos nullum Cœnæ uſum fuiſſe: t hæ autem ſolitæ ambages illæ ſunt, quibus Picenine fallendo falleris. Res Divi Pauli non erat de his agere, nihilominus ea indicavit *cap.* 13. *v.* 10., inquiens: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt.* Quodnam autem hoc Altare in nova lege, de quo fideles, non vero Hebræi edere poſſunt? In Cœna Calvini comeditur, ſed Altare non eſt, ſed tantum menſa. Videat doctus lector ubi ſit. Si Altare, ergo & Sacrificium. Si ut commentaris locutus eſt *D. Paulus de Sacrificiis ſpiritualibus orationis, & beneficentiæ*, Chriſtus tamen pro nobis tum Corpus ſuum in ara Crucis, tum ſpiritum ſuum orando pro nobis hoſtiam æterno Patri obtulit. Igitur ſi D. Paulus non obſtante oratione Chriſti commendat nobis Sacrificii laudis iteratam oblationem: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo*, atque: *Talibus* ... *hoſtiis promeretur Deus*, *Hebr.* 13. 15. 16., quare prohibetur nobis corporalis Sacrificii reiteratio? Si reiteratio Sacrificii laudis nullam Chriſto facit injuriam, quare fiet reiteratione Sacrificii Corporis ejus?

13. Audaciſſimus, ut ſoles, Apolog. *pag.* 381. venditas, *D. Paulum oppoſitum aſſerere: Miſſam autem reſiſtere non poſſe tot validis incurſibus quaſſatam: inutilia eſſe iterata reſponſa. Chriſtus ſe obtulit ſemel, ſæpe ſeipſum non offert. Heb.* 7. 27. Chriſtus ſeipſum ſæpius non offert ex indi-

gentia ſui, vel populi, quemadmodum veteres Sacerdotes quotidie ex neceſſitate novas victimas offerebant. Et hæc mens eſt D. Pauli, dum ait: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo*. Corpus & Sanguis ſemel a Chriſto oblata; pretium fuerunt ſuperexcedens; non tamen ſubdit, offerri non poſſe iterum a nobis, qui indigemus fructum nobis applicari. Quod ſi *ſtatutum eſt omnibus ſemel mori, atque ita Chriſtus ſe obtulit ſemel, Heb. 9. 27. 28.*, Chriſtus propterea non amplius moritur, quod tamen non tollit Miſſam non eſſe Sacrificium commemorativum mortis ejus. Nec muſſitare valet, ſub lege *plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere*, ſed Chriſtus *Sacerdotium habet*, quod ad alios non tranſit. *Heb. 7. 23. 24.* Etenim hic D. Paulus Chriſtum opponit antiquis Sacerdotibus, quorum alter alteri in eadem auctoritate ſuccedebat. Quis unquam Chriſti Sacerdotium ad noſtros perveniſſe Sacerdotes aſſeruit? Non ſucceſſores, ſed miniſtri ejus ſunt, quorum miniſterio myſteria ſua impartitur, & continuo offert æterno Patri Sacrificium ſemel conſummatum; quamobrem ſequitur D. Paulus *verſ. 25.: Et ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*. Inſtas, *abſque Sanguinis effuſione non fieri remiſſionem, Heb. 9. 22.* Quid porro ex his? Nunquid nulla amplius remiſſio, quia a Chriſto nulla amplius fit Sanguinis effuſio? Effuſio nulla modo fit, ſed ex illa jam ſemel facta ſui Sanguinis effuſione, in Baptiſmo comemorata, in Miſſa oblata, obtinemus in facto remiſſionem peccatorum. Et ſi Jeſus *una hoſtia ſuos ſanctificavit, Heb. 10. 14.*, hanc tamen hoſtiam accipio, eam offerens æterno Patri ad meam ſanctificationem. Quod ais: *Ubi eſt remiſſio, ibi non amplius eſt oblatio pro peccato, Heb. 10. 18.*, a nobis non admittitur, niſi quatenus nova non eſt oblatio, ideſt expiatio; nova tamen eſſe debet præſentatio ejuſdem oblationis, ut ſequatur effectus remiſſionis. Chriſtus in Cælo ſemper pro nobis ſe offert æterno Patri: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis, Heb. 7. 25.*, quare autem imitari ipſum non debemus, eum offerendo æterno Patri ad capeſſendum fructum noſtræ redemptionis? Porro ſi D. Paulus hoſtiam Chriſti opponit hoſtiis veterum Sacerdotum, proba Picenine victimam a nobis in Miſſa oblatam ea ratione a nobis replicari, qua antiqui Sacerdotes ſuas replicabant: tum muſſitare poteris D. Paulum nobiſcum pugnare, & *in conſpectu Divi Pauli Miſſam reſiſtere non poſſe*.

14. Pſeudoreformatorum impudentiam ferre nequeo, qui ab evidentia coacti, fatentur Sacrificium Altaris vetuſtate celebre fuiſſe, quod Patres faſſi ſunt, & Traditio commendavit. Lutherus *de capt. Babylon.* teſtatur Miſſam abrogaturus: *Rem arduam, & quam forte ſit impoſſibile aggredior, ut quæ tanto ſit ſeculorum uſu firmata, omniumque conſenſu probata ſic inſederit*. Idem aſſerit *de abrog. Miſſ. priv.*, *& adverſus Regem Angliæ*. Zuinglius *de Canone Miſſæ* ait, quod aſſertores Miſſæ ſunt *ſola Patrum vociferatione nixi, quibus porro tantum tribuunt, ut dicant percipi non poſſe, ut ſi a nobis nihil offeratur, Deus tandiu conniverit, ac Patres errare permiſerit*. Calvinus *Lib. 4. Inſt. cap. 18. §. 11.*, poſtquam fruſtra tentavit quempiam Patrum extorquere, videns hoc ſibi impoſſibile, larvam projicit, & eos damnat, quod ritum Judaicum nimium arceſſierint: *Excuſari tamen non poſſe arbitror, quin aliquid in actionis modo peccaverint*. Porro antiquitas, & Patres, ut confitentur tres iſti pſeudoreformationis Architecti, aliique quos prætereo, Miſſam habebant tanquam Sacrificium, ſcriptis ſuis id docebant, cujus uſum frequentabat Eccleſia. Tres iſti heroes eam negare adorti ſunt, ſatanicum commentum eam evulgantes, quod Sacrificio

ficio Crucis injuriam faceret, Patres autem ſe feſelliſſe, Scripturas non intellexiſſe, infeliciter omnes erraſſe. Permitto cuique hic judicare ex qua parte error ſit, & mendacium; an apud vetuſtam, & venerandam tot Patrum ſeriem, adhærentem Traditioni quam Eccleſia a principio retinuit, an potius apud tres iſtos Pſeudoreformatores. Poſſibile, quod Spiritus Sanctus Eccleſiæ Chriſti cuſtos, eam in errore turpiter verſari permiſerit, potiſſimam vero curam ſibi ſumpſerit, ut Luthero illi, Calvino illi, ceteriſque hujus furfuris Nebulonibus, lumen perſpicuæ veritatis effulgeret? Audiatur Tertullianus *de præſcrip. cap. 28. & 29.: Quod in multis unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Contra Novatores id nobis maxime favet, doctrinam noſtram antiquitus traditam eſſe, ſuam vero novam omnino nudiuſtertius irrepſiſſe. Textum D. Pauli ante ipſos diu meditati ſunt, & ſcrutati Chryſoſtomus, Theodoretus, Primaſius, Photius, Oecumenius, nec iſti oculatiſſimi inſpexerunt, quæ veſpertiliones pſeudoreformationis gloriantur vidiſſe. Legant Chryſoſtomum *Homil. 17. in cap. 9. ad Hebr.*, ubi poſt ea quæ ſupra indicavimus, ſubdit: *Quid vero nos? Num quotidie offerimus? Offerimus quidem, ſed ejus mortem revocamus in memoriam, & ipſa una eſt, non multa. Quomodo una eſt, non multa? Quoniam ſemel fuit oblata, & illa illata fuit in Sancta Sanctorum. Hae eſt figura illius, & ipſa illius. Eundem enim ſemper offerimus: non tunc quidem alium, ſed ſemper eundem: quamobrem unum eſt Sacrificium propter hanc rationem. Quomodo multis in locis offertur? Multine ſunt Chriſti? Nequaquam. Sed unus ubique Chriſtus, qui & hic eſt plenus, & illic plenus, unum corpus. Quomodo ergo in multis locis oblatus unum eſt corpus, & non multa corpora, ita etiam unum eſt Sacrificium. Pontifex noſter ille eſt, qui illam obtulit hoſtiam. qua nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Non aliam hoſtiam, ſicut Pontifex veteris Teſtamenti, ſed eandem ſemper offerimus, vel potius hoſtiæ, ſeu Sacrificii facimus recordationem.* Ita Seculo IV. Chryſoſtomus. Poterat ne præclarius de Sanctæ Miſſæ Sacrificio verba facere? Porro Picenine vide ſi reſponſa noſtra firma ſunt, & antiqua.

15. Verum quidquid veteres dicant, te ſolum cum tuo Calvino prætendis D. Pauli mentem præ ipſis fuiſſe aſſequutum; hinc recapitulatione textuum facta contra ea quæ Panigarola dicebat, hanc inſtituis declamationem Apolog. *pag. 381.: Apoſtolus non loquitur niſi de cruento Sacrificio. Capucinus* (Panigarola) *loquitur de incruento Sacrificio ſine Sanguine. Apoſtolus docet abſque effuſione Sanguinis non fieri remiſſionem. Panigarola docet, in oblatione abſque effuſione Sanguinis remiſſionem obtineri. Apoſtolus docet Corpus Chriſti in Cælo eſſe. Panigarola docet Corpus Chriſti eſſe in Hoſtia. Apoſtolus tribuit Chriſto Sacerdotium, quod ad alios non transfertur. Panigarola tribuit Chriſto Sacerdotium, quod in alium transfertur.* Pro nunc ſatis Domine Jacobe. Tuus iſte epilogus, ignorantiæ, & falſitatis commentum eſt. Singulis autem reſpondiſſe ſcio. D. Paulus de uno Sacrificio loquitur, de alio vero Panigarola; quamobrem nulla eſſe poteſt contradictio. D. Paulus de cruento Crucis Sacrificio loquitur, quod opponit veteris legis cruentis Sacrificiis. Panigarola agit de Sacrificio repræſentativo, & commemorativo Sacrificii cruenti Crucis, Sacrificio recordatione cruento, non repræſentatione. Utique non datur remiſſio abſque effuſione Sanguinis, vel actu, vel jam effuſi: Eccleſia autem abſque effuſione novi Sanguinis in Sacrificio ſuo offert æterno Patri Sanguinem jam effuſum. Quomodo facis ad obtinendam remiſſionem peccatorum? Effundis ne iterum Chriſti Sanguinem? Si abſque nova de facto effuſione Sanguinis non datur remiſſio, aut dicendum

a te

a te actu effundi Sanguinem Chriſti, ut Judæi fecerunt, aut abſque remiſſione dimitti. Quemadmodum igitur confidis remiſſionem aſſequi ſola memoria effuſi Sanguinis Chriſti, ita & nos ſperamus, potiori ratione, eam aſſequi per oblationem ejuſdem Sanguinis in noſtro Sacrificio. Chriſti Corpus in Cælo eſſe ſupponimus, ſed iterum ſupponimus quin Cælum dimittat in Hoſtia præſens eſſe: quod ſatis jam præcedenti articulo probatum fuit. Quod autem Panigarola aſſerat Sacerdotium Chriſti ad alios pervenire, mendacium tuum eſt, & familiari tua calumniandi libidine compoſitum. Nos, ut mox oſtendam, Sacerdotes admittimus, non tamen Chriſti ſucceſſores, cujus Sacerdotium te melius æternum eſſe ſcimus, cui nemo ſuccedit: verum quomodo Domine Jacobe oſtendes non potuiſſe miniſtris ejus communicari? Unus Deus ſubſtantia ſanctus, & perfectus eſt: nihilominus creaturis iſta videmus communicata. Verum alia quæſtio hæc eſt, quam contra nos inſtituis. Age, diſputemus.

§. III.

Vera Eccleſia Chriſti ſuos habet Sacerdotes.

16. Abyſſus abyſſum invocat. Equidem pertinacia quæ tibi ſuaſit nullum admittere Sacrificium, præter cruentum Calvarii, te etiam cogit negare in Eccleſia ullum haberi Sacerdotem ex munere, & gradu, præter Jeſum Chriſtum; alias vero non ambigis Chriſtianum quempiam Sacerdotem facere, cum poteſtate offerendi Deo Sacrificia laudis, & gratiarum actionum. Ita ab extremo ad extremum tranſiliens, dum paucos excludis Sacerdotes pro Sacrificio Miſſæ, Chriſtianis omnibus Sacerdotium tribuis: hinc confuſio, hinc nullus ordo, nec hierarchia in Eccleſia Dei. Errorum autem vertigine capta mens tua adeo inſanit, ut ſibi fingere non vereatur *pag.* 382. ex D. Petro in *Epiſt.* 1. *cap.* 2. 5. 9., & ex D. Joanne in Apocalypſi *cap.* 1. 6. momenta habere ad hujuſmodi conflandas hæreſes, quippe quod de cunctis fidelibus ſcriptum ſit *Regale Sacerdotium*, *Regnum*, & *Sacerdotes*. Nec intelligis miſer labyrinthum ingredi, a quo expediri arduum tibi erit: nam ſi Chriſtiani omnes ſunt Sacerdotes, quia fideles, omnes quoque Reges erunt; utrumque enim a D. Petro dicitur, & a D. Joanne, *Regale Sacerdotium*, *Regnum*, & *Sacerdotes*. Quemadmodum autem ſupra iſtos, quos Sacerdotes inſtituis, nulli ſunt, ut ais, ipſis in munere ſuperiores, ita ſuper iſtos Reges nulli erunt, dignitate, & poteſtate majores ad illos regendos. Porro ſi præter ſpirituale Regnum, omnibus Chriſti fidelibus commune, aliud viſibile, & externum Regnum concedis, illorum tantummodo proprium, qui jure ſucceſſionis, ſive electionis, ſive belli a legibus deſtinantur, & a Deo ad populi regimen, quare præter ſpirituale Sacerdotium, vi cujus Chriſtianus quilibet in Baptiſmo poteſtatem recipit offerendi Deo ſpirituales hoſtias laudis, & gratiarum actionum per Jeſum Chriſtum, non conſentis haberi aliud viſibile externum Sacerdotium, per quod, media ordinatione, quidam deſignentur ad offerendum viſibile Sacrificium, & ad miniſtranda fidelibus Sacramenta? In lege etiam veteri omnes Hebræi dicuntur *Sacerdotale Regnum*, *Exod.* 19. & 6., & *Gens ſancta*, nihilominus præter Sacerdotium omnibus commune, aliud erat diſtinctum, & ſingulare ex ordinatione collatum, Tribui Levi deſtinatum, quo populi ad Dei cultum regerentur, & Sacrificia Deo offerrentur. Chriſtus unicus Sacerdos fuit, nedum reſpectu Eccleſiæ, ſed reſpectu etiam Synagogæ; & victimam in Cruce ab ipſo oblatam figurabant omnes antiquæ legis victimæ, & ab ipſa efficaciam trahebant Moſaica Sacrificia, æque ac noſtra. Quod ergo Chriſtus verus fuerit Sacerdos, non idcirco abſtulit a lege vera Sacrificia, & Sacerdotes; quare igitur legem Evangelicam iſtis privabit?

17. Nec tamen cauſæ tuæ cedis, quinimmo ſubdis, *Miniſtros nunquam dici Sacerdotes, cum nullum habeant diſtinctum Sacrificium offerendum Deo, præter ea quæ univerſæ Eccleſiæ ſunt communia.* Poſito quod Miſſa ſit Sacrificium, jam iſtud, quod noſtri Sacerdotes nomine Chriſti Deo offerunt, non eſt commune omnibus fidelibus. Porro *Miniſtros* nunquam dici *Sacerdotes*, abſolute falſum eſt, niſi quæſtionem nominis velimus inſtituere, quippe cum nulla ſit repugnantia, quod quiſquam offerat ut ſupremus offerens, alter vero ut miniſter, nomine alterius, ita nulla videtur implicantia, quod habeatur Sacerdotium excellentiæ, & ſupremę auctoritatis, quod eſt in Chriſto, & Sacerdotium miniſterii, quod eſt in homine. Omnes veteris legis Sacerdotes erant Dei miniſtri, & tamen Sacerdotes erant; ergo in nova lege eſse poſſunt & Chriſti miniſtri, & Sacerdotes. Inſtas: *Si potiſſimum Parochi munus eſt offerre proprium Sacrificium, viſibile, reiterabile, quare vocantur Miniſtri, Diſpenſatores, Nuncii, Paſtores, Epiſcopi. Duces? Quare non Sacerdotes? Panigarola! Mendax dici volo, ſi unum textum novi Teſtamenti mihi indices, quo Parochi nominentur Sacerdotes.* Times igitur Chriſti Sacerdotium offendere, ſi alios aſſeras Sacerdotes, neque ipſum offendere times, ſi alios concedas in Eccleſia Doctores, Magiſtros, Paſtores, pręter Chriſtum, etſi quemadmodum ille unicus Sacerdos, ita unicus eſt Magiſter, Doctor, & Paſtor? Quid non reprehendis Divum Paulum, quod pręter Chriſtum numeret alios Doctores, Magiſtros, & Paſtores? Chriſtus prohibet alios vocari Magiſtros, & Doctores: *Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Matth.* 23. 10. Chriſtus ſe Paſtorem eſſe dicit: *Ego ſum Paſtor bonus. Joann.* 10. 14.: *Fiet unum ovile, & unus Paſtor*; nec tamen vos Calviniſtæ dubitatis alios Doctores, alios Paſtores admittere, quanquam Chriſtus non alios Doctores, & Magiſtros, ſed unum ſe eſſe Magiſtrum aſſerat? Non prohibet Chriſtus in Eccleſia alios eſse Sacerdotes in nomine ſuo offerentes Sacrificium; vos autem iſtos permittere timetis? Id autem eſt Chriſto conformes fieri? Si novum Teſtamentum Sacerdotes non nominat, nec porro haberi vetat, immo eos indicat; & Chriſtus Sacerdotes inſtituit Apoſtolos, dum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, quo poteſtatem contulit in ſui memoriam facere quod ipſe fecerat. Porro ipſe Sacerdotis munus exercuit, conſecrando, & offerendo Corpus, & Sanguinem ſuum: hanc autem ipſam poteſtatem communicavit Apoſtolis. D. Juſtinus Dialogo cum Tryphone agnoſcit in hac actione Chriſti fidelium Sacerdotium, oppoſitum Sacerdotio Gentium: *A nemine ſane Deus hoſtias accipit, niſi a Sacerdotibus ſuis. Univerſos igitur, qui per nomen iſtius Sacrificia offerunt, quæ Jeſus Chriſtus fieri tradidit, hoc eſt in Euchariſtia Panis, & Calicis, quæ in loco omni a Chriſtianis fiunt præveniens Deus, gratos ſibi eſſe teſtificatur.* Hæc de Sacerdotio, & Sacrificio Chriſtianorum perſpicua ſane ſunt. D. Paulus Sacerdotes ſubindicavit, cum dixit: *Nemo ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Heb.* 5. 4. Honor, ad quem Aaron aſſumptus fuit, non de prędicanda, & promulganda lege, neque ad regendum populum, ad hæc enim Moyſes vocatus fuerat, ſed honor Sacerdotii fuit, & offerendi Sacrificia: *Applica quoque ad te Aaron ... cum filiis ſuis ... ut Sacerdotio fungantur mihi.* Ita *Exod.* 28. 1. Deus ad Moyſen. Item D. Paulus Sacerdotium attigit, Timotheo ſcribens 1. *Timoth.* 4. 14.: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt ... cum impoſitione manuum Preſbyterii*; & dum Cretæ Titum reliquit 1. *Tit.* 1. 5., ut corriperet, & inſtitueret Preſbyteros: *Ut conſtituas per Civitates Preſbyteros.* Hoc ſane præcipuum erat, non omnibus Chriſtianis commune. Si Preſbyteratus iſte Sacerdotium non erat, quid ille? D. Joannes Chryſoſtomus *Hom.* 2. hic Epi-

ſcopos

ſcopos intelligit: *Epiſcopos hinc intelligi vult, quemadmodum alias ſæpius diximus.* Epiſcopi nimirum primo loco, & poſt ipſos Preſbyteri proprie ſunt Sacerdotes Eccleſię, quod tradit D. Auguſtinus *Lib. 20. de Civit. Dei* cap. 10. ad illa verba *Sed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, Apoc. 20. 6.: Non utique de ſolis Epiſcopis, & Preſbyteris, qui proprie jam vocantur in Eccleſia Sacerdotes, ſed ſicut omnes Chriſtianos dicimus propter myſticum Chriſma, ſic omnes Sacerdotes, quoniam membra ſunt unius Sacerdotis, de quibus Apoſtolus Petrus plebs inquit ſancta, regale Sacerdotium.* Ita Auguſtinus, qui præter omnibus commune, & generale Sacerdotium, ſpeciale aliud agnoſcit, & proprie tale, in Episcopis primo, inde ſecundo in Preſbyteris. Venerabiliores Patres Epiſcopis, & Preſbyteris nomen, & munus tribuunt *Sacerdotum*, Tertullianus *de præſcrip.* cap. 41., D. Cyprianus *Ep. 27. de lapſis, Ep. 33. de Preſb. & Diac., Ep. 34. de Aurelio. & Celerino Confeſſoribus, Epiſt. 63. ad Cæcilium*, cum aliis antiquis, quos referre non vacat.

§. IV.

Vera Chriſti Eccleſia Altaria ſua habet.

28. EAtenus vindicato Sacerdotio, ad Sacrificium in Eccleſia propugnandum iterum ſermo. Panigarola iſtud probat ex D. Paulo *Heb. 13.: Habemus Altare. Si Altare, & Sacrificium: hoc autem eſt Miſſa.* Reſpondes *pag. 382., Fratres non poſſe cum D. Paulo aſſerere habemus Altare, cum Altarium habeant prodigioſum numerum.* Subit hìc mihi te a Semery juſte redargui, quod Apologiam tuam *R formatis Eccleſiis* inſcripſeris, cum una ſola eſſe debeat *Vera Eccleſia.* Offenſus his, Panigarolam hujuſmodi reprehenſionis redarguis, & in Epiſtola quam vaniſſimo Triumpho tuo præmittis, in hæc verba excandeſcis: *Bella vere illatio! Velut qui diceret: In ſeculo D. Pauli erant Eccleſiæ Romæ, Corinthi, Epheſi. D. Joannes ſcripſit ſeptem Eccleſiis Aſiæ. Ergo Eccleſiæ illæ Eccleſia non erant, ideſt membra unius Eccleſiæ &c.* Permitte igitur dialectica tua tecum me modo ſic aggredi: Si plures Eccleſiæ una poſſunt eſſe Eccleſia, quia in eadem fide cohęrent, plura etiam Altaria unum eſſe poſſunt Altare, ſi idem Sacrificium, & eadem victima ubique offeratur; ergo etiam juxta dictata tua bene habet Panigarola, dicens: *Habemus Altare.* Proteſtantes enimvero gloriari nequeunt unam Eccleſiam, unum Altare habere, quibus optime convenit D. Hieronymi dictum *in cap. 3. Amos: Non unum Altare, quod habet Eccleſia. ſed Altaria hæreticorum plurima. Tot enim habent Altaria, quot ſchiſmata.* Inſuper ais: *Putat ne Panigarola ſermonem hic eſſe de Altari materiali lapideo. marmoreo, vel ex lignis Setim? Hoc Altare Chriſtus eſt, Sacerdos. victima, Altare, & omnia. Noſtrum Altare in Cælis eſt, ut dicam poſtea cum D. Irenæo.* D. Paulus de Altari loquitur, in quo ſupponit a nobis ejus victimam edi poſſe. minime vero ab his qui Tabernaculo deſerviunt: *De quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt,* quod & opponit Altaribus Hebræorum. Porro Altare de quo victima editur contrapoſitive ad Altaria Judaica, quare non eſt Altare materiale? Chriſtus victima edi poterat fide ab his etiam qui Tabernaculo deſerviebant, immo fide edebant, quo uſu fidei juſtificabantur. Ergo ſi D. Paulus de Altari loquitur, & uſu. cujus participandi facultatem non habent qui Tabernaculo deſerviunt, non de Altari loquitur. nec de uſu ſpirituali. Audiatur Theophilactus: *Memoriam itaque illius Sacrificii perficientes noſtri Sacerdotes, Sanguinem Domini in noſtra Sancta, & ad Altare tanquam in Cælum ferunt. Hanc ob rem legis Sacerdotibus non licet ex hoc Altari edere, tanquam alienigenis. & qui ſupra Mundum hunc non ſapiunt.* Utique in hoc Altari Chriſtus eſt victima, & principalis offerens, ac Sacerdos, ſed hoc Altare, de quo ſoli Chriſtiani ſu-

mere

mere valent, juxta D. Pauli intentum eſt Euchariſticum Sacrificium. In Sacrificiis hebraicis, pars victimæ Deo offerebatur; partem vero alteram participabant Sacerdotes, & D. Paulus Chriſtianorum Sacrificium judaicis opponens, ſubdit: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſerviunt*, ſed hanc poteſtatem habent ſoli fideles: quod D. Paulus neophytis ſuis inſinuabat, ut excuſſo timore, animum paratum haberent contra perſecutiones; quamobrem mos inde inolevit perſecutionum tempore Euchariſtiam Chriſtianis diſtribuere domum ferendam, ut in fortitudine cibi illius vires repararent, & fortius pro fide dimicarent in ipſo etiam vitæ ſupremo diſcrimine. Videatur Cornelius a Lapide ad hunc textum, & ſuper 1. *ad Corinth. cap.* 10. *ver.* 18. *&* 21. Si *D. Thomas ad hunc textum lect.* 2. *pro Altari Crucem intelligit, & ipſum Chriſtum*, non tamen negat intelligi poſſe Altare Euchariſticum. Odo Cameracenſis in *Expoſ. Sacr. Can. diſtinct.* 4., in Eccleſia Chriſti duo Altaria diſcernit: *Habet Eccleſia Altare viſibile in Terra, & Altare inviſibile in Cælo ... Sumimus hic viſibititer Corpus, & Sanguinem Chriſti. Sumimus inviſibiliter de Cælo, quo perlata ſunt, benedictionem, & gratiam Dei*. D. Paulus de Altari viſibili loquitur, cum iſtud opponat Hebræorum Altaribus, quæ viſibilia erant.

19. Etſi vero Divus Paulus hoc loco non ageret de Altari viſibili, & Euchariſtico, id tamen facit 1. *Corinth. cap.* 10. *ver.* 21. Gentium religio erat diſtribuere ex his quæ Idolo offerebantur portiones ſuas Idololatris, quibus veſcerentur. Timens D. Paulus de Corinthiis ſuis jam converſis, ne ſacrilegos illos cibos participarent, ſic eos dehortabatur: *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris? Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Chriſtiani eadem ratione participes fiunt menſę Domini, ac Idololatrę menſę Dęmoniorum. Si autem iſti participes fiebant Dęmoniorum menſę, Chriſtiani etiam participes fiebant menſę Domini, quia Sacrificio communicabant oblato in menſa Domini, nimirum Corpori, & Sanguini ejus, quę in ipſa offerebantur. Neque ambigas Picenine ex eo, quod D. Paulus eam appellet *menſam Domini*, non *Altare*; etenim menſam etiam dicit illam Dęmoniorum, quę tamen *Altare* erat. Inſuper nuperrime de Altari locutus erat: *Qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris.* Pręterea, ignoras, phraſi Scripturarum, nomine *menſa Domini*, *Altare* ſignificari? Illa in qua ponebantur propoſitionis panes, facta ex lignis Setim, dicitur *menſa*, *Exod.* 25. 23. 30., & tamen Altare erat, in quo panes illi offerebantur. *Malach.* 17.: *Offertis ſuper Altare meum panem pollutum ... menſa Domini deſpecta eſt*. *Iſaiæ* 65. 11. de illis qui Fortunæ ſacrificabant, dicitur: *Qui ponitis Fortunæ menſam*; & celebre eſt quod D. Auguſtinus refert *Serm.* 113. *de diverſis*, nunc 310., nempe ſuper menſam D. Cypriani Carthagine, in qua Sanctus ille Martyr ſanguinem ſudit, Deo Sacrificium offerri ſolitum, & populus in die anniverſaria Martyris, ibi ſumebat Domini Sanguinem. Audiatur Optatus Milevit. Donatiſtas alloquens *Lib.* 6.: *Quid enim eſt tam ſacrilegum, quam Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtuliſtis) frangere, radere, removere? in quibus vota populi, & membra Chriſti portata ſunt: quo Deus Omnipotens invocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus Sanctus: unde a multis pignus ſalutis æternæ, & tutela fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator poni, niſi quæ eſſent de pace condita. Quid eſt enim Altare, niſi ſedes Corporis, & Sanguinis Chriſti .... Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic per certa momenta Corpus, & Sanguis habitabat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſancte (ut arbitramini) obtuliſtis? Dum impie perſequimini*

manus noſtras illic, ubi Corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati; illi injecerunt manus Chriſto in Cruce, a vobis percuſſus eſt in Altari. An hæ Optati querelæ Calviniſtas feriant in Galliis, & alibi, judicet lector: ſatis quippe mihi eſt demonſtraſſe, illis temporibus Altaria fuiſſe, in quibus Corpus, & Sanguis Chriſti offerebatur, & Sacerdotes erant, & Sacrificia.

§. V.

Sacrificium Melchiſedech, Sacrificii noſtri figura fuit apertiſſima.

20. QUoniam Melchiſedech Panem, & Vinum obtulit *Gen.* 14. 18., Panigarola ait id figuram fuiſſe Sacrificii Miſſæ. Tu vero, cui hæc non placent, Apolog. *pag.* 383. alie intonas: *Lepidus iſte argutator! Aſſerit Melchiſedechum obtuliſſe Sacrificium, atque textum idipſum docere: Proferens Panem, & Vinum. At ſi eſt* Proferens, *non eſt* Offerens. *Quomodo textus ejus docet obtuliſſe Sacrificium, ſi non ait* ſacrificans, *ſed* proferens *Panem, & Vinum? Proferre, & offerre, eadem ne res eſt juxta Grammaticam Panigarolæ? Id ego nego, & aſſero Melchiſedechum non obtuliſſe Sacrificium.* Quia vero Panigarola id probandum aſſumit ſequentibus verbis: *Erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*, rejicis *cauſalem* enim, *quod non ſit in originali, nec in verſione 70. Interpretum.* Probare poſſem cum Genebrardo hebraicæ linguæ verſatiſſimo, & cum Joanne Mariana in ſcholiis ad hunc textum, vocem hebraicam *Hozi*, vel *Hothſi* actum indicare Sacrificii: ſed permittantur quæ tibi placent. Si Melchiſedech *obtulit*, *exhibuit*, *protulit* Abrahamo Panem, & Vinum, Panis iſte, & Vinum, quæ Melchiſedech Abrahamo exhibuit, Panis ne, & Vinum erant ad explendam famem, & ſitim ejus, & militum ſuorum, an Panis, & Vinum iam ſacra, oblata, & ſacrificata Deo? Ego aſſero Panem, & Vinum fuiſſe, non quæ communia eſſent, ſed ſacrificata, tum quod Abraham ſpoliis onuſtus, non indigebat Pane, & Vino ad refectionem, nam ut legitur *verſ.* 11. inter hoſtiles prædas acceperat: *Et univerſa quæ ad cibum pertinent*, quibus paſti fuerant; quare *verſ.* 24. deferente Rege Sodomorum Abrahamo integram prædam, iſte reliquit omnia, *exceptis his quæ comederunt juvenes*; tum etiam ex verbis quæ ſequuntur: *Erat Sacerdos Dei Altiſſimi.* Quid quæſo additum Melchiſedechum Sacerdotem eſſe, ſi ibi de Sacrificio non agebatur, neque de re ſacrificata? Dabo, in hebræo textu non legi vocem *enim* cauſalem, at negare non potes, ejus vice poni copulam *&*, nempe: *Et erat Sacerdos Dei Altiſſimi.* Ignoras autem copulam *&* apud Hebræos plerumque admitti vice *enim*, *quia*? *Gmeſ.* 20. 3.: *Morieris propter mulierem, & ipſa habet virum*, ideſt: *Ipſa enim habet virum. Iſaia* 64. 5.: *Ecce tu iratuſ es, & peccavimus.* Hìc *&*, nonne idem ſignificat, ac *quia peccavimus*? Ad hæc. Si verba iſta *Erat enim*, ſive *Et erat Sacerdos*, non referantur ad oblationem, ſive exhibitionem Panis, & Vini. nec cauſam indicant, ob quam Melchiſedech ſe præſentavit Abrahamo, cui referenda erunt? Nunquid ad ea, quæ ſequuntur: *Et benedixit ei?* Ita nempe arbitraris, ſubdens quod *Melchiſedech ſe exhibuit Regem, & Sacerdotem: Regem, quia regia magnificentia recepit triumphantem Abrahami exercitum: Sacerdotem, quia Patriarcha benedixit*: quod & commentatur Calvinus *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 18. §. 2. Quanquam autem Melchiſedech Abrahamo benedixerit, nego benedictionem impartiri propriam ſolius Sacerdotis actionem eſſe, dum ſuperior quiſpiam, & non Sacerdos, inferiori poteſt benedicere. Salomon non erat Sacerdos, & benedixit populo 3. *Reg.* 8. 55.: *Stetit ergo, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael*: quod antea fecerat Joſue *cap.* 8. 33., & *cap.* 22. 6.; hinc D. Paulus *Hebr.* 7. 7. ex benedictione a Melchiſedecho data Abrahamo, non infert Melchiſedechum Sacerdotem, ſed meliorem

Abra-

Digitized by Google

Abrahamo fuiſſe: *Sine ulla contradictione quod minus eſt a meliore benedicitur*.

21. Non mirari non poſſum Calvini, & ſectariorum ejus audaciam, qui commentis innixi ineptiſſimis, pares ſuorum ingeniorum fœtus contendere non erubeſcunt adverſus venerabilioris vetuſtatis placita. Patres omnes digniores famæ conveniunt, a Melchiſedecho exhibitam fuiſſe Sacerdotis actionem, ſignificativam Sacrificii Euchariſtici. Clemens Alexandrinus *Lib. 4. Strom.* circa finem: *Rex Salem, Sacerdos Dei Altiſſimi, qui Vinum, & Panem ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ*. D. Cyprianus *Epiſt. 63. ad Cæcilium*, relatus etiam a D. Auguſtino *Lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 21.*: *In Sacerdote Melchiſedech Sacrificii Dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur, & dixit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit Panem, & Vinum: fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo utique hic de Sacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod Panem, & Vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, ideſt Panem, & Vinum, ſuum ſcilicet Corpus, & Sanguinem?* Et poſtea: *Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago Sacrificii Chriſti, in Pane, & Vino ſcilicet conſtituta: quam rem perficiens, & adimplens Dominus, Panem, & Calicem mixtum Vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit*. Latius hic Cypriani ſermo non valet mentiri Calvinos centum, & mille Picenninos? Hic habemus in Melchiſedecho Sacrificium figurativum, & in Cœna Sacrificium ab illo figuratum: oblationem Panis, & Vini: tum etiam Melchiſedech hoc actu Sacerdotio functum eſſe, & hujuſmodi Sacrificium umbram fuiſſe Sacrificii Chriſti, quem Eccleſia offert in Pane, & Vino. Idem affirmat Euſebius *Lib. 5. de demonſtr. Evang. cap. 3.*, & D. Hieronymus *Epiſt. ad Marcellam* hæc habet: *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech Regem Salem hujus Principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Chriſti Panem, & Vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Salvatoris Sanguine, & Corpore dedicavit*. Quo ad Auguſtinum, multa ſunt loca, in quibus hanc docet veritatem. In *Lib. 83. quæſt. 61.* hæc ſcribit: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus oſtenditur Rex noſter, ipſe eſt etiam Sacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus Sacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſua paſſionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchiſedech obtulit Deo, jam per totum Orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri.* In *Lib. 16. de Civit. Dei cap. 22.*, indicato *cap. 7.* D. Pauli *ad Hebr.*, ſcribit: *Ibi quippe* (ideſt in Melchiſedech) *primum apparuit Sacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur Deo toto Orbe terrarum, impleturque illud, quod longe poſt hoc factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum, qui fuerat adhuc venturus in carne: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Poſſem & *Epiſt. 95. nunc 177.*, *Lib. 18. de Civit. Dei cap. 35.*, *contra adverſ. Leg. & Prophet. cap. 20.* proferre. Sed ea ſufficiant, quæ habet ſuper *Pſ. 33. Conc. 1.*: *Nondum erat Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Evangelium legerunt, quod Sacrificium nunc diffuſum eſt toto Orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo Sacrificia, & illud ſecundum ordinem Aaron, & hoc ſecundum ordinem Melchiſedech.* Sic pariter loquuntur D. Joannes Chryſoſtomus *Hom. 35.* in *Geneſ.*, Cæſarius Arelaten-

Digitized by Google

latenſis, Epiphanius *hæreſ.* 55., Cyrillus Alexandrinus, Iſidorus Peluſiota, D. Ambroſius *Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4., & *Lib.* 5. *cap.* 1. Poſtquam autem iſta Eccleſiæ oracula pronuntiarunt Melchiſedech obtuliſſe Sacrificium Panis, & Vini, idque adumbraſſe Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, audebit Calvinus, & Piceninus id negare? Calvinus certe non timet negare, immo *in cap.* 14. *Gen.* 18. imprudentem dicit univerſam vetuſtatem: *Atque utinam id prudenter expenſum fuiſſet a vetuſtis Eccleſiæ Scriptoribus. Neque enim tam frigide, immo tam inſcite tranſtuliſſent ad Panem, & Vinum ſimilitudinem Chriſti, & Melchiſedech, quia Panem, & Vinum obtulit. Addunt enim Chriſtum Corpus ſuum, qui panis eſt vivificus, & Sanguinem, qui ſpiritualis ara potus, obtuliſſe &c.* Eja, blateret Calvinus, ſed nobis etiam dicere liceat, Calvinum inſolentem oppido, ac temerarium eſſe, dum *frigidam, & inſipientem* criminari audet ſanctiorem, & doctiorem antiquitatem. Interim autem hoc ſermone concludo: Quidquid univerſa Eccleſia ſemper tenuit, & credidit, eſſe non poteſt niſi verum, & conforme ad verbum Dei. Cum autem ipſa ſemper tenuerit, & profeſſa ſit, Melchiſedech Panem, & Vinum obtuliſſe in figuram Sacrificii Euchariſtici, id non poteſt niſi verum eſſe, & conforme ad verbum Dei.

22. Certum eſt, ait Panigarola, Sacerdotium Melchiſedech figuram fuiſſe illius Chriſti, qui Sacerdos fuit ſecundum ordinem non Aaron, ſed Melchiſedech, cujus Sacrificium figura eſſe debebat illius Chriſti, cum repræſentare non poſſet Crucis Sacrificium: quippe non legitur Melchiſedech Sacerdotio ſuo ſeipſum obtuliſſe, nec animalium victimas, quocirca figura fuit Sacerdotii Chriſti in Sacrificio Panis, & Vini, ſecus in quo Chriſtus imitatus fuiſſet Sacrificium Melchiſedech? Reſpondes Apol. *pag.* 383.: *Chriſtus imitatus eſt Melchiſedech, quod ſit Sacerdos in æternum, abſque ſucceſſoribus, quod ſit ſine Patre, ſine Matre, Rex juſtitiæ, & pacis, major Sacerdotibus ordinis Levitici, quæ eſt convenientia a D. Paulo tradita, abſque ulla mentione prætenſi Sacrificii Panis, & Vini. Aut dicere oportet Chriſtum ſimilem non fuiſſe Melchiſedecho offerendo Panem, & Vinum, aut accuſandus Apoſtolus, quod hæc non indicando, prætererit potiſſimum convenientiæ caput.* Verum cum prælaudati Patres unanimi ſententia fateantur, inter Melchiſedech, & Chriſtum convenientiam in eo etiam haberi, quod ille in Sacrificio Panis, & Vini adumbravit Sacrificium Chriſti, Panis, & Vini, & Chriſtum in Cœna illius Sacrificium imitando impleviſſe; ſane aut hæc convenientia debet concedi, aut Patres omnes ignorantiæ notari, quod vel non legerint, vel non intellexerint D. Paulum, & præ illis Calvinum, ac Piceninum doctrinæ laudibus commendari. D. Paulus invicem comparavit Melchiſedech, & Chriſti Sacerdotium in excellentia perſonæ, & ordinis, non in oblatione, & Sacrificio: quamobrem ſatis erat illud deſcribere æternum, unicum, ſingulare, abſque ſucceſſione, ſine Patre, & ſine Matre, ad differentiam Sacerdotii Aaronici. Nullam autem Sacrificii Panis, & Vini mentionem facere voluit, ob rationem a D. Hieronymo allatam in *Epiſt. ad Evangelium*, nempe quia D. Paulus Epiſtolam illam Hebræorum multitudini ſcripſit, quorum etſi quidam converſi eſſent ad Chriſtum, alii tamen legi Moſaicæ pertinaciter adhærebant, quibus myſterium hoc prodere non expediebat, quia nondum diſpoſiti, ægre hanc veritatem ſuſcepiſſent, immo ex ipſa nullam oriri excellentiam agnoviſſent ſupra Sacerdotium Aaronicum: *Non quia* (ſic Hieronymus) *Apoſtolus non potuerit id interpretari, ſed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id eſt Judæis, perſuadebat, non jam fidelibus, quibus paſſim proderet Sacramentum.* Si tibi non libeat huic reſponſioni acquieſcere, dicam iterum cum Panigarola: Si Melchiſedech Sacerdos fuit Altiſſimi, quidquam debuit offerre ſecundum ordi-

ordinem Sacerdotii ſui. Si vero neque victimas, nec brutorum ſanguinem obtulit, ut Aaronici Sacerdotes, neque Panem, & Vinum, quid quæſo obtulit, quod Chriſti Sacerdotium deſignaret?

23. Paſchalis Agnus, inquit Panigarola, Chriſti typus fuit. Tu autem *pag.* 384. ſuſcipis: *Id concedo de Chriſto immolato, cæſo, aſſato in Cruce. Nego autem de Chriſto oblato in Cœna.* Figuram eſſe Chriſti in Cœna oblati fatentur D. Cyprianus *de unit. Eccleſiæ*, Nazianzenus *orat.* 2. *de Paſchate*, Chryſoſt. *hom.* 83. *in Matth.*, Hieronymus *in c.* 26. *Matth.*, Gaudent. *tractat.* 2. *in Exod.*, & circumſtantiæ optime cohærent. Luna nimirum quartadecima, in qua Agnus immolabatur, Chriſtus ſub viſibilibus ſignis ſe obtulit Patri, ſe dedit diſcipulis, & mandavit a ſuis ita ſemper offerri in memoriam tranſitus ſui: quæ omnia affabre reſpondent Agno paſchali. Hæc tamen a te *commenta* dicuntur, nulla adverſa adhibita ratione, forte hanc unam putans ſufficere, te dixiſſe.

§. V I.

Teſtimonium Malachiæ Prophetæ.

24. Celebratiſſimum Malachiæ oraculum expedit conſiderare *cap.* 1. 10. 11.: *Munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Apolog. *pag.* 385. vocem illam *ſuffitus* potiſſimum pendes, quod velis Prophetam *vaticinari Sacrificia ſpiritualia novi Teſtamenti, quia ſuffitus in Chriſtiana Eccleſia eſt oratio, Apocal.* 8. 3. 4. *&* 5. 8, idcirco D. Paulus 1. *Timoth.* 2. 8. ait: *Volo ergo viros orare in omni loco.* D. Hieronymus tamen in hebræa verſione, & apud ſeptuaginta, non reperit vocem *ſuffitus*, neque in noſtra habetur vulgata, bene vero in verſione Italica Joannis Adeodati, non minus ac tu, jurati Calviniſtæ. Porro ſi vulgatam noſtram detrectas recipere, tuam ne ego recipiam? Affirmas Malachiam *vaticinari ſola ſpiritualia Sacrificia.* Sed S. Juſtinus Martyr *in Dialog. cum Tryphone* id intelligit de Sacrificio Euchariſtico: *De noſtris vero Gentium, quæ in omni loco offeruntur, Sacrificiis, hoc eſt Pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tum locutus* (Malachias) *prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.* Et D. Irenæus *Lib.* 4. *adverſ. hæreſ. cap.* 32.: *Eum qui ex creatura Panis eſt, accipit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt Corpus meum. Et Calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum Sanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo Mundo offert Deo ei, qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias præſignificavit.* Quid poteris contra venerabilem, ac antiquiſſimam amborum, quos prælaudavimus, Patrum auctoritatem? Quid de D. Joanne Chryſoſtomo ſuper *Pſ.* 95., qui relatis Malachiæ verbis, explicat quæ ſit *hoſtia* hæc *munda*, & ille *ſuffitus*, dicens: *Vides quam luculenter, quamque dilucide myſticam interpretatus eſt menſam, quæ eſt incruenta hoſtia? Thymiama vero purum appellat ſacras preces, quæ poſt hoſtiam offeruntur. hic enim ſuffitus Deum refocillat &c. ... Eſt igitur hoſtia pura. pura quidem myſtica menſa; cæleſte ſummeque venerandum Sacrificium?* Quid de Divo Auguſtino, qui poſt verba Malachiæ, hæc habet *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 35.: *Hoc Sacrificium, per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech, cum in omni loco a Solis ortu, uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri?* Malachias tria pronuntiat. Primo quod Deus jam rejecturus erat vetera Sacrificia. Non rejecit autem Sacrificia ſpiritualia precum, quia tunc accepta erant. Secundo quod in nova lege inſtituendum erat aliud Sacrificium hoſtiæ mundæ, & ſanctæ. Orationes novum hoc dici nequeunt Sacrificium, cum jam in uſu

Digitized by Google

eſſent: neque eſſe poſſunt hæc hoſtiæ munda, quia, juxta Proteſtantium dogma, oblationes quæ ab hominibus fiunt, quantumcunque ſanctę, impuræ tamen ſunt, & immundæ, nec apud ipſos ulla hoſtia munda habetur, niſi Jeſus Chriſtus. Tertio quòd novum hoc Sacrificium offerendum ſit ab ortu ad occaſum. Hoc nequit eſſe orationis Sacrificium, quia in Scripturis nominari non ſolet abſolute Sacrificium, ſed cum addito *laudis*, vel *gratiarum actionum*. Porro niſi ſit Sacrificium Euchariſticum, quodnam erit? Nunquid Sacrificium Crucis? At hoc jam in Calvario conſummatum fuit. Mitto palmarem contradictionem expendere, qua laboras, dum aſſeris Sacrificium a Malachia vaticinatum fuiſſe operum, & ſpirituale; quodque juxta hebræum verbum *Mincha*, rei ſit inanimis, farinæ, & panis, cum oleo, thure, & ſale. Tu figuras excludis, quas tamen recipere deberes, quandoquidem quidquid a Chriſto impletum fuit in novo, prædictum ipſe probabas, & figuratum in veteri Teſtamento.

§. VII.

Sacrificium Sanctæ Miſſæ comprobatum ex novo Teſtamento.

25. Apolog. *pag.* 386. in hæc lepida verba linguam ſolvis: *Peto probationes ex novo Teſtamento. Si Apoſtoli Miſſam cantu celebrarunt, ex eorum ſcriptis aliqua excutietur notitia.* Si Miſſam non invenio in Apoſtolorum ſcriptis, habeo tamen ipſam in perpetua Traditione, ſumpta a Juſtino, & Irenæo, qui non ab aliis, quam ab Apoſtolis accipere potuerunt. Hanc habeo in Actis Martyrii Divi Andreæ deſcriptis ab Achaiæ Presbyteris, quorum auctoritas conſtat ex eo, quod iſta in Eccleſiis legebantur a primævis temporibus. In his legitur, quod Divus Andreas quæſitus ut Idolis ſacrificaret, reſpondit: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem poſtquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, ac vivus.* In Liturgiis etiam reperitur, quæ ſi propriæ eorum non ſint quibus inſcribuntur, vetuſtiſſimæ tamen ſunt. Apud etiam D. Juſtinum Martyrem *Apolog. 2. pro Chriſtianis*, ubi eam deſcribit quomodo ſuis temporibus in uſu erat. Miſſa ſatis ex Scripturis evincitur, ſi Sacrificium ex ipſis probetur, etſi habeat etiam preces, & ritus ab Eccleſia præſcriptos. Eſſentiales Sacrificii Miſſæ partes ſunt conſecratio, oblatio, conſummatio hoſtiæ. Panigarola ait *Chriſtum conſecraſſe, dum dixit: Hoc eſt Corpus meum. Conſummaſſe, cum diſtribuit Apoſtolis, qui ederunt, & biberunt.* At poſtulas, ubi *legatur oblatio?* Inſto: Chriſtum Apoſtolis Panem dediſse ut Sacramentum, ubinam legitur? Nihilominus prætendis id a tribus Evangeliſtis traditum fuiſſe, & a D. Paulo. Tres Evangeliſtæ de Cœna loquuntur, tu vero vis loquutos fuiſſe de Sacramento. Si accipere Panem, benedicere, diſtribuere Apoſtolis, non indicat Sacrificium, quod, ut ais, *Hebræi morem hunc ſervabant benedicendi, & gratias agendi, in omnibus prandiis ſuis*, hac ipſa ratione nec Cœna illa Sacramentum indicabit; etenim ſi benedicere, & gratias agere Sacramentum cònſtituit, quando Chriſtus Galilęos illos cibavit *Joan. 6. 11.* Sacramentum inſtituit: tum quippe accepit Panem, & gratias egit Deo. Nunquid, quia Chriſtus dans Panem dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt Sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, ex hoc indicium habetur, illi Pani unitam eſſe gratiæ promiſſionem? Sed demonſtretur mihi, hujuſmodi promiſſionem alligatam fuiſſe Pani, & Vino quæ tunc diſtribuebantur, quin potius Corpori, & Sanguini ſuo, qui tradi, & effundi debebat in Cruce, maxime quod, juxta dictatum tuum, mos eſt Spiritus Sancti uti verbo de præſenti, pro

dia-

præterito, & futuro. Nunquid, quod dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem?* Sed poſtquam pedes lavit Apoſtolis, in ſignum quod ipſos mundaret, item dixit: *Exemplum dedi vobis, ut quod ego facio, & vos faciatis. Joann.* 13. 15. Et tamen hìc Sacramentum non confecit. Si tu in textu reperire neſcis, Euchariſtiam eſſe Sacrificium, quia non legis verbum *obtulit*, ſed tantum *benedixit*, *fregit*, *dedit*, neque reperire ſcies quod ſit Sacramentum. Si autem tibi eſt Sacramentum, quare negabis eſſe Sacrificium? Reſpondere poſſem, Chriſtum gratiam promiſiſſe ſumenti Euchariſticum Panem, quando apud *D. Joannem cap.* 6. dixit: *Qui manducat me, vivet propter me ... Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum ... Niſi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Sed hæc reſponſio ad rem tuam non faceret, qui negas ibi ſermonem eſſe de Euchariſtico Pane, ut vidimus. Igitur ſi a Chriſto promiſſa non legitur gratia Cœnam manducantibus, nihilominus eam vis eſſe Sacramentum, cur non etiam concedis eſſe Sacrificium, tametſi expreſſe non legatur obtuliſſe Panem? Vides exitum tot clamorum, quibus Panigarolam exagitas!

26. Oblatio deducitur ex contextu actionis Chriſti in Cœna, ubi benedixit Panem. Hìc intelligitur oblatio, ait D. Juſtinus *Apolog.* 2. *pro Chriſtianis*, quia; *In omnibus, quas offerimus oblationibus, benedicendo, laudamus factorem omnium.* Chriſtus de ſuo Corpore ſubjicit: *Quod pro vobis datur*; de ſuo Sanguine: *Qui pro vobis effunditur, Luca* 22., indicare volens, quem videbant Panem, eſſe Corpus ſuum, quod illis dabat, ideſt Patri pro ipſis offerebat, & quod videbant Vinum, eſſe Sanguinem ſuum, quem tunc effundebat pro ipſis, ideſt offerebat æterno Patri pro ipſis effundendum: quare non ait *quod vobis effunditur, quod vobis datur*, ſed *pro vobis datur*, ideſt pro vobis a me offertur æterno Patri: *Hoc autem* (D. Joannes Chryſoſtomus *Homil.* 24. *in* 1. *ad Cor.*) *videte fieri in Euchariſtia, in Cruce autem non itidem, ſed utique ei contrarium. Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non paſſus eſt in Cruce, hoc in oblatione patitur propter te.* Hic te tibi contradicentem capio, dum Apolog. *pag.* 354. volebas omnia *de præſenti* pronuntiata, quod ex his typicum ſenſum tuum componere ſperabas, modo tamen cum timeas hinc deduci poſſe oblationem Sacrificii, vis *præſens pro futuro* ſumendum. D. Paulus inquit 1. *Cor.* 11. 24., juxta verſionem tuam, *hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Id nequit referri ad oblationem ſui Corporis, quod Chriſtus oblaturus erat in Cruce, quia ibi fractum non fuit. Ergo ad oblationem ſui Corporis, quam tunc faciebat in Cœna. Inſuper Chriſtus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, poſtquam Corpus ſuum conſecraverat. Quid porro Chriſtus fecerat? Corpus dederat, Sanguinem ſuum tradiderat; Apoſtoli autem mandatum accipiunt: *Hoc facite.* Poteſt ne id fieri abſque Sacrificio? D. Irenæus negat *Lib.* 4. *cont. hæreſ. cap.* 32.: *Novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo Mundo offert Deo.* D. Cyprianus & ipſe negat *Epiſt.* 63. *ad Cæcilium*: *Si Jeſus Chriſtus Dominus, & Deus noſter, ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & Sacrificium Patri ſe ipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit imitatur, & Sacrificium verum, & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipit offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Item Gregorius Nyſſenus *Orat.* 1. *de reſurrect.*: *Sacrificii modo,* (Chriſtus) *ſua diſpoſitione, & adminiſtratione præoccupat impetum violentum, ac ſe ſe oblationem, ac victimam offert pro nobis, Sacerdos ſimul, & Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Quando hoc accidit? Cum ſuum Corpus ad comedendum, & Sanguinem ſuum familiaribus ad bibendum præbuit.* Factum itaque Chriſti interpreta-

tum

tum a Patribus, primam nobis præſtat rationem Sacrificii noſtri. Chriſtus primus obtulit in Cœna, & mandatum dedit Apoſtolis, & Eccleſiæ, ut offerrent. Ratio enim ex eo efficax, quia cum Chriſtus præceperit Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum, ut facerent quæ in ultima Cœna ipſe fecerat, in qua obtulit, & ſacrificavit Corpus, & Sanguinem ſuum, ergo & Apoſtoli, & ſucceſſores eorum offerunt, & ſacrificant. Ita, inquit Euſebius *orat. de laudibus Conſtant. cap. 16.: Jam vero incruenta, & rationalia Sacrificia, quæ precibus, & arcana quadam Dei appellatione perficitur, quis alius ſectatores ſuos offerre docuit, quam Servator noſter ſolus? Quam ob cauſam per univerſum terrarum Orbem conſtituta ſunt Altaria, & Eccleſiæ conſecratæ, & ſacroſancta miniſteria intellectualium, ac rationalium Sacrificiorum ſoli omnium moderatori Deo ab omnibus Gentibus offeruntur.* His reor machinas tuas contriviſſe, quas in hac re altius attollere nitebaris.

27. Si non adhuc Picenine ſuaſus eſſes, vel alia ex vetuſtate momenta Sacrificii noſtri, & teſtimonia habere velles, præter laudatos Patres, audire iterum poteris Juſtinum, qui in Apologia ſecunda graphice deſcribit Liturgiam illorum temporum, Miſſam appellans *oblationis* nomine, Divumque Irenæum *Lib. 4. cap. 23. & cap. 18.* jam 34., qui fuſe id aſſerit. Pariter Concilium Nicænum I. *can. 18.*, juxta interpretationem Dionyſii Exigui, Divum Joannem Chryſoſtomum *Homil. 2. in 2. ad Corinth.*, Synodum Epheſinam *declarat. 11. anathematiſmi 11.*, apud quos omnes oblatio incruenti Sacrificii expreſſe traditur: nec minus perſpicue de ea agitur in Chalcedonenſi Concilio, in quo Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus accuſatus fuit, quod cum Lybiæ frumenta conceſſa eſſent, *ut incruenta ex ipſo hoſtia offeratur*, ille avarus emebat, ut penuria graſſante, cariſſimo pretio vendere poſſet: quo accidit, quod *neque terribile, & incruentum Sacrificium celebratum eſt.* Hæc ſunt Græcorum teſtimonia. Si vero a Latinis etiam ea habere deſideres, prælaudatos Patres revolve: inſuper præſto tibi erit Tertullianus *de Orat. cap. 13.*, Cyprianus *Epiſt. 66. ad Clerum, & Furnitanorum plebem*, Optatus Milevitanus *Lib. 5. cap. 4. & 12.*, D. Ambroſius *in cap. 1. Lucæ*, & *Lib. 1. de Offic. cap. 41.*, ubi Divum Martyrem Laurentium introducit Sixto Pontifici ad Martyrium adventanti ſic loquentem: *Quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Nunquam Sacrificium ſine miniſtro offerre conſueveras... Experire certe, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem.* Ita Laurentius loquebatur in medio tertii ſeculi. Ex illo tunc igitur Sacrificium erat, quod a Sacerdote offerebatur, & hoc erat Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, cujus inde diſpenſatio manu Diaconi fiebat. Videantur tum D. Hieronymus *Lib. 3. adverſ. Pelagianos*, tum Orientales Liturgiæ vetuſtiſſimæ a Renaudotio editæ. Nihilominus æneus factus, pernegare non ceſſas Chriſtum in ultima Cœna obtuliſſe; hinc Apolog. *pag.* 388. contendis, quod *ſi Chriſtus ſacrificavit, ejus Sacrificium non fuerit commemorativum; quomodo enim offerre poterat ſe ſe in ſui memoriam? Sacrificium Panigarolæ eſt commemorativum. Non igitur eſt Sacrificium a Chriſto confectum.* Cœna Chriſti commemorativa non fuit ſuæ mortis, tua vero Cœna Picenine eſt mortis ejus memoria, cum in ea Chriſti præceptum implere prætendas: *Hoc facite in meam commemorationem.* Cœna ergo tua non eſt Cœna Chriſti.

28. Animadvertis Apolog. *pag.* 389., *a Panigarola, ut probet Apoſtolos obtuliſſe, textum proferri ex Actibus Apoſtolorum 13. 2.*, ubi dicitur quod ipſi *miniſtrabant Domino.* Suſcipis autem: *Si miniſtrare Domino indicare vult Miſſam facere, Miſſam faciunt judices nuncupati Dei miniſtri Miſſam faciunt Angeli dicti adminiſtratorii ſpiritus, Miſſam faciebat Epaphroditus, dum D. Paulo neceſſaria adminiſtraret, dictus propterea ſuarum neceſſitatum adminiſter.* Miniſterium

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum, de quo D. Lucas, non commune fuit, ſed ſingulare. In lege veteri comperio Aaroni a Deo mandatum: *Sanctificatus miniſtret mihi. Exod.* 28. 3. Similiter Aaronis filiis dictum ad fores Tabernaculi conſiſtere, *ut miniſtrent mihi. Exod.* 40. 13. Qui noluerit obedire præcepto Sacerdotis, *qui Deo miniſtrat*, morietur. *Deuter.* 17. 12. Iſti quidem Domino miniſtrabant, ideoque ipſi ſacrificabant. Quare autem dum in novo Teſtamento legere mihi contingat Apoſtolos *miniſtraſſe Domino*, non licet mihi inferre Sacrificium obtuliſſe? Nunquid, quod in nova lege nullum nec Sacerdotii, nec Sacrificii ſit miniſterium? Id tu aſtruis. Verum juxta Scripturæ phraſim *miniſtrare Domino* idem eſt, ac Sacrificium offerre; ergo ſi Apoſtoli Domino miniſtrabant, Domino offerebant. Hoc autem *Cap.* 8. *Act. verſ.* 42. nimirum erat frangere, & diſtribuere Eucharíſticum Panem, & Sacrificium Domino offerre in Euchariſtia. Iterum muſſitas: *Angeli Altiſſimo adminiſtrant; ergo Miſſam canunt ante Altare?* Audi ſcurra, & argutator ridiculus. Angeli canebant in Cælo Canticum novum, & reſonabat terra ad eorum voces. Angeli igitur & os habent, & vocem? Vel ſi ipſi non habeant, ergo neque homines? Angeli nequeunt Deo offerre Sacrificium, quia de re ſenſibili fieri debet; idcirco Angeli adminiſtrando, proprie Sacrificium non offerunt, bene vero homines, qui capaces ſunt Sacerdotii, & Sacrificii. Quare dico iterum: Si in Scripturis miniſtrare Domino aliis in locis ſumitur idem, ac ſacrificare, vel ſaltim quidquam excercere ad Sacrificium pertinens, non video quare dum dicitur Apoſtolos, utpote homines Sacerdotii capaces, miniſtrare Domino, intelligendum non ſit de miniſterio Sacrificii. Id hercle eſt de Scriptura naſum cereum facere, non ut tu Panigarolæ falſo imponis, inquiens: *Infert contra regulas logica a genere ad ſpeciem affirmative; Miniſtrabant Domino; ergo miſſificabant.*

29. *Inſipidum pag.* 389. *Panigarolam* dicis, *quia aſſerit Miſſam Graeco idiomate Liturgiam eſſe, quod falſum eſt, ſaltim juxta Apoſtolorum phraſim; Liturgia enim miniſterium ſignificat.* Sic docte interpres erudire nos miſeros puſillos ſatagis, qui ignoramus *Liturgiam* interpretari *publicum miniſterium*. Attamen nos non latet, in ſacris Scripturis & Patribus *liturgeo* idem eſſe ac *ſacrifico*, & *Liturgiam Sacrificium* antonomaſtice dici, nobiliori miniſterio per nomen commune ſignificato. Unde Picenine habes, juxta Apoſtolorum phraſim Liturgiam non eſſe Sacrificium, & Miſſam? Nunquid Apoſtoli te alloquuti ſunt? Omnes Patres Græci vetuſtiſſimi, *Liturgia ſacra*, & *divina* nomine, ſemper intellexerunt Miſſæ, & Euchariſtiæ Sacrificium: neque id auderes negare, ſi Liturgias antiquas legiſſes, quæ ſub alicujus Apoſtoli nomine evulgantur, vel illas Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque, in quibus præſcribitur ordo ſervandus in oblatione Euchariſtiæ; atque id negare velle, eſt meridianam negare lucem, quippe illarum lectione veritas cuique patet: quod totum confirmatur ex illis a Renaudotio nuperrime editis. Non ergo Panigarola *inſipidus*, qui ſapienti totius vetuſtatis lingua loquitur, ſed tu impudentiſſimus, qui his contradicis, cum ipſi Pſeudoreformatores tui, ut ſupra oſtenſum eſt, negare non audent Miſſæ uſum vetuſtiſſimum eſſe, neque quando incœperit valeant repetere. Quomodo autem ſuaſiſſimus es, *Miſſam non eſſe divina inſtitutionis?* Si non Chriſtus, quis hominum inſtituit? Quis Divo Juſtino Martyri tradidit ritum illum, qui ab ipſo deſcribitur in oblatione Euchariſtica *Apolog.* 2. *pro Chriſtianis*? Quis Nicęnę I., Epheſinæ, Chalcedonenſi Synodo inſpiravit Euchariſtiam appellare *Sacrificium*, *Oblationem*, *Hoſtiam incruentam*? Ad hæc Picenine dicas, & *inſipidos* omnes ſimul habeas, ſi Panigarola, dum id aſſerit, *inſipidus* eſt. Bellarminum aut non citare, aut melius debuiſſes legere. Diſtinguit in-

inſignis iſte Purpuratus *Lib. 1. de Miſſ. cap.* 27. in Sacrificio Miſſæ duas oblationes, unam ante, aliam poſt conſecrationem. De iſta, quam non eſſe neceſſariam arbitratur, inquit: *Dominus eam non adhibuit, immo nec Apoſtoli in principio,* cum reputet quod ipſa ſit *quædam teſtificatio, quod tota Eccleſia conſentiat in oblationem a Chriſto factam, & ſimul cum illo offerat.* Affirmat tamen a Chriſto primam factam fuiſſe: *Et quamvis Dominus non iiſdem verbis Panem conſecrandum obtulerit, quo nos modo offerimus, tamen obtuliſſe aliquo modo ſcribit Cyprianus Lib. 2. Ep. 3., & colligitur ex illa cæremonia elevandi oculos in Cœlum, & gratias agendi, quam Dominus conſecrationi præmiſiſſe, partim Evangeliſtæ, partim antiquiſſima Liturgia teſtantur.* Oblationem autem, quæ Miſſa a nobis dicitur, in primitiva Eccleſia habitam non fuiſſe, mendacium eſt tuum omnium inſolentiſſimum, quod ex prælaudatis Patribus palam evincitur. neque id negare Calvinus, & Lutherus unquam auſi ſunt; quamobrem cum ſolus id neges, craſſiſſimam in hac materia ignaviam tuam publico prodis.

30. Proſequeris Apolog. *pag.* 390. in hunc modum: *Pagani Chriſtianis imponebant Sacrificia non habere. Chriſtiani reponebant: Sacrificia, quæ a nobis exſpectat Deus, ea nempe noſtræ Religionis ſunt, anima pura, conſcientia recta, fides ſincera, oratio, eleemoſyna, ſancta, & ad virtutem inſtituta actiones. Hæ ſunt pretioſiores victimæ, quæ Deo offerri valeant. Ita apud Minutium Felicem in Octavio. Origenes contra Celſum Lib.* 8. Inde nauſeantem interponis cantilenam: *Ubi Miſſa? Non eam comperio in hoc prolixo catalogo.* Si Chriſtiani illi Calviniſtæ fuiſſent, hæc reſpondere profecto non potuiſſent, ſiquidem juſtorum ipſæ actiones cum ſint ſordes, immunditiæ, peccata, dicere minime potuiſſent, ſanctas. & virtute præditas actiones eſſe pretioſiores victimas, quæ Deo valeant offerri. Chriſtiani antiqui Sacrificia propriæ Religionis proferebant ſpirituales oblationes ſanctorum operum; quæ certe, attenta eorum doctrina, oſtendere nequeunt Calviniſtæ. Ergo omnino carent Sacrificio: quo ſe carere primi Chriſtiani nunquam reputarunt. Verum enimvero ſatis tibi faciendum, qui petis: *Ubi Miſſa?* Quæſo te: Ubi Sacrificium Crucis? *In tam prolixo catalogo iſtud non lego.* Quod ſi exinde infers, Chriſtianis illis Miſſæ Sacrificium fuiſſe ignotum, itidem inferri poterit, nec Sacrificium Crucis ipſos noviſſe. Itaque non de Chriſto victima oblata vel in Cruce, vel in menſa, verba faciebant pientiſſimi Chriſtiani illi, ſed dumtaxat victimis Animalium Idolo a Paganis immolatis opponebant cordium ſuorum victimas. Tacebant de Sacrificio Miſſę, non quod ipſum non frequentarent, ſed quod prudentis œconomiæ cauſa a Paganis abſconderent, tanquam ſublime myſterium, cujus Pagani omnino incapaces, facile cauſam inſultandi ſumpſiſſent; quippe ſi reſpondiſſent, Corpus, & Sanguinem Domini ſui victimam offerre, offenſi, ſcandalizati fuiſſent quaſi de Sacrificio humanæ carnis: ſolum autem Panem, & Vinum conſpicientes, perſuaderi non potuiſſent, vera eſſe quæ dicebantur. De hoc arcano apud Chriſtianos teſtimonium fert Cæcilius apud Minutium Felicem: *Cur occultare, & abſcondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur, cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint?* Origenes vero Celſo, Chriſtianorum Religionem *clancularium* nuncupanti, reſpondebat *Lib. 1.* ,, Quis
,, ex nobis palam non prædicat Je-
,, ſum ex Virgine natum, & crucifi-
,, xum? Quis reſurrectionem ejus
,, non evulgat? Quis judicium non
,, enuntiat, & finalem retributionem,
,, pœnarum impiis, præmiorum juſtis?
,, & tamen vulgare jam jam eſt my-
,, ſterium futuræ reſurrectionis, quan-
,, quam vos non credentes irrideatis.,,
Quæ cum ita ſe habeant, perabſurdum eſt doctrinam hanc vocare clancularium. Sequitur inde Origenes ,, Si multa
,, ſint, quæ non omnibus communi-

,, cen-

,, centur, non unius Chriſtianę doctri- ,, næ proprium eſt hoc arcanum, cum ,, ſit etiam Philoſophiæ, nam Philo- ,, ſophi doctrinam externam, & ma- ,, nifeſtam tradebant, aliam vero re- ,, conditam, & occultam reſervabant: ,, alii Pitagoræ auditores erant, e- ,, jus auctoritate contenti, alii in ,, abſcondito doctrinas excipiebant, ,, profanis non revelandas. Quædam ,, ſunt myſteria, quæ ubique fiunt a ,, Græcis, & barbaris: & tamen ne- ,, mo calumniatur quod fiant in ab- ,, ſcondito ,, *Igitur inconſiderate ca-lumniantur Chriſtianorum ſacra clan-cularia.* Sic Origenes. Quæ porro ſacra hęc clancularia, niſi Sacrificia Euchariſtica, quę a Chriſtianis primis illis temporibus in occulto celebrabantur? Videatur Tertullianus *Apologet. cap. 7., & lib. 2. ad Uxorem cap. 5.* Hoc arcanum in myſteriis confirmat etiam in ſuo ſeculo Baſilius *de Spiritu Sancto cap. 27.: Qui in primordiis Eccleſia certos ritus praſcripſerunt Apoſtoli, & Patres, in occulto, ſilentioque myſteriis ſuam ſervavere dignitatem. Neque enim omnino myſterium eſt, quod ad populares, ac vulgares aures offertur. Hac eſt ratio, cur quadam citra ſcriptum tradita ſunt, ne dogmatum cognitio propter aſſuetudinem vulgo veniret in contemptum.* Id magnopere juvat ad inſcitię tuæ audaciam corripiendam, qui temerarie judicas de eo quod non capis. Origenem oblationem, & Sacrificium Euchariſticum fateri legere poteris præcitato *Lib. 8. contra Celſum*, & audies ſic alloquentem: *Quo circa Celſus, ut Dei ignarus, gratias Dæmonibus reddat. Nos, qui rerum omnium conditori placere ſtudemus, cum precibus, & gratiarum pro beneficiis acceptis actione oblatos Panes edimus, Corpus jam per precationes factos, ſanctum quoddam, & ſanctificans, utentes eo cum ſano propoſito &c.* Ecce ex ore Origenis Panis oblatus a Chriſtianis; Panis Corpus factus ſanctum, & ſanctificans. Non capis Picenine in iſta profunditate ſermonis Chriſtianorum Sacrificium, & Catholicorum Tranſubſtantiationem?

§. V I I I.

Rejiciuntur perverſa Piccnini commenta circa perſpicua & vera Sanctorum Patrum ſenſa.

31. VAniſſimo labore *pag. 390.* conaris Patrum dicta confundere, & in pravum, ac oppoſitum ſenſum pervertere, unde ſic aggrederis: *Patres Cœnam Sacrificium appellabant. Quomodo vero propitiatorium Sacrificium eam ſibi ſuadere poterant, dum eandem dicebant figuram, imaginem, typum, ſymbolum Corporis?* Quomodo vero Euchariſtiam tibi ſuadere poterant nudam figuram, imaginem, typum, & ſymbolum, ſi eam appellabant Sacrificium? De illis Patribus, qui pauciſſimi tamen ſunt, Cœnam appellantibus *figuram, typum, ſymbolum*, jam dixi, nimirum Sacramentum in ea conſideraſſe, & ſignum ſenſibile, quod quidem figuram, typum &c. dicebant, non tamen vacuum, ſed plenum, continens quod ſignificat, Corpus ſcilicet Chriſti. Sacrificium propitiatorium illud eſt, in quo ſub ſymbolis Panis, & Vini, offertur verum Corpus, & Sanguis Chriſti. Patribus autem hujuſmodi eſt Miſſæ Sacrificium, ut probatum eſt. Itaque propitiatorium eſt. Audiamus reliqua: *Cœna apud ipſos laudis Sacrificium erat, ut patet ex ipſo Euchariſtia nomine; gratias nempe reddebant diſpenſationi.* Cœna apud Patres non modo Sacrificium laudis erat, ſed etiam oblatio, & Sacrificium viſibile, in quo offertur Corpus, & Sanguis Chriſti, non ab omnibus, ſed a ſolis Sacerdotibus, dum e contra Sacrificium laudis ab omnibus valeat offerri. Subdis: *Cœna illis erat Sacrificium, quod pars eſſet oblationum, qua ſuper menſam ſingulis Dominicis praſentabantur. Pars iſtarum ad Euchariſtiam adhibebatur. Hinc ſortitum eſt nomen Sacrificii.* Sacrificium quod commendant Patres, in illis oblationibus intelligi non poteſt. Iſtæ enim ab omnibus fiebant;

contra Sacrificium a ſolis Sacerdotibus offerebatur, ut oſtenſum eſt ex *Canone* 18. Nicęnæ I., tum quia appellatur *Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini*, quod tremendum nomen convenire nequit oblationibus de quibus loqueris, quæ materiam quidem Sacrificio præſtabant, Sacrificium tamen non erant: quare iſtarum pars ſumebatur ad Sacrificium. atque hujuſmodi oblationes a fidelibus Sacerdoti fiebant, non Deo, cui deinde a Sacerdote melior pars, & purior offerebatur. Audi ex ore Juſtini hujus veritatis teſtimonium *Apolog.* 2. *pro Chriſtianis: Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur Panis, & poculum Aquæ, & Vini. Quibus ille acceptis, laudem, & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert.* Et poſt: *Precibus peractis, Panis offertur, Vinum, & Aqua.* Primęvis temporibus populus Eccleſiam iturus ut adſtaret, & participaret de Sacrificio, ſecum deferebat Panem, & Vinum, quæ Diaconis exhibebant. Hæ oblationes in certo loco ſervabantur, ſelectis inde dignioribus, & purioribus, ad offerendum Deo: quocirca non ab omnibus recipiebantur, ſed a majoribus inter fideles, & perfectioris vitæ. Diſcretione facta, Diaconus electam portionem ad Altare transferabat, inde variis præmiſſis precibus, & cæremoniis, deſcriptis in antiquioribus Liturgiis, offerebantur Deo a Sacerdote in perſona Chriſti: iſta autem oblatio erat, & propria actio Sacrificii. Videatur Baronius ad *ann.* 57. num. 145. Hujuſmodi oblationes commemorabat Cęſarius Arelatenſis *Serm.* 26.: *Oblationes, quæ in Altario conſecrantur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*; & Secul. VI. Concilium Matiſconenſe II. *Can.* 4. mandavit: *Omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, ac mulieribus offeratur, tam Panis, quam Vini.* Hæ ſunt oblationes, de quibus Picenine loqueris, ſed hoc eſt non Sacrificium de quo loquuntur Patres.

32. *Patres (inquis) Cœnam credebant commemorationem Sacrificii Crucis.* Quod Cœna ſit commemoratio Sacrificii Crucis, nedum Patres fatentur, ſed Chriſtus aſſerit; verum ex eo quod Cœna commemoratio ſit, Sacrificium non ſit commemorativum, tu dicis, & falſum dicis, ut hactenus probavi. *Hoc (ſubdis) ut Sol patet apud D. Auguſtinum Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 5.: *Quod ab hominibus Sacrificium dicitur, ſignum eſt Sacrificii.* Similiter tamen ut Sol patet, D. Auguſtinum ibi non loqui de Sacrificio Cœnę, ſed de antiquis Sacrificiis ſenſibilibus, quæ ſigna erant interni ſpiritualis Sacrificii: hoc autem cum perfectius ſit illis quæ ad iſtud referuntur, idcirco ait: *Sacrificium ergo viſibile, inviſibilis Sacrificii Sacramentum, ideſt ſacrum ſignum eſt.* Et infra: *Per hoc ubi ſcriptum eſt: Miſericordiam magis volo, quam Sacrificium, nihil aliud, quam Sacrificio Sacrificium prælatum datur intelligi; quoniam illud, quod ab omnibus appellatur Sacrificium, ſignum eſt veri Sacrificii.* Sacrificium externum, quanquam interni ſignum ſit, attamen verum eſt Sacrificium, non mera figura interni Sacrificii. Cęnę igitur Sacrificium, licet ſignum ſit commemorativum Sacrificii Crucis, veram habet Sacrificii rationem, non ſolius commemorationis; ſed dumtaxat *Sacrificio Sacrificium prælatum datur intelligi.* Hoc enimvero *patet ut Sol.* Porro quis negat, Sacrificium Crucis excellentius eſſe Cęnę Sacrificio? Hoc etiam ſignum eſt quod Eccleſia exhibet, corde Deo offerens, ut prælaudatus Auguſtinus docet *cap.* 6.: *Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum, multi unum corpus in Chriſto. Quod etiam in Sacramento Altaris, fidelibus noto, frequentat Eccleſia. ut ei demonſtretur, quod in ea re* (vel ut alii legunt *in ea oblatione*) *quam offert, ipſa offeratur.* Dum Corpus Chriſti Æterno Patri offertur, & ipſum Eccleſiæ cor eidem offertur, quare duo offeruntur Sacrificia, viſibi-

le,

le, & inviſibile quod denotare volebat D. Auguſtinus. Audiamus modo Theodoretum *in cap. 8. ad Hebraos*, de quo advertis aſſeruiſſe, *nos non offerre aliud Sacrificium, ſed ſolam illius memoriam ſeevamus ſalutaris Saceificii, ut pecepit Dominus: Hoc facite &c.* Neque vero a nobis dicitur Cœnę Sacrificium aliud, & diverſum Sacrificium eſſe ab eo, quod oblatum fuit in Cruce, ſed ipſius renovationem ſenſibilibus ſignis factam, ut nobis præcepit Dominus; quare Sacrificium eſt commemorativum illius, & tamen verum Sacrificium: præcitata autem verba Theodoretus pronuntiavit, ſequenti reſpondens interrogationi: *Si ergo ... Sacerdos, qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, obtulit Sacrificium, & effecit ut alia Sacrificia non eſſent neceſſaria, cur novi Teſtamenti Sacerdotes myſticam Liturgiam, ſeu Sacrificium peragunt?* Temporibus igitur Theodoreti Sacetdotes erant, qui myſticam celebribant Liturgiam, quæ Theodoreto ceu Sacrificium erat, tameiſi Sacrificium victimam aliam non haberet ab illa Crucis diſtinctam. Præſto ſit D. Ambroſius, quem ſic refers: *Quod facimus, in illius commemorationem facimus quod factum fuit.* Ubinam hæc habet? *In caput 10. ad Hebraos.* Sed Commentaria ſuper Epiſtolas D. Pauli, non D. Ambroſii ſunt legitimi fœtus, ſed cujuſdam Hilarii Eccleſiæ Romanæ Diaconi. Cujuſque tamen ſint, adverſum te pugnant. Inibi ſic legitur: *In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia potens ad ſalutem ſempiternam. Quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis ejus, & una eſt hac hoſtia, non multa. .. hoc autem Sacrificium exemplar illius eſt, idipſum ſemper offerimus, nec nunc quidem alium Agnum eras, alium hodie, ſed ſemper idipſum.* Porro ſcriptores iſti teſtes ſunt omnes doctrinæ noſtræ, nimirum, a nobis offerri, ſacrificari, ſed ſemper idipſum quod in Calvario oblatum fuit. Petrus Lombardus poſtremus eſt a te invocatus *Lib. 4. Sent. diſt. 12.*, cum dicat, *illud quod offertur, & conſecratur a Sacerdote, vocari Sacrificium, quia memoria eſt, & repraſentatio Sacrificii.* Idipſum quod nos profitemur & iſte confirmat, nempe Miſſę Sacrificium commemorativum eſſe, attamen Sacrificium; unde Lombardus concludit: *Ex his colligitur eſſe Sacrificium, & dici, quod agitur in Altari, & Chriſtum ſemel oblatum quotidie offerri, ſed aliter tunc, aliter nunc.*

33. Jam cum cognoſcas Patrum quempiam ſingulatim non habere propitium, omnes ſimul *pag. 301.* colligis, dicens: *Eucharistia dicebatur Sacrificium, quia quilibet communicans ſeipſum offerebat Deo hoſtiam vivam, quia quippiam ad beneficium pauperum erogabat.* Figmenta iſta tua illico evaneſcunt, ſemel advertatur, Euchariſtiam Sacrificium eſſe, & dici, Corporis, & Sanguinis Domini, quod a ſolis offertur Sacerdotibus. Laudis autem, & miſericordię Sacrificium eſſe, cum ex parte offerentis, tum adſtantis, tum communicantis, quis negat? Immo, ut viſibile Sacrificium Corporis, & Sanguinis Domini, fructum afferat Sanguinis, ab interno Sacrificio non debet ſeparari, quia viſibile Sacrificium repræſentatio eſt interioris animæ Sacrificii; & ut D. Irenæus *Lib. 4. contra hareſes cap. 34. nunc 18.*, poſtquam de oblatione Euchariſtica egit, docet, quod quanquam Deus noſtri non indigeat, vult tamen ſine intermiſſione ad Altare a nobis offerri: ne tamen in hoc ſenſibili Altari corda noſtra figamus, monet Altare noſtrorum cordium in Cælo eſſe, illucque preces noſtras mitti debere, quo victimam dirigimus. Neque Piſcenine incondite muſſitare juvat, *probationes, & Patrum relata teſtimonia inutilia eſſe, nec ſufficere Sacrificium ab ipſis Liturgiam, aut Miſſam fuiſſe appellatam*: ſiquidem ad objecta reſpondere fas eſt, quæ hactenus a nobis propoſita ſunt, qui & a Chriſto inſtituram fuiſſe eam oſtendimus, & ex perpetua Traditione commendatam, tum ex unanimi Patrum conſenſu, qui Euchariſtiam faſſi ſunt Sacrificium propitia-

pitiatorium, incruentum, & applicativum. Quod *D. Petrus Antiochiæ, vel Neapoli Miſſam celebraverit*, non quęro: utique teneo, quod cum Euchariſtiam frequentaverit ut a Chriſto fuerat inſtituta, nonniſi ut Sacrificium commemorativum mortis ejus etiam certiſſime obtulerit. *D. Petrum Italiæ fuiſſe*, jam ſuo loco probatum. *Miſſam autem in oblivione eſſe univerſæ ſacræ hiſtoriæ*, inſania eſt mentis, & oris tui, enimvero apertiſſima, qui in hiſtoriis rudem, ac jejunum eſſe vel omnino te prodis, vel diſſimulas. Si inter ceteros Philoſtorgium revolviſſes perantiquum ſcriptorem quarti ſeculi vix inchoati, apprehendiſſes ex ea Epitome, quam hiſtorię Philoſtorgii nobis reliquit Photius *Lib. 2. cap. 13.*, in tertio ſeculo a Maximino in carcere detentum *Lucianum Martyrem, cum jam moriturus eſſet, & tyrannica vis, nec Eccleſiæ, nec Altaris copiam faceret, cumque vincula, & plagæ ne quidem ut ſe commoveret ei permitterent, ſupinum jacentem, ſupra proprium pectus tremendum Sacrificium peregiſſe, & tum ipſum participaſſe, tum aliis, ut de immaculato Sacrificio participarent, copiam feciſſe. Peractum autem eſt hoc Sacrrificium in carcere, cum ſacer Chriſtianorum chorus, qui illum, utpote morientem, undique cingebat, Eccleſiæ ſpeciem referret, ac ſimul munimentum præſtaret, ne ab impiis ſpectari poſſent ea, quæ gerebantur.* Geſtum, quod & ipſe Cave, in hiſtoria ſua litteraria, etſi Lutheranus, cogitur fateri *vere memorabile*. Si non ego probavi Miſſam eſſe Sacrificium, ex ea ratione quod *Miſſa* appellatur, permiſſo hujuſmodi nomen plura pati ſignificata. ex eo tamen probavi, quod in Euchariſtia, ex totius vetuſtatis confeſſione, oblatio fiat, cujus vetuſtatis ea ſemper fides fuit, Cœnam ſcilicet Sacrificium eſſe propitiatorium, in quo Corpus offertur, & Sanguis Chriſti olim oblatum in Cruce, diverſo licet modo. In Liturgia a Sancto Juſtino exarata *Apolog. 2. pro Chriſtianis*, totum habetur, quod ad Sacrificium ſufficiat. Preces ibi præmittuntur, pacis oſcula inter fideles, oblatio ab iſtis facta Sacerdoti (quem Juſtinus *Præpoſitum* appellat), Panis, Vini, & Aquæ oblatio ab ipſo Sacerdote Deo facta: quę non illa eſt, qua *offerebat laudem. & gloriam Deo Patri omnium per nomen Filii, & Spiritus Sancti*, ut hariolaris, ſed alia quæ ſequitur, prioris explicativa, ideſt: *Sub hæc conſurgimus communiter omnes. & precationes profundimus. &, ſicuti retulimus, precibus peractis, Panis offertur, ut Vinum, & Aqua, & Præpoſitus itidem, quantum pro virili ſua poteſt, preces, & gratiarum actiones fundit.* Recenſetur Panis, & Vinum quod offertur, eſſe Caro, & Sanguis Jeſu Chriſti; item verba quibus fiebat conſecratio. Docet Sanctus id in ea fieri, quæ *in myſteriis, ſive initiis Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi Dæmones. Quod namque Panis, & poculum Aquæ in Sacrificiis, ſive re divina ejus qui initiatur, ponatur, verbis quibuſdam additis, aut certe ſcitis, aut cognoſcere poteſtis.* In Cœna tua Picenine ea omnia perage, deinde nega, ſi potes, Cœnam eſſe Sacrificium. Si autem clarius adhuc deſideres a Juſtino audire Euchariſtiam eſse Sacrificium, offerentes eſse Sacerdotes, lege in Dialogo *cum Tryphone*, ubi hęc excipies: *A nemine ſane Deus hoſtias accipit niſi a Sacerdotibus ſuis. Univerſos igitur, qui per nomen ipſius Sacrificia offerunt, quæ Jeſus Chriſtus fieri tradidit, hoc eſt in Euchariſtia Panis, & Calicis, quæ in loco omni a Chriſtianis fiunt, perverſens Deus, gratos ſibi eſſe teſtificatur.*

§. IX.

De adoratione Sacræ Hoſtiæ.

34. R*eliquum eſt hic* (Apolog. pag. 302.) *quidquam dicere de adoratione Hoſtiæ. Juxta decreta Tridentinæ Synodi ſeſſ. 13. cap. 5., cultu latriæ eam oportet adorare.* Indubitanter, quippe cum in ipſa re vera contineatur, ut Eccleſia Catholica tenet, verum Corpus, & Sanguis illius Jeſus, *quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: & adorent eum*

omnes Angeli ejus, Heb. 1. 6., *quem Magi procidentes adoraverunt, Matth. 2. 11.*, *quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur, Matth. 18. 17.*, hic etiam debet adorari. Novum non eſt hoc Tridentinæ decretum, ſed perantiquis aliis conforme, temporibus uſque D. Auguſtini retentum, & inſinuatum *In Pſal. 98.*: *Nemo illam carnem manducet, niſi prius adoraverit, inventum eſt quemadmodum adoretur ... & non ſolum peccamus adorando, ſed peccamus non adorando*. Et in *Epiſt. 120.* nunc *140. ad Honorat. cap. 27.*, loquendo de ſuperbis divitibus, ait: *Adducti ſunt ad menſam Chriſti, & acceperunt de Sanguine ejus, ſed adorant tantum, non etiam ſaturantur, quia non imitantur*. Idem habet *Conc. 1. ſuper Pſ. 21.* Videantur ſupra dicta Art. XII. num. 93. & 94. Idem D. Ambroſius fatetur *de Spiritu Sancto cap. 12.*: *Per ſcabellum terra intelligatur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Jeſu, ut ſupra diximus, adoraverunt*. Quod & confirmat D. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 1. verb. Iſaia Vidi Dominum*, *Hom. 28. ad populum*, *Lib. 6. de Sacerdotio cap. 4.*, ubi Angelos Euchariſtiæ adſtantes deſcribit adorantium more, quod revelatum ſancto ſeni, velut myſterium refert, *Hom. 61.* ad populum: *Quotquot igitur hujus participes Corporis efficimur, quotquot Sanguinem deguſtamus, cogitemus quod illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur incorruptibili vicinus virtute, hunc deguſtamus*; & poſt multa concludit: *Igitur adora, & communica*. Conſentit D. Cyrillus Jeroſolymitanus *Catech. 5. myſt. 5.*: *Accede & ad Calicem Sanguinis illius, non extendens manum, ſed pronus, adorationis in modum, & venerationis*. Et Gregorius Nazianzenus *Orat. pro Sorore Gorgonia*: *Ipſumque, qui ſuper ipſo honoratur, cum ingenti clamore invocaſſe*. Theodoretus *Dialog. 2.*: *Symbola myſtica ... intelliguntur ea eſſe quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur*. Tum etiam ipſi moderni Græci id frequentant, qui ſolemnibus diebus Liturgiam ſervantes D. Joannis Chryſoſtomi, Sacerdos, & Diaconus capite in terram pluries inclinato adorant ſancta myſteria, & populo præcipiunt idipſum facere. Quid igitur pendere refert *in libra Sanctuarii hunc cultum, ut appareat num ſit Catholicus, & Apoſtolicus*, ſi te ſuadere non valeant tanti ponderis teſtes? Nunquid tota Eccleſia Latina. & Græca cultum reddidit Euchariſtiæ, qui nec Catholicus ſit, nec Apoſtolicus?

35. Id nempe vir ſtulte prætendis Apolog. *pag. 392.*, quamobrem ais: *Apoſtoli non adorarunt in prima Cœna. Acceperunt, manducarunt. Evangeliſtæ de adoratione nec verbum faciunt. Jeſus non eam mandat, ergo non debet adorari*. Putas ne Picenine, dum Chriſtus verſabatur in terris, in ſeipſo qualis erat fuiſse adorandum? Niſi ad Neſtorium deficias, affirmare cogeris, quia etſi Chriſtus eſset non tantum Deus, quam homo, humanitas tamen Divinitati cum eſset in perſona conjuncta, totus Chriſtus erat adorandus. Centurio, Chananæa, Apoſtoli, Magi ipſum adorarunt. Herodes ipſe accedere volebat adoraturus. Hanc certe bonam de te opinionem habeo, ſi præſens ante Chriſtum ſtetiſses, ipſe adoraſses. Evangeliſtæ tamen quemadmodum non referunt Euchariſtiam ab Apoſtolis fuiſse adoratam, nec referunt viſibilem tunc Chriſtum ab illis adoratum: & ſicut non tradunt a Chriſto impoſitum adorare Euchariſtiam, ita neque ut ipſum adorarent. Præceptum adorandi Chriſtum in illo continetur, quod Deus ubique colendus ſit. Quia autem Deus aderat in humanitate Chriſti, illa adoranda erat. Ita cum adſit vere Chriſtus in Euchariſtia, hic adorandus eſt: quod & verum eſse Calvinus ipſe novit, qui Lutherum damnat quod fateretur Corpus Chriſti re vera eſse cum Pane in Euchariſtia, & prohiberet adorare. Attende verbis Præceptoris tui *de vera particip. Corp. & Sangu. Dom. contra Heſhuſium*: *Negari non poteſt, quin adorandus ſit Chriſtus in Pane, vel ſub Pane. Nam*

certe

certe ubicunque eſt, fraudari eum fas non erit ſuo honore, & cultu. Quid ergo magis præpoſterum, quam locari in Pane, & illic non adorari? Id aſſerunt Hoſtiæ adoratores: & ita cum Calvino tuo contra Lutherum agere debebas, qui Chriſtum eſſe præſentem dum velit, nolit adorare, quam contra nos, quem quia ibi credimus, adoramus. Sed reddis ad vomitum, inquiens *nec falli in ſuppoſito: Panis ille non eſt niſi Panis.* Sero poſt tempus venis; ſatis quippe probatum, conſecratum Panem non Panem eſſe, ſed Chriſti Corpus, quod dum, ubicunque ſit, adorandum ſit, in Euchariſtia debet adorari: at neque Calvinus verum habebat Lutheri ſuppoſitum, Corpus ſcilicet Chriſti in Pane Euchariſtico locari, & tamen in tali ſuppoſito adorandum eſſe aſſerebat: *Fruſtra igitur conſequentiam refutat. Corpus eſt in Pane, ergo Panis eſt adorandus: quam ipſe ex proprio cerebro excudit. Sic enim ſemper ratiocinati ſumus: Si Chriſtus eſt in Pane, eſſe ſub Pane adorandum.* Ita contra Heshuſium tuus Calvinus citato loco. Quanquam igitur quod a nobis ſupponitur falſum falſo reputes, non nos reprehendere, ſed commendare debes, quia adoramus.

36. Garris *pag. 302., a nobis ſub conditione adorari: Adoro te, ſi Deus es.* Mentiris fatue, ſiquidem abſolute adoramus, certo certi ſub illis ſymbolis Panis & Vini, Corpus, & Sanguinem Jeſu Chriſti contineri. Quis te docuit, a nobis ſub conditione adorari? D. Bonaventuram profers *Lib. 3. Sent. diſt. 9. ar. 1. qu. 6.* ubi Sanctus ſtatuit debere, vel poſſe Diabolum adorari, ſi in Chriſti forma appareret, hac tamen præmiſſa conditione: *Adoro te, ſi Deus ſis*, quia hujuſmodi transfiguratio extraordinaria eſt. De Euchariſtia vero verba faciens, in qua ordinaria eſt tranſmutatio Panis in Corpus Chriſti, negat hanc conditionem adorationi apponendam, ſed habitualem ſufficere aſſerit: nimirum qui adorat ita ſit diſpoſitus, quod ſi ſciret non adeſſe Corpus Chriſti, ut in Hoſtia non rite conſecrata, non adoraret. Id D. Bonaventura, & nihil amplius. Quid porro hanc in nobis cautam redarguis diſpoſitionem? Velles nos ita affectos, ut quæcunque Hoſtia ſit, abſente etiam Chriſti Corpore, eam adoraremus? Hæc enimvero vera eſſet Idololatria, a qua cauti ſumus ea habita diſpoſitione, non conſecratam Hoſtiam non adorandi; qua ſuppoſita, abſolute adoramus. Verum etſi non eſſet conſecrata, neque Idololatria ſequeretur, ad quam evitandam ſufficit mens in Chriſtum intenta, quo ibi non pręſente, adhuc Idololatria, ut ajunt, formalis non eſſet, ſed tantummodo materialis: & actus ille ſuperſtitio eſſet materialis, non formalis, quia tametſi re ipſa merum Panem adorarem, mens tamen non Panem, ſed Chriſtum adoraret, quem bona fide pręſentem credit. Idololatra autem eſt, qui ſciens volens creaturam adorat, non vero qui verum Deum ibi adorare putans, ex aliena malitia creaturam adorat: & ignorantia quæ invincibilis ſit, a quocunque peccato liberat. Tu etiam certa fide credis te juſtum eſſe, & tamen te non eſſe juſtum certum eſt, ut ſuo loco oſtenſum fuit: credis te baptizatum, qui tamen in hoc falli potes. *Miſeri devoti* (fanatice clamas) *qui Samaritanis ſimillimi, Joan. 4. 22., adorant quod neſciunt! Miſeri devoti, adorantes Hoſtiam quam tamen neſciunt an ſit Corpus Chriſti!* Quomodo neſcimus, ſi Chriſtus nobis affirmat illud eſſe Corpus ſuum, & nos vera fide ipſi credimus, & adoramus? Nunquid ideo neſcimus, quia tu cum Calvino tuo id negas? Apage cum nugis tuis, quæ noſtram fidem non valent ad minimum dimovere. Nunquid ideo neſcimus, quia Hoſtia illa poteſt eſſe non conſecrata? Jam dictum, in Hoſtia conſecrata Corpus Chriſti adeſſe, quia ipſe dixit: prudenter autem credimus illam eſſe conſecratam, idcirco non ignoramus quod adoramus; quæ ſi forte conſecrata non eſſet, intentio noſtra ſemper Jeſum adorat. Neque huic reſponſioni obſtare deberes, dum, in alio quidem

ſenſu,

ſenſu, ipſi magnopere adhæreat Stephanus Curcellæus in *Epiſt.* 607. *præſtantium, & eruditorum virorum*, ubi hæc habet: *Sed quia indubium eſt, Dominum Jeſum ſpiritu præſentem eſſe in Euchariſtia, cum ex ipſius mandato in cœtu Chriſtianorum celebratur ... iſto re pectu nihil prohibet, quominus in hac actione adoremus. Immo nos tenemur id facere, cum ritus iſte a Chriſto ſit inſtitutus, ut ipſi pro ineffabili ſua dilectione, qua maledictam Crucis mortem ad nos ſalvandum ſubire non refugit, gratias ageremus: quod ſine adoratione, & laudum ejus religioſa celebratione fieri nequit.* Iſte, qui eorum eſt qui realem præſentiam Chriſti, & Tranſubſtantiationem in Euchariſtia fieri negant, adorationem non modo licitam, ſed neceſſariam judicat in actu Euchariſtiç, quia Chriſtum ibi credit ſpiritu prçſentem: tu vero nos prohibes adorare, qui credimus reapſe ibi eſſe præſentem, hoc ideo, quod accidere poſſit non eſſe præſentem? Ais. id quod neſcimus nos adorare, quia in Hoſtia Chriſtum adoramus, in qua vel non eſt, vel ſaltim ibi non eſſe accidere poteſt. Aſt & tu negas adorare quod ignoras, dum negas Chriſtum in Hoſtia adorare, in qua eſſe contingere poſſit. Itaque ſi tibi videor idololatra, quod Chriſtum adorem ubi non eſt, vel non eſſe contingere poſſit; tu mihi videris Hebræus, ne dicam Atheus, ſi Chriſtum ubi eſt, vel eſſe poteſt, negas adorare. Ego firmiter teneo in Hoſtia adeſſe Chriſti Corpus: idem etiam, alia licet via, tenet Lutherus; tu autem adeſſe negas. Quemadmodum tibi fallax eſt mea fides, ita tua mihi. Igitur quomodo per te fallor ego, vel falli poſſum, ita per me falleris tu, vel ſaltim falli potes, negans Chriſtum adorare ubi eſt, aut eſſe contingete poſſit. Quis noſtrum in majori periculo verſatur? Non meum, ſed tuum eſt reſpondere.

37. Inſtas, *Scripturam hanc non præſcribere adorationem*. Sic autem diſſeris: *Cum ſancta Scriptura Chriſti docet divinitatem, præſcribit etiam cultum, Joan. 5. 23., Heb. 1. 6. Si Scriptura aſſereret Panem eſſe Chriſti Corpus, mihi videtur cultum etiam præſcripſiſſe, præſertim quod vilis forma, & ſpecies Panis avertere poſſit adoratores. D. Paulus 1. Cor. 11. mandat cuilibet communicanti ſe ipſum probare, manducare Panem, & bibere ex Calice, & annuntiare mortem Domini. Ubi Sacramenti adoratio?* Hæc Picenina argumentandi ratio nihil concludit, niſi ex Scripturis probetur hujus explicationis, & mandati neceſſitas. Præceptum enim adorationis Hoſtiæ ſatis Scriptura præſcripſit, dum Chriſti divinitatem adorandam docuit, & Chriſtus oſtendens quod Apoſtolis dabat, dixit *Hoc eſt Corpus meum*; ſiquidem unuſquiſque, ipſa etiam Calvini ratione, ſecum ipſe differere tenetur: Chriſtus ubique eſt adorandus. Chriſtus fidem mihi facit, in Hoſtia Corpus ſuum adeſſe, & conſequenter divinitatem. In Hoſtia ergo adorandus erit. Immo argumentum retorqueo: Si dum Chriſtus dixit *Hoc eſt Corpus meum*, intelligi noluit ſe ibi re vera eſſe, & ibi adorari, monere debuit Apoſtolos, qui cum audiiſſent illud eſſe Corpus ſuum, ſcientes autem ubicunque ſit ejus Corpus, inibi eſſe adorandum, certiſſime ipſum adoraſſent, & ſucceſſoribus ſuis occaſionem præbuiſſent adorandi. Neque video Chriſtum debuiſſe potius eos inſtruere, quod ubi eſſet ipſum adorarent, quam ubi non eſſet non adorarent, dum idem poſſet dubium inſurgere non adorandi attenta Panis contemptibili ſpecie, quam adorandi attenta declaratione quod illud eſſet Corpus ſuum. Porro ſi ex quo non dixerit ſe adorandum, inferatur non eſſe exhibendam adorationem, pariter ex quo non dixerit ſe non adorandum, inferretur ibi ſe voluiſſe adorari, tum etiam Apoſtolos hujuſmodi cultum non prætermiſiſſe: & ſi non obſtante quod ipſe non dixerit ſe non adorandum, adhuc non debuit adorari, cum non dixerit ſe adorandum, adhuc debuit adorari. Quamobrem ſi a me quçratur ubi ſit Sacramenti adorandi prçceptum, quç

ram & ego ubi ſit non adorandi interdictum? Et ſi adoratio probari ex me poſtuletur, non adorationem probari & ego poſtulabo. Attamen, etſi Sacramenti adoratio ex Scripturis a me non proferatur, ex Traditione tamen commendata, & in ſeculis Eccleſiæ puriſſimis, de quibus non ambigitur, uſu retenta demonſtratur. Non adoratio autem neque ex Scripturis, neque ex Traditione convincitur: ſi vero quempiam proferas adorare renitentem, hunc proferre nequis niſi hæreſim redolentem.

38. Advertis *pag.* 393., Deum per Jeremiam dixiſſe 19. 5.: *Non præcepi, nec locutus ſum.* Sed ſermo ibi erat de Sacrificiis quæ Baalim offerebant, comburentes filios ſuos in holocauſtum: *Et ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Probetur adoratio Chriſti in Sacramento ſimilis eſſe adorationi Idoli Baalim, quin unquam cogitaverit Deus illam prohibere. Si *ſimiles efficiamur Hebræis, volentes viſibiles Deos*, quia Chriſtum in Sacramento adoramus, æmulatores Hebræorum Apoſtoli, aliique dicendi erunt, qui Chriſtum in carne adorarunt. Iſte pariter Deus erat viſibilis, Apoſtoli pariter ſequentes Chriſtum, Deos viſibiles volebant, qui ſibi *præirent.* Ipſi etiam Chriſtum comitantes Jeroſolymam, introeuntem *Deum* ſequebantur *in proceſſione.* Interrogare *an primæva Eccleſia Sacramentum adoraret*, ſtultum, & vanum eſt, cui jam plene fuit ſatisfactum. *Tatianus* (ais) *Orat. contra Græcos, & Minutius Felix in Octavio, Paganos reprehendebant, quod quæ immolabant adorarent; ſed qua fronte, ſi credidiſſent ut Jeſuitæ?* Tatianus Græcos non ex eo redarguit quod quæ immolarent adorarent, ſed quod Chriſtianos dicerent humanæ carnis voratores, cujus calumniæ crimen legitur etiam apud Minutium Felicem; Tatianus vero ipſos convincit, inquiens: *Apud nos non invenitur anthropophagia. Falſi teſtes, hoc crimine contra nos confictto, deprehenſi eſtis. Apud vos autem Pelops Deorum epulis apponitur, & amatus Neptuno puer, & Saturnus filios, & Juppiter Metin devorat.* Sic Tatianus. Sed quid contra nos? Si non valeat adorari quod offertur, neque Caro Chriſti adoranda erit pro nobis in Cruce oblata. Duos interim Theodoreti textus aſſumis, primum ſcilicet *ex quæſt.* 55. *in Geneſ.*, ubi ait: *Summa inſania eſt adorare quod comeditur*; alterum vero *ex quæſt.* non 12., ſed 11. in Leviticum, ubi ſic fatur: *Numquid fieri poteſt, quod homo ſenſatus Deum appellet quod ipſe manducat? Stupidus ſane* (ſubdis), *& inſenſatus fuiſſet Theodoretus, in hæc verba ſolvere, ſi Chriſtiani ſua ætatis Panem adoraſſent antequam manducarent.* Stupidus, & inſanus es tu, ſi reputes Panem, antequam manducetur, a nobis adorari, etenim Panem Corpus ſuſtentantem non adoramus, ſed Chriſtum animam vegetantem, quem ſcimus ſub illis ſymbolis Panis contineri. Iterum ſubdis, *Deum præcepiſſe poſt diluvium* (apud Theodoretum) *volatilia, natatilia, & cetera animalia terreſtria, occidere, & comedere, quia præſcius quod homines ad hanc ſummam inſaniam perventuri eſſent, ut prædicta animalia Deos haberent, permiſit eorum uſum, ad frenandam hujuſmodi impietatem: Summa enim eſt inſania adorare quod comeditur, aut quod vero Deo oblatum tandem ipſe comedit.* Ex his ſcite inferre putas Chriſtum in Hoſtia non eſſe adorandum? Si inſania eſt adorare quod ad uſum, & alimentum corporis manducatur, inſania ne erit Carnem Chriſti adorare, quæ ad cibum, & alimentum ſpirituale animæ ſumitur? Perverſum ne magis, ac indignius audiri valet argumentationis genus? Theodoretus loquebatur de animalibus in Sacrificiis Gentilium immolatis, quæ adorare inſania erat, cum demum comederentur: nos vero loquimur de Chriſti Carne æterno Patri in Hoſtia oblata, quæ eadem illa eſt in Calvario oblata, quam ſub Panis ſpeciebus comedimus.

Non

Non igitur adverſus nos loquitur Theodoretus, ut infra latius oſtendam.

39. Videris admirari *pag.* 393., quod Pater Segneri doleat a Calviniſtis Catholicos Panis adoratores diſfamari, qui proteſtantur non Pani, ſed Corpori Chriſti cultum præbere. Nonne merito dolet? Minime, ais, quia ex ipſius Societate quidam (*Suarez in 3. par. D. Thom. quæſt. 79.*) *docet, integrum Sacramentum cum ſpeciebus eſſe adorandum cum accidentibus, & quidquid per iſta nobis objicitur.* Regula Euchariſtiam adorandi, ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 5. & can. 6.* a nobis deſumitur, & Chriſtum in Sacramento adoramus, quemadmodum Angeli, & ceteræ rationales creaturæ in Cælo ipſum adorant: Sacramentum adoramus, in quantum ſcimus Chriſtum in ipſo contineri, & ratione Chriſti; ſicut qui in terris Chriſtum adorabant, nulla præciſione totum Chriſtum adorabant, adeoque humanitatem ipſam, utpote divinitati conjunctam, non tamen ipſam de ſe, ſed quia Dei erat. *Nullus Catholicus eſt* (ait Bellarminus *lib. 4. de Euchar. cap. 20.*), *qui doceat ipſa ſymbola externa per ſe proprie eſſe adoranda cultu latriæ, ſed ſolum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit.* Species Sacramentales dumtaxat adoramus ratione Chriſti, qui ſub ipſis adoratur: nequimus enim non adorare, ſicut qui Deum in forma hominis adorabant, humanitatem non adorare non poterant. Theodoretus quem nuper tecum eſſe jactabas, huic ſententiæ tamen conſentit, cum de myſticis Symbolis, quæ ſunt ipſum Sacramentum, *Dialog. 2.* diceret: *Intelliguntur autem ea, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa ſint, quæ creduntur*, quia imagines ſunt continentes Chriſti Corpus, quod *ab omni creatura adoratur, quia Domini natura Corpus appellatur.* In *Dialogo tertio* de Symbolis Euchariſticis, quæ *typum* Chriſti Corporis appellat, quod eſt eorum exemplar, hæc habet: *Cujus autem typus eſt adorandus, & venerandus, quemadmodum ut ipſum exemplar archetypum, vile, & aſpernandum?* Eadem etiam fuit ſententia Timothei Cyrenæi Proteſtantis in ſuo Theſauro: *Sic enim Patres adoraverunt Deum, & promiſſiones, ejuſque ſigna. Sic bonum eſt, quod Sacramentum Altaris colitur inflexis genibus, quia ibi eſt verum Corpus Domini.* Et tamen iſte, utpote Lutheranus, in Sacramento aſſerebat ipſam Panis ſubſtantiam: nobis vero, qui fatemur, & credimus, vice ſubſtantiæ Panis inibi adeſſe Corpus Chriſti, non licet Sacramentum adorare?

40. Advertis *pag. 393., Iſraelitas pariter in vitulo quem adorabant cultum ſuum Deo retuliſſe. Hinc clamabat Aaron Exod. 32. 5.: Cras ſolemnitas Domini erit.* Si Deus de vitulo illo pronuntiaſſet hic eſt mei typus, in quo reſidet mea divinitas, quemadmodum de Pane dixit *Hoc eſt Corpus meum*, proculdubio debuiſſent Hebræi illum adorare. cujus adoratio ad Deum verum referenda fuiſſet. Quis autem ignorat, Idolum fuiſſe conflatum ad inſtar Deorum Ægypti, non ad cultum Deo præſtandum, ſed avertendum? *Fac nobis Deos* (dicebant Aaroni *Exod. 32. 1.*) *qui nos præcedant*; & Aaron ſubdit *ibid. num. 4.*, conflato jam vitulo: *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, & hic erat ille Dominus, cujus ſolemnitatem enuntiabat. Videtur ne tibi exemplum hoc ad nos pertinere, qui in ſpeciebus Panis, & Vini, Corpus, & Sanguinem adoramus Domini noſtri, qui nos redemit? Peccarunt Hebræi non ſolum adorantes vitulum, ſed & ipſum conflantes, & Divinitatem in illo ſimulacro credentes repræſentatam. Quod ſi exemplum vim habeat, non ſolum nos peccamus adorando, ſed vos item Proteſtantes peccatis veſtram Euchariſtiam conficiendo, tum etiam credentes in Pane figuratum Corpus, & Sanguinem Domini, qui pro nobis in Cruce paſſus eſt. Si *Deus animum pendet, non factum*, ut ais, ex errore inculpabili Sacramentum adorans, animo adorandi Chri-

ſtum ibi præſentem, ſi non adeſset, ſacrilega non eſset adoratio mea, ſed religioſa: hinc merito arbitror legem meam eſſe tutiorem, & unicam pro aſſequenda ſalute; immo ulterius teneo tuam ad certam ducere perditionem. Ego Jeſu credo dicenti mihi *Hoc eſt Corpus meum*, & credendo adoro; contra tu Jeſu negas credere, & renuis adorare. Præter Chriſtum, univerſam ſequor vetuſtatem, quæ ita ſe geſſit: tu Berengarium ſequeris, Zuinglium, & Calvinum, qui univerſæ vetuſtati contradicere gloriantur. Quis igitur in tuto eſt?

41. Nec ceſſas contendere, quin etiam in Triumpho *pag.* 163. provocas me animadvertere quemadmodum *in Liturgiis antiquioribus Juſtini, Cyrilli, & Baſilii*, ubi Euchariſtiam deſcribunt cum omnibus circumſtantiis, legitur Dei invocatio, ſed Hoſtiæ adoratio non legitur. Verum etſi vox *adoratio* in illis Liturgiis, concepto vocabulo, non occurrat, argumentum non eſt ad concludendum ſufficiens, vetuſtam Eccleſiam Euchariſtiæ cultum non præſtitiſſe. In ipſis legimus, poſt conſecrationem Panem *Corpus*, Vinum *Sanguinem Chriſti* nuncupari; habemus Hoſtię elevationem, populum ſupplicantem, & gratias agentem; & hęc omnia quam vetuſtiſſima: quę profecto magis nos cogunt credere, veteres Corpus Chriſti adoraſſe, quam tu valeas negare; præter quam quod expreſſam fidem nobis faciunt Origenes, Nazianzenus, Cyrillus Jeroſolymitanus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theodoretus, quibus pleroſque alios addere poſſem. Eædem Liturgię, ubi *Corporis, & Sanguinis* nomine Euchariſtia appellatur, falſitatis ſuſpicione apud te laborant; quod autem *adorationis* nomen non habeant, ſtatim apud te legitimę factę ſunt? Quomodo aſſerere vales, Cyrillum *de adoratione* non loqui, dum in *Catecheſ. myſtag.* 5. ritum explicans, quo debet homo accedere ad ſumendum Corpus, & Sanguinem Domini, ait: *Pronus, adorationis in modum, & venerationis, dicens amen?* Et in ſignum reverentiæ hunc ſumendi modum docet: *Siniſtram velut ſedem quandam ſubjiciens dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt &c.* Damaſceni ſeculo, manibus ad modum crucis compoſitis ſuſcipiebatur *Lib. 4. orthodoxæ fid. cap.* 13., & Synodus *VI. Canone* 101. mandavit: *Euchariſtiam percepturus, manus in Crucis ſignum figurans accedat, & gratiæ communionem accipiat.* Idem referunt Dionyſius Alexandrinus *Epiſt.* 5 *ad Pium*, & Nicephorus *lib. 6. hiſt. cap.* 9. Fatentur autem hujuſmodi adorationem Orientales Eccleſiæ, & Græca in *Liturgia myſteriorum ante conſecrationem* docet: *Statim ingreditur Sacerdos ad ſanctam menſam, & deponit ſancta, adorans, & thure adolens cum omni reverentia*; quod & fatentur Cabaſilas *expoſ. Liturg. cap.* 39., & Jeremias Patriarcha *reſponſ.* 2. *cap.* 4. Qui plura deſiderat, Liturgias Renaudotii recolat. Si qui Patres *Adorationis* mentionem non fecerunt, non eam tamen negarunt: neque Picenine, pręter Donatiſtas, Waldenſes, Albigenſes, Wiclephiſtas, Picardos, Zuinglium, Calvinum, ejuſdemque furfuris Nebulones, alios comperies de hoc dubitantes. Nemo autem ſui compos iſtos audebit præponere dignioribus totius Chriſtianæ Reipublicæ Patribus. Quocirca maturius excogitare prius debueras, antequam pronuntiares. *Hoſtiæ adorationem recentioris eſſe conſtructionis.* Pietate fidelium jam tepeſcente, hæreticis cultum contendentibus, nova ſigna, novoſque ritus excitare opus fuit, ut convaleſceret pietas, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ cultus publica ſanctione, ac ſolemni pompa innoteſceret, qui ex metu Gentilium antiquitus latitabat, & nonniſi caute ſcripto tradebatur. Honorius III. *adorationis præceptum inſtauravit* contra Albigenſes eam negantes, & Gregorius IX. *campanulæ ſonum in ipſa elevatione* addidit, *ad notitiam populi* tum etiam ad majorem ſolemnitatem Urbanus IV. *Feſtum, & proceſſionem* inſtituit; quod Eccleſia utique facere poterat: ſuppoſita quippe *adoratione*, quæ in Sacramento Chriſto debetur, ad

tur, ad ipſam pertinebat ritum præſcribere. Quod autem *in religione noſtra plurimi ſint ritus a Gentilibus traducti, quemadmodum procul dubio ſunt iſta pompa ſacrarum rerum*, id a Polydoro Virgilio refers pronuntiatum *Lib. 6. de rer. invent. cap. 11. edit. Baſileenſis ann.* 1521. At ſingularis valde hæc editio dicenda erit, dum in ea quæ apud me eſt, Romæ edita ann. 1576., citato loco præfata verba non video, ſed ſequentia, quibus hoc capitulum concludit, quę ſunt oppoſita omnino his quę refers: *Conſimilem & nos ritum in multis ſervamus, ſed longe alio veritatis documento. Illi Cacodæmones ſub habitu Deorum per hæc propitiare ſtudebant: noſtra omnia ad veri Dei cultum, & Sanctorum honorem reſpiciunt.* Hæc autem ad ea quæ tu retuliſti apprime reſpondent. Videantur D. Auguſtinus *Lib. 2. contr. Fauſtum cap. 23.*, ubi Fauſto Manichæo ipſi objicienti quæ tu modo dicebas, ſimili ratione occurrit.

42. Animadverſio tua ſuper Concilium Conſtantinopolitanum, & Nicænum II., mihi omnino favet. Primum Iconoclaſtarum Conciliabulum fuit, qui Imaginum cultum negabant, & ſolı Euchariſtię, quam tamen *Imaginem* appellabant, concedere non ambigebant; quo ſuppoſito, Conſtantinum Copronymum ſic urgebat Stephanus junior, apud Baronium *ann. 765. num. 9.*: *An tu quoque Corporis, & Sanguinis Chriſti antitypas ab Eccleſia proſcribes, ut quæ imaginem, ac veram figuram illorum teneant, quæ & adoramus, & oſculamur, & eorum perceptione ſanctitatem conſequimur?* Certum itaque erat, tum a Catholicis, tum ab Iconomachis Euchariſtiam adorari, quanquam ab iſtis *Imago* diceretur. Si autem ut nudam *Imaginem*, Chriſti Corpore vacuam eam habuiſſent, nunquam cultum ipſi exhibuiſſent quemadmodum alias Chriſti imagines adorare renuebant quod neſcirent, aut nollent, abſolutum a relativo cultu diſcernere. Iconomachi igitur & ipſi credebant Corporis Chriſti pręſentiam in Euchariſtia, quam ab ipſo deificatam tenebant, ſicut ipſa humanitas deificatur, & propterea eam adorare non dubitabant. Quod autem Synodus illa de Chriſto pariter dixerit, *Panis ſubſtantiam offerri præcepiſſe non figurantem hominis formam, ne idololatria ſubintroducatur*, non inde ſequitur Iconomachos Euchariſtiam non adoraſſe, ſed dumtaxat metuiſſe ne a religioſo cultu humanę imaginis Chriſti in Euchariſtia, homines laberentur in ſuperſtitioſum cultum (ſecundum ipſos) aliarum Chriſti imaginum, quæ ſunt opera hominum: aut Synodus illa non loquebatur de re in Euchariſtia contenta, ſed de materia ex qua conficitur, & dixerunt Chriſtum Panem elegiſſe potius, quam aliud quidquam quod hominis figuram præſeferret, ne homines imaginem illam abſolute honorarent, vice Corporis Chriſti. Hinc Nicæna II. Iconomachos non correxit, neque circa realem Chriſti pręſentiam in Hoſtia, neque circa ejus cultum, cum optime ſciret eos in his duobus articulis a communi fide non recedere, ſed in illos animadvertit, quatenus Euchariſtiam ſępe appellaverint *typum, & Imaginem* Corporis, & Sanguinis Chriſti, decernens, quod quanquam Patres *typum, vel antitypum* dixerint Panem, & Vinum, id referendum eſt ad tempus ante conſecrationem, poſt vero ſenſibilia illa proprie dicenda eſſe *Corpus, & Sanguinem Domini*, non imaginem, aut figuram. Videatur Divus Joannes Damaſcenus *Lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13.*

43. Hebræi unice deerant, qui impiæ Calviniſtarum doctrinæ calculum ferrent. Tandem ipſos etiam Picenine introducis, qui tecum ſint, ut Corpus Chriſti in Sanctiſſimo Sacramento omni cultu privetur. Animadvertis, ſtatuto jam per Nicænam II. Imaginum cultu, Hebræos ſcandalum ſumpſiſſe, de quo Chriſtianos redarguere non omiſerunt; cum autem nec offenſi ſint, nec Chriſtianos redarguerint, quod Euchariſtiam colerent, quam manducabant, fit inde

illo-

illorum temporum Chriſtianos Euchariſtiam non adoraſſe. Magnum ſane, & argutum commentum, dignum quod præconis voce per totam Cairam promulgetur, ad gloriam ſagaciſſimi ſpeculatoris, qui peregrinis inventis addit etiam, *Actione IV. Nicænæ II. lectum fuiſſe prolixum Dialogum* a Leontio Epiſcopo Nemelienſi Cypri cum Hebræo habitum, qui *Idololatriæ Catholicos criminabatur, quod Imagines adorarent; Leontium vero oppoſitum probare.* Non nos latet, Hebræos Saracenos primos fuiſſe, qui odium excitarunt contra cultum ſacrarum Imaginum. Quid porro ex his ceducis lepidiſſime commentator? Equidem ego hoc unum infero, Hebræos audientes Nicænam II. inſtauraſſe Imaginum cultum, ſcandalum ſibi ſumpſiſſe, & Chriſtianos diris devoviſſe: nihil autem de Euchariſtiæ cultu obloquuti ſunt, quod jam certo ſupponerent, Euchariſtiam a noſtris non ut nudam imaginem haberi Corporis Chriſti, ſed ut verum ejus Corpus, ſecus, cum jam offenſum ſit ab ipſis Iconoclaſtis adorari, profecto non id diſſimulaſſent. En Picenine, quod ridiculæ Æſopi Corniculæ quaquaverſus ſpeciem refers. Ergo cum jam manifeſtum ſit, Corpus, & Sanguinem Chriſti re vera eſſe in Euchariſtia, & juxta Calvinum ſi præſens ſit adorandum ſit, profecto ab hoc vano labore poteras abſtinere, quin contenderes velut ab æquitate, & pietate alienum hunc ſanctiſſimum cultum.

ARTICULUS XIV.

De Invocatione Sanctorum.

§. I.

Sanctorum Invocatio recenſita in veteri lege, in Eccleſia naſcente ſuppoſita, Scripturis Sacris non oppoſita, ſed conformis.

1. Satis non erat Picenine te intentaſſe a Sanctiſſima Euchariſtia Chriſtum abigere, quod novum in Apolog. art. 11., & in Triumph. cap. 25. facinus aggrederis, Sanctos nempe ab Eccleſia, & Altaribus exterminare; contra Segneri, & Panigarolam, qui eorum cultum defendunt, pugnare paratus: quorum aſſerta falſa eſſe promittis oſtendere, potiſſimum vero notum facere, Panigarolæ argumenta vana eſſe, quibus probare nititur, Sanctorum invocationem Scripturæ Sanctæ eſſe conformem, ab omnibus vetuſtis Patribus commendatam, & in Eccleſia Dei perpetuo recentam, quam Segneri dumtaxat ſupponere contentus eſt. Apolog. pag. 394. ſic igitur exordiris: *Sanctorum invocatio Scripturæ conformis non eſt, ab omnibus vetuſtis Patribus non eſt commendata, neque in Eccleſia Dei perpetuo frequentata fuit. Et ab hoc poſtremo exordium ſumentes, in veteri Teſtamento adhibita non fuit: quod & ipſi adverſarii fatentur.* At quis te docuit Domine Picenine, Sanctorum invocationem in uſu non fuiſſe in veteri Teſtamento? Jacob, cum filiis ſuis benedixit, ſane dixit *Gen.* 48. 16.: *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum, Abraham, & Iſaac.* Nonne iſta expreſſa eſt invocatio Angeli, & Patrum qui jam deceſſerant? Præter Tremellium, & Junium, Ameſius ipſe id fatetur *tom.* 2. *Bellarm. enervati lib.* 6. *cap.* 3. §. 6., qui tamen ex ſuis ſunt. Moyſes *Exod.* 32. 13. Dominum rogans, has fudit preces: *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Jacob ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum.* Salomon 2. *Paralip.* 5. 42. Dominum orabat: *Memento miſericordiarum David ſervi tui.* Tres pueri in camino a Nabuchodonoſor damnati, *Daniel.* 3. 35., Deum deprecabantur; *Neque auferas miſericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Nonne id erit illorum Sanctorum Patriarcharum merita apud Deum interponere, ad miſericordiam ab ipſo impetrandam, ac ſi ego dicerem: Domine miſerere mei per merita D. Petri.

tri, D. Pauli? Memento meritorum D. Antonii, D. Franciſci? Porro ſi Deus ex iſtorum meritis movebatur ad beneficiorum largitionem 4. *Reg.* 19. 30.: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum*, indicium ſane eſt, gratum ſibi habuiſſe, & pium, ac utile eſſe Sanctorum merita proponere. Enimvero Deus dixit: *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*, *Jerem.* 15. 1. Firmum ergo erat apud Deum, Sanctos qui jam in Domino dormierunt, poſſe ipſum orare, intercedere, & invocari, ſecus inepta fuiſset hujuſmodi enuntiatio. Grotius ipſe (*Annot. ad ar. 20. conſult. Caſſandri*) agnoſcit, & confitetur hanc veritatem: *Nec illud quidem quidquam habet impii, orare Deum, ut propter Sanctos, qui in eadem communione nobiſcum fuere, & ad illorum quoque pie facta reſpiciens, nobis benefaciat. Videmus enim ſic veteris Teſtamenti homines Deum obteſtari, ut ipſis pareat propter Abrahamum, propter Iſaacum, propter Jacobum, propter Davidem, idque Deum feciſſe, ut* 1. *Reg.* (apud nos) 15. 4. Hujuſmodi preces a Deo non receptę fuiſſent, ſed rejectæ, ſi non ipſi gratæ fuiſſent. Calvinus tamen, aliique difficultatis fugam meditantes, ad proſopopœjam hæc dicta referunt. Veruntamen ſi Deo dicente Loth, *Geneſ.* 18. 33.: *Non delebo propter decem* (ubi de viventibus ſermo eſt), nullus ibi figuratus ſenſus, nulla proſopopœja excogitatur; quare cum ſermo ſit de vita functis, figura ſubnectitur? D. Hieronymus ad Jeremiæ textum, & Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Epiſt. ad Theſſaloni.* non ita certe interpretantur. Ezechielis 14. 14. legitur: *Si fuerint tres viri iſti in medio ejus. Noe, Daniel, & Job, ipſi juſtitia ſua liberabunt animas ſuas ... Tres viri iſti ſi fuerint in ea, nec filios, nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur.* Animadverto, quo tempore hæc verba Ezechiel pronuntiabat, Noe, & Job quidem deceſſiſſe ab hac vita, Danielem tamen non item. Nunquid Calvinus cum ſuis reponet, quemadmodum de Noe, & Job jam demortuis proſopopœjus ſermo erat, ita de Daniele vivente? Sed omnis excluditur proſopopœja ex textu deſumpto 2. *Macchab.* 15. 12. 13. 14., ubi Onias, & Jeremias introducuntur jam demortui pro populo Deum obteſtaturi. Non me latet, textum hunc te non recepturum, quod liber ille a te inter canonicos non habeatur. Inficiari tamen nequis, prælaudatum textum in Eccleſia veteri legi ſolitum, tanquam Eccleſiaſticum, ad fidelium inſtructionem: idcirco ejus doctrinam veram, & ſanam eſſe, qualem Euſebius eam recipit *Lib.* 12. *de præpar. Evang. cap.* 3., ex qua probare contendit, Platonis dogmata cum illis veterum Hebræorum habere conſenſionem. Addo, Judæos reputantes Chriſtum e Cruce Eliam invocare: *Eliam vocat iſte, Matth.* 27. 47., non ipſum judicaſſe blaſphemum, & legis tranſgreſſorem. Conſtans ergo opinio erat apud Hebræos, & uſu recepta, pium, utile, nec vetitum eſse Sanctos invocare. Id ſatis, quo conſtet, juſtorum invocationem notam, & adhibitam eſse in veteri Teſtamento, jamque iterum de hoc ſermo redibit.

2. Quomodo igitur, & qua fronte dicere vales Apolog. *pag.* 394., *Eccleſiam annis bis mille ſtetiſſe abſque Sanctorum interceſſione?* Enimvero ſi ritus noſtri non ſunt *Lunæ coævi, & cum Sole antiqui*, probati tamen ſunt ex uſu antiquitatis, neque ſunt ut dictata tua *nudiuſtertius* ſuborta ex cerebro Novatorum, aut ſi vetuſtatem redolent, tanquam male olentia ab ipſa vetuſtate proſcripta fuerunt. Falleris, legem appellans ipſam Sanctorum invocationem, dum Tridentina Synodo edocti, non legem eam dicimus, ſed vetuſtiſſimum morem, *a primis Chriſtianæ religionis temporibus receptum*, utilem, pium, commendatum, non demandatum. Quanquam autem commendatum, non demandatum nobis ſit Sanctos invocare, & pium, bonum, ac utile no-

bis

Digitized by Google

bis proponatur, ita tamen credere ut nobis proponitur, præceptum habemus, & qui non credit, damnatur. Gangrenſis Synodus Euſtathium Sebaſtenſem proſcribit cum ſectarijs ſuis, quod: *Martyrum Synaxes, & eo convenientes, atque ſacrificantes, reprehendunt.* Hoc autem IV. Seculo accidit Anno 325. Et quia Vigilantius in principio ſeculi ſubſequentis, nempe ann. 404., inter alios errores liberius evulgare cœpit, Sanctos nec invocandos eſse, neque honorandos, D. Hieronymus celebri illo, & apud omnes nobili Opuſculo ipſum compeſcuit. Enimvero poſtea errorem hunc excitarunt Seculo VII. Mahometes, deinde Petrus Bruis, aliique, quos omnes Eccleſia Catholica odio ſemper habuit, & anathematizavit. Quocirca conqueri non debent Proteſtantes, ſi errorem hunc adoptantes male audiant; etenim moderna Eccleſia Catholica imitatur antiquam. Jam habeo te muſſitare, ab antiqua Eccleſia hujuſmodi cultum non fuiſſe receptum: hinc parumper attendendum erit ſolitis figmentis tuis.

3. Itaque Apolog. *pag.* 305. ita incipis: *Sanctorum invocatio in uſu non erat apud Eccleſiam Chriſtianam naſcentem. Quis valet credere. Apoſtolorum temporibus Sanctos fuiſſe invocatos, dum neque verbum de hoc habeatur in eorum ſcriptis?* Permittere facile poſſem, Apoſtolorum temporibus Sanctorum invocationem ab Eccleſia frequentatam non fuiſſe, ſiquidem maxime intenta perſonæ, & nominis Jeſu Chriſti, qui tunc primo Orbi innoteſcebat, cultum, & devotionem promovere, ad congruum tempus diſſimulare expediebat; quo non obſtante, ut vides, optimam, piam, ac utilem probare adhuc poſſem Sanctorum invocationem. Uſus, vel non uſus invocationis, res eſt diſciplinæ; an vero hujuſmodi uſus, nec ne, pius, optimus, utilis dicendus ſit, res eſt dogmatis: neque vetus Eccleſia Euſtathium, & Vigilantium proſcripſit ex eo præſertim, quod Sanctos non invocarent, ſed potiſſimum quia hujuſmodi uſum deteſtabantur, docentes nec honorem, nec invocationem Sanctis deberi. Porro quis, cariſſime Picenine, ſibi ſuadere valet, Apoſtolorum temporibus odioſam fuiſſe Sanctorum invocationem, ſi eorum ſcripta id non habeant? Silentium de praxi ſi tibi ſufficiens argumentum videatur de nullitate praxis, ſilentium de proſcriptione uſus ſufficiens certe erit argumentum de nullitate proſcriptionis. At vero ſubdis *pag.* 395., Divum Paulum *id damnaſſe, dum tribus in locis de uno Jeſu loquatur, qui ſemel ingreſſus in ſancta cæleſtia, intercedit pro nobis. Rom.* 8. 34.: *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Hebr.* 7. 25.: *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum. Heb.* 9. 24.: *Jeſus introivit.... in ipſum Cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Quare Paulus Sanctus aliorum obliviſcitur interceſſorum, qui ex ſuppoſitione Pauli Segneri jam ibi erant, & impoſterum plurique numero futuri erant?* Chriſtus ſedet ad dexteram Dei, pro nobis orat, & ſalvare poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: qui niſi intercederet, & oraret pro nobis, tametſi conclamarent Sancti, quis exaudiret? Verum, ais, *ſi & ipſi Sancti orant, quare de ipſis Paulus Sanctus obliviſcitur?* Intentum D. Pauli in illa Epiſtola non poſtulabat, immo non permittebat de Sanctis mentionem facere, ſiquidem ſumma rei erat Jeſum Chriſtum proponere Gentibus univerſalem redemptorem, principalem mediatorem, & ſummum Sacerdotem, qui ſui ipſius una victima peccata delevit, & ipſe pro omnibus, nemo pro ipſo intercedit, immo per ipſum unice orandum eſt, qui ſolus per ſemetipſum accedit ad Deum, aliis nullo modo accedentibus niſi per ipſum, & in ipſo mediatore. Ita explicat Divus Auguſtinus *Lib.* 2. *cont. Parmen. cap.* 8.: *Homines omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus, veruſque mediator eſt.* Non expediebat a Divo Paulo Sanctos nominari, ſi iſtorum

inter-

Digitized by Google

interceſſio efficaciam non habeat niſi ex interceſſione, & meritis Chriſti; quamobrem Tridentina Synodus docet Sanctos pro nobis orare, ſed ut impetrent a Deo *per filium Dei Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt*, Seſſ. 25. Etſi autem D. Paulus *prætermittit* alios interceſſores, non eos *præterit* D. Joannes *Apoc.* 1. 4., ubi fidelibus pacem deprecatur a Deo, & ab Angelis: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt*. Quid autem refert pacem precari a Deo, & ab Angelis, quam Deum orare ut ipſe det pacem, Angelos vero ut intercedant? Ad hæc. Quid ſignificat, quod ſeniores illi 24. ante Agnum proſtrati caderent *Apoc.* 5. 8., *habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*? Quid, quod *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli*? *Apoc.* 8. 4. Non aliud ſane indicat, quam ipſas fidelium orationes a 24. ſenioribus, & ab illo Angelo Deo exhiberi. Demum quid innuere voluit D. Petrus (2. *Pet.* 1. 15.) cum fidelibus ſcripſit: *Dabo autem operam, & frequenter, habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis*? Quomodo D. Petrus promittere poterat operam ſe daturum ſuum poſt obitum, ut fideles memoria recolerent documenta ſua, niſi pro ipſis intercedendo apud Deum? Si dives ille damnatus, in medio flammarum non neglexit patrem Abraham interpellare pro fratrum ſuorum ſalute, cenſendum ne Beatos, & Martyres in Cælo, fidelium ſalutem improbo illo minus procurare? Ecce tibi non uno, ſed pluribus Scripturæ locis Angelos, & Beatos orare, intercedere pro nobis, & conſequenter poſſe invocari. Quid tamen refert, ſi oculos non habeas Picenine ad videndum, nec aures ad audiendum ubi Scriptura loquatur, tantum vero ubi non loquitur, adeoque vel non vides, vel ſi vides, male vides?

4. Ferendum tamen forte eſſet, niſi auderes etiam dicere, *Invocationem Sanctorum, nedum conformem non eſſe, ſed contrariam Sanctæ Scripturæ. Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Rom.* 10. 14.; in quo textu hunc nectis ſermonem: *Aut Romana Eccleſia in Sanctos credit, aut non credit. Si non credit, cur invocat Sanctos? Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Si in Sanctos credit, fas erit in Symbolo novum ſcribere articulum, & fidei in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum addere: Credo in Sanctos*. Optatiſſimum eſſet ſcire ex te, num licitum, ac utile cenſeas, & Dei verbo conforme, ad opem noſtram invocare viventes Sanctos, & eos orare, ut precibus ſuis nos adjuvent? Scriptura id nobis proponit, ubi filii Iſrael 1. *Reg.* 7. 8. Samueli inquiebant: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum*. Deus ipſe Eliphaz, aliiſque amicis Job dixit *Job.* 42. 8.: *Ite ad ſervum meum Job ... Job autem ſervus meus orabit pro vobis: faciem ejus ſuſcipiam &c.* D. Paulus *Rom.* 15. 30.: *Obſecro, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*. D. Paulus igitur fratres ſuos orabat, ut ſibi orationibus ſuis præſto eſſent, quod in ſingulis ferme Epiſtolis ſuis inſinuat, & Calvinus concedit *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 19., neque Picenine diſſenties, qui nihil ultra te factorum aſſeris, quam quod D. Paulus docuit, duce tamen, ac interprete Calvino. Porro ſi D. Paulus in fratres ſuos Sanctos non credebat, quomodo invocabat? Sane præmiſerat: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt*? Si autem in ipſos credebat, quare id non adjecit Symbolo? Quod ſi Sancti vitam hic agentes valeant invocari, quin in ipſos credamus, cur quæſo Sancti in Cælis beati invocari nequeunt, quin in ipſos credamus, ſed in ſolum Chriſtum, cujus eſt illorum preces exaudire? Alia eſt ratio qua Deum, & Jeſum Chriſtum deprecamur, ab ea qua Sanctos, ſive in hac, ſive in alia vita degentes

gentes imploramus. Illa petit quidem in ipſum credere quem invocamus, de quo D. Paulus loquitur: & hujuſmodi invocatio quædam portio eſt divini cultus, & eſt abſoluta obſecratio, quâ nos qui membra ſumus, influxum a capite noſtro exoramus totius boni auctore, in quem unice credere, unice ſperare debemus. Altera non exigit in eum nos credere quem imploramus, non enim ipſum rogamus quaſi primum auctorem, a quo ſperemus petita accipere: neque tanquam ad caput noſtrum ad ipſum confugimus, ſed tanquam alterum membrum reſpicimus, quod eidem capiti proximius conjunctum, ſperamus nobis, & nobiſcum adfuturum, nedum in negotio felicitatis noſtræ, quam in communione ejuſdem corporis, & ejuſdem capitis. Hæc doctrina non mea, ſed illius eſt, qui fidem, & honorem apud te meretur plurimum, ſcilicet Joannis Calvini in *Lib. 3. Inſtit. cap.* 20. §. 19. ſic diſſerentis: *Quanquam interim & ſua Sanctis interceſſiones relinquuntur, quibus alii aliorum ſalutem mutuo inter ſe commendant, de quibus meminit Apoſtolus 1. Timoth. 2. 1. Sed tales, quæ ab unica illa* (id eſt Chriſti) *dependeant, tantum abeſt ut delibent ex ea quidpiam. Nam ut a dilectionis effectu ſcaturiunt, quo nos ultro, citroque amplectimur, ceu unius corporis membra, ita etiam ad capitis unitatem referuntur. Quum ergo illæ quoque in Chriſti nomine fiunt, quid aliud, quam teſtantur, neminem ullis omnino precibus, niſi Chriſto intercedente poſſe adjuvari? Atque ut non obſtat ſua interceſſione Chriſtus, quo minus in Eccleſia precibus alter alteri viciſſim patrocinemur, ita fixum maneat, omnes totius Eccleſiæ interceſſiones in illam unicam eſſe dirigendas.* Ita Calvinus de vivorum precibus, quod & nos dicimus de oratione, & interceſſione Sanctorum in Cælis degentibus, qui perfectiora illis membra ſunt ejuſdem capitis. In hoc tamen a nobis diſtat, & quod intereſt, quodque riſu magis dignum ipſum facit, eſt quod ſibi contradicit, dum concedat nos quidem tanquam membra invicem adjuvari, ope tamen aliena non frui, cum ceteroqui ad ſenſum pateat, membrum ex alterius adjutorio opem ſuſcipere, etſi tota vis, & virtus deſcendat a capite. Calvinus itaque aſſumptum tuum deſtruit, quod nequeat alterius interceſſio adhiberi, quin in ipſum credatur.

5. Diligens ſophiſta admones *pag.* 305., Chriſtum dicere: *Dum oratis, dicite: Pater noſter, Matth. 6. 9. Spiritus Chriſti in nobis clamat Abba, Pater, Galat. 4. 6. Hic ſolus interpellat pro me in corde. Ille tantum interpellat pro me in Cælo. Mirum ſane, quod præceptores iſti non præcipiant dicere: Mater noſtra, & clamare: Imma, Mater, ut faciunt Magiſtri Romæ.* Aſciam tibi illidis cruribus Picenine. Etenim Chriſtus item ait: Dum oratis, dicite *Pater noſter*. Nonniſi ergo Patrem rogabo, minime vero Filium Jeſum Chriſtum? Spiritus Chriſti docet me dicere *Abba, Pater*. Nonniſi ergo Patrem invocabo, minime vero Chriſtum? Si non audio nominatum niſi Patrem, nonniſi Patris nomen invocabo? Pejora ne valent abſurda deduci? Deducuntur tamen ex perverſis Picenini regulis. *Solus Chriſtus pro me interpellat*. Vox illa *ſolus* benigne a te interpolatur, dum non eam in Scripturis legam. Porro ſi duo iſti præceptores, Chriſtus, & D. Paulus, non præcipiunt dicere: *Ave Maria, Imma Mater*, cum non prohibeant, quid tu vis prohibere? Non præcipit Chriſtus, quia docet quomodo Deum oremus, qui nobis daturus eſt Regnum, cujus voluntas fieri debet, cujus nomen ſanctificare tenemur. Quid autem Paulus debuit præcipere, ut diceremus *Ave Maria?* Si tunc docebat illum invocare, cujus adoptionis filii ſumus per Jeſum Chriſtum, quid hic *Imma, Mater?* Quando Patrem oramus, Patrem invocare debemus; quando Mariam deprecamur pro nobis intercedere, tum dicere debemus *Imma, Mater*. Ita docent *Romani Magiſtri*. Si ceteri textus, quos jactas pro-

proxime exhibiturum, eandem habeant vim oppoſitionis, facile excutientur. Pro nunc aſſero, Sanctorum invocationem plenam in Scripturis rationem habere, & inniti conſiliis, & exemplis, quibus conſtanter defenditur.

§. I I.

Invocatio Sanctorum commendata a priſcis Patribus.

6. VAgus ſemper, in aliam irrumpis quæſtionem Apolog. *pag.* 396., nimirum, *Sanctorum invocationem ab omnibus antiquis Patribus expreſſam non fuiſſe*. Si a quopiam non ſit memorata, parum refert, niſi probetur, a Patribus qui *ſeculis* vixerunt, quæ *puriora* hæretici vocant, manifeſte fuiſſe oppugnatam. Primus, quem ducis in aciem, eſt D. Irenæus *Lib.* 2. *cap.* 57. Poſſibile, Domine Piceninne, quod Patres legere nolis, antequam referas? Si Irenæum legiſſes, te puduiſſet in medium ipſum proferre, etenim eo loci Chriſti Eccleſiam Simonianis, Menandrianis, Carpocratianis, aliiſque tui conſimilibus hæreticis opponit, qui malignos ſpiritus adjurabant ad operanda ſua præſtigia; unde ait Sanctus, quod Eccleſia ſicut *gratis a Domino accepit, ita gratis operatur; nihil ipſa facit* (malignorum) *Angelorum invocatione, nec deceptionibus, aliave mala curioſitate: ſed dirigendo pure, mundo, ac aperte Domino, qui omnia fecit, & invocando nomen Domini, miracula operatur ad hominum utilitates, non ad eorum ſeductionem*. Ita loquitur Irenæus. Porro quia Sanctus iſte Pater docet, Eccleſiam nihil operari ope malorum ſpirituum, tu magna illa ſophiſtarum arte tua concludere niteris, nihil operare mediis ſanctis Angelis, atque eo temporum inſolitum fuiſſe iſtos invocare, cum alias ſupra frequentiſſimam fuiſſe Sanctorum invocationem, tum etiam Angelorum tibi oſtenderim, tam ex novo, quam ex veteri Teſtamento? Si de mente Irenæi certior fieri avebas, legere debebas *Lib.* 3. *cap.* 22., ubi inobedientiam Hevæ opponens obedientię Mariæ, ait quod quemadmodum Heva *inobediens facta, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt mortis, ſic & Maria ... Virgo obediens, & ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis*. In *Lib.* 5. *cap.* 19. eadem propoſita comparatione, Mariam appellat Hevæ advocatam: *Et ſicut illa ſeducta eſt ut effugeret Deum, ſic hęc ſuaſa eſt obedire Deo, ut virginis Hevæ Maria Virgo fieret advocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morte genus humanum per virginem, ſolvatur per virginem &c.* Si Irenæus Mariam Hevæ advocatam dicit, per quam aſſerit humanum genus ſalutem conſequi, quomodo negat poſſe Mariam invocari, & intercedere?

7. Prætendis *pag.* 396. Origenem *Lib.* 8. *contra Celſum* (poteras etiam dicere *Lib.* 5.) evertere Angelorum cultum, & invocationem, quia vult *omnem orationem ad Deum tranſmitti per Jeſum Chriſtum; alienum autem a ratione eſſe Angelos invocari*. Verum ſi fragmentum hoc a Dallæo, vel ab alio tuorum non exſcripſiſſes, ſed potius legiſſes integrum *Lib.* 8. contra Celſum, deprehendiſſes quo ſenſu Origenes velit intelligi, & qui cultus, & invocatio ſit, quam Angelis negat deberi. Origenes Celſum oppugnabat, qui Dæmonibus orationes dirigendas eſſe contendebat, & ipſis ſacra fieri, ac alia tribui, quæ uni Deo debentur: Origenes autem unum Deum aſſerit hoc ritu exorandum, & Verbum ejus unigenitum, nequaquam vero Angelos. Quia autem inſtabat Celſus, quod Chriſtiani, qui Dei Filium cultu honorabant, honorare etiam debebant Dæmones, nempe Angelos miniſtros ejus, reſpondet: *Qui quidem ſi intellexiſſet veros miniſtros poſt ipſius Unigenitum, Gabrielem, Michaelem, aliosque Angelos, & Archangelos, eoſque colendos contenderet, fortaſſe colendi ſignificatum repurgantes* (bene nota), *& actiones colentium, dixiſſemus aliquid de hoc loco pro tanta rei dignitate, proque captu noſtra intelligentia*. Non ergo Origenes recedebat a cultu bonorum Angelorum, expurgato tamen,

& minori quam qui Deo, & ejus Filio tribuitur: immo in eodem Libro, poſt negatum Dæmonibus Sacrificia ulla offerenda eſſe, ſive fructuum primitias, ut Celſus volebat, ſed uni tantum hæc præſtanda Deo eſſe, & Chriſto, inde ſubdit: *Quod ſi etiam magno numero cupimus eſſe, quos beneficos nobis volumus, docemur decies millies centena millia aſſiſtere ei, & millia millium miniſtrare ei. Nam hi, ceu cognatos, & amicos videntes eos, qui ipſorum in Deum pietatem æmulantur, ac Deum invocant, riteque illum precantur, eorum ſaluti collaborant, illis apparent, putantque ſui eſſe officii illi obſequium præſtare, & quaſi ex compacto venire ad beneficia, ſalutemque eis conciliandam. qui Deum orant, cui & ipſi preces offerunt.* Et infra *num.* 64., poſtquam dixerat, *placato ſummo Deo, ſequi continuo Angelorum ejus amicorum, animarum, ſpirituumque benevolentiam*, ſubdit: *Cognoſcunt enim & ipſi quinam Dei benevolentia digni ſint, nec ſolum ipſi dignis benevoli ſunt, ſed etiam adjuvant eos qui ſummum Deum colere volunt, illum eis conciliant, ſuas illorum precibus adjungunt preces, ſimul cum eis poſtulant: ita ut dicere audeamus, cum homines firmo propoſito meliora ſectantes Deo preces offerunt, innumeras eſſe ſanctas poteſtates, quæ cum ipſis precentur, etiam non vocatæ: mortale noſtrum genus favore complectuntur, cum illo, ut ita loquar, arma capiunt.* Eodem autem *Lib.* 8.: *Angelus ejus perpetuo faciem cæleſtis Patris aſpiciens, ſemper preces ejus* (Chriſtiani) *in Cælum effert per unicum Pontificem ſummo Deo, ipſe quoque pro ſibi commiſſo deprecans.* Et *Lib.* 2. *in Epiſt. ad Rom. cap.* 2. (ſi tamen Origenis fœtum eſſe concedas) idem repetit non modo de Angelis, quam de Sanctis: *Jam vero ſi etiam extra corpus poſiti, vel Sancti, qui cum Chriſto ſunt agunt aliquid, & laborant pro nobis ad ſimilitudinem Angelorum, qui ſalutis noſtræ myſteria procurant, vel rurſum peccatores etiam ipſi extra corpus poſiti, agunt aliquid ſecundum propoſitum mentis ſuæ, Angelorum nihilominus ad ſimilitudinem ſiniſtrorum. . . . habentur hæc quoque inter occulta Dei: nec chartulæ committenda myſteria.* Supponit hic Origenes Sanctos cum bonis Angelis ſalutem noſtram procurare: ex cujus teſtimoniis Angelorum cultus evincitur, illo inferior, qui Deo, & Jeſu Chriſto debetur. Habemus etiam curam, & ſolicitudinem, qua Angeli ſaluti noſtræ attendunt: quod Patri per Jeſum Chriſtum preces noſtras exhibeant, & pro nobis deprecentur. Quamobrem igitur non licebit ipſos invocare? Utique non id ſemper Origenes aſſerit, ſed indeliberatum dimittit, non irridet tamen, ut tu Picenine facis. Porro autem cum Paganum refutaret, qualis erat Celſus, attendit potius ejus figmenta labefactare, quam religionis noſtræ dogmata ſtatuere, & explicare, quemadmodum D. Hieronymus *adverſus Jovinianum Epiſt. Apolog.* nunc 30. animadvertit.

8. Nunquam tui diſſimilis, *pag.* 306. mones: *Ex D. Cypriano explicationem habemus de Pater noſter. Nunquid præter Dei invocationem aliam Sanctorum præſcribit? Quare Chriſtianos non inſtruebat, quemadmodum poſt Romæ factum fuit? Quare de hoc articulo tacet, niſi quod ſuis temporibus de ipſo ſermo non erat?* Dum Cyprianus explicat *Pater noſter*, vis de Sanctorum invocatione ſermonem fieri, quaſi ſi de Cœna res eſſet, de Baptiſmo ſermonem habere oporteret? Si D. Cypriani in hoc negotio mentem cognoſcere ſatagebas, non inveſtiganda erat tibi *Pater noſter* exponit, ſed in *Epiſtola* 57., ubi poſtquam vivos exhortatus eſt ſe invicem orationibus adjuvare, proſequitur: *Et qui iſthinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.* Hic ſupponit S. Martyr Sanctos in Cælo pro vivis orare. Et in *Lib. de diſciplina, & habitu Virginum*, ait: *Durate fortiter, ſpiritualiter pergite, pervenite feliciter, tantum mementote tunc noſtri, cum in-*

incipiet

vipiet in vobis virginitas honorari. Et in *Lib. de mortalitate: Magnus illic* (in Cælo) *nos carorum numerus exſpectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & de noſtra ſalute ſolicita*. En ſolicitudo, quam de ſalute noſtra Beati ſuſcipiunt, quod doctrinæ illi opponitur, quæ in proteſtantium ſcholis edocetur. Ita Cyprianus ſeculo III. loquebatur, in quo quæſtio nulla erat, ſed certa traditio Beatos curam de nobis gerere, & ſaluti noſtræ attendere; & conſequenter pia, ac utilis eſt ipſorum invocatio, & cultus.

9. *Sanctorum invocatio* (pergis *pag.* 396.) *eò innititur, quod cœleſti gloria fruantur, & ſtent in conſpectu Dei* (Bellarminus *Lib.* 1. *de Sanctor. Beatit. cap.* 14.). *Quomodo autem Sanctorum invocationem exprimebant Patres illi, qui in certo loco eos concludi arbitrabantur uſque ad finale judicium? Juſtinus, Irenæus, Theophilus, Tertullianus, Pius I. Romanus Epiſcopus, qui in hac opinione verſabantur, non poterant eorum fateri invocationem*. Hæc vere tua non ſunt, ſed Dallæi *Lib.* 3. *de cultu object. cap.* 25. Mitto prælaudatos Patres illorum temporum opinionem tibi adoptaſſe, juſtorum animas detineri a viſione beatifica uſque ad ultimam reſurrectionem. Fatetur tamen Dallæus hanc illorum temporum opinionem non fuiſſe univerſæ Eccleſiæ communem: quare apud illos ſaltem, qui juſtorum animas beatitudine donari ſtatim poſt mortem arbitrabantur, iſtorum invocatio, & religioſus cultus, certus, ac firmus habebatur. Patres autem, qui uſque ad reſurrectionem juſtis differri beatitudinem autumabant, Martyrio confectos omnino excipiebant. Ita Tertullianus *de anima cap.* 56., & *de reſurrect. cap.* 43.: *Nemo peregrinatus a corpore ſtatim immoratur penes Dominum, niſi ex Martyrii prærogativa, Paradiſo ſcilicet, non inferis deverſurus*. Quod autem hæc mora penes Dominum a Tertulliano intelligeretur ipſa beatitudo, patet ex eo quod in *Scorpiaco* habet *cap.* 12., ubi de Martyribus ſcribit: *Reſidere cum Domino in throno ejus, & candidum claritatis uſurpare, donec & alii conſortium illorum gloria impleant*, etſi *interim ſub altari placidum quieſcant*; quamobrem ad minus Martyres invocari poterant. Tametſi vero juſtorum animæ longe a gloria detinerentur uſque ad diem judicii, adhuc tamen poterant utiliter invocari, & ad Deum eorum præſentari merita, quia etſi longe a gloria, ſub altari tamen Dei, tanquam ipſi gratæ, quieſcebant: ſi autem qui in hac mortali vita vivunt, & invocari, & intercedere poſſunt apud Deum, quanquam nondum beati, ſi Patres veteres & ipſi extra gloriam poſiti implorari, & eorum virtutum odoramenta pro nobis Deo præſentari poterant, quid non & juſtorum qui in Chriſto moriuntur animæ, quanquam nondum in gloria, invocari potuiſſent? Hoc minime Bellarminus negat, quem de more non capis; tantumve ait, quod cum in hac hypotheſi ipſi non valeant ſupplicantium preces propria cognitione percipere, non immediate ipſi debebant invocari, dicendo *Sancte Abraham ora pro nobis*, ſed Deus immediate per eorum merita, & virtutes exorari, ut mediis iſtis, ſupplicantium preces gratæ magis, & efficaciores fierent.

10. Inſtas *pag.* 307., quod *cum aperte conſtet in Liturgiis D. Chryſoſtomo, & D. Cyrillo adſcriptis, orationes fieri pro Martyribus, pro Apoſtolis, pro ipſa Virgine, inſanum eſſe oportet qui credat illum invocari, pro quo conſueverat deprecari*. Inſanus itaque tu Picenine, qui imploras, & interpellas juſtos adhuc viventes, pro quibus tu quoque ad Deum oras. Si veteres Patres orabant pro Martyribus, & pro Apoſtolis, perantiquum ergo erit pro defunctis exorare. Quomodo autem veteres orarent pro Martyribus, & pro Apoſtolis, dictum jam fuit in Articulo Purgatorii num. 82. & 83. Quod autem ad præſens attinet, peto ex te, an Chryſoſtomi,

&

& Cyrilli Liturgiæ lectæ a te fuerint, an vero contentus fueris in fide Dallęi tui eas indicare? Lecta a me fuit quæ D. Jacobo tribuitur, quam ipſe Dallæus perantiquam confitetur, & comperi de magna Virgine, & de Sanctis hæc recitari: *Sanctiſſima inviolata, glorioſiſſima, benedicta Domina noſtra Dei Genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & juſtorum memoriam facimus, ut precibus, ac interceſſionibus ipſorum omnes miſericordiam conſequamur.* Cum de *Virgine* ſermo fiat, honorifice nominatur, ſicut etiam in illa D. Marci, & in ſignum obſequii dicitur *Ave Maria.* Illa etiam D. Baſilii lecta a me fuit, & accepi, dum S. Virginis, & Sanctorum fiat commemoratio, jam ſupponi pro nobis aſſidue orare, & obſecrari. Apud iſtam D. Chryſoſtomi concepta hæc verba legi: *In honorem, & memoriam ſemper benedictæ glorioſæ Dominæ noſtræ Dei Genitricis, ac ſemper Virginis Mariæ, cujus interceſſionibus ſuſcipe Domine Sacrifieium hoc*; & memorando Confeſſores, & Martyres, orat *eorum precibus ſe viſitari a Deo.* D. Cyrillus in *Catechiſ. myſtagog.* 5. id confirmat ſequentibus verbis: *Hoc Sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus eorum qui dormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus illorum precibus, & interceſſionibus preces noſtras ſuſcipiat.* Idem legi in ordine oblationis Myſteriorum Severi Patriarchæ Alexandrini, & in Miſſa Æthiopum. Hujus diſciplinæ amplam fidem facit Divus Auguſtinus *Tract.* 84. *in Joann.*, ubi de Martyribus loquens, ſcribit: *Ideo quippe ad ipſam menſam non ſic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcunt, ut etiam pro eis oremus, ſed magis ut orent pro nobis.* Et *in Serm.* 17. *de Verb. Apoſtoli cap.* 1. modo *Serm.* 159.: *Ideoque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oratur, pro ceteris vero commemoratis defunctis oratur. Injuria enim eſt pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Quid ergo Picenine aſſerere audes, veteres exoraſſe pro Martyribus, Apoſtolis, & pro ipſa magna Virgine?

11. Gannis ore livido *pag.* 307., *in Miſſali Romano extitiſſe: Exaudi Deus, ut proficua ſit animæ ſervi tui Leonis hæc oblatio; ſed in præſens habent: Exaudi, te deprecamur Domine, ut per interceſſionem Beati Leonis nobis proficua ſit hęc oblatio. Etenim, ait Innocentius III., Sancti non egent orationibus noſtris, nos indigemus precibus Sanctorum*; & *Gloſſam annectit: Antiquitus pro illo preces fiebant, in præſens pro nobis orat, & ſic immutata res eſt. Ita fit Romæ* (dignum Picenini commentum), *mutatur, additur, minuitur, juxta tempora.* Quid, oro, ex hoc prætendis Domine Picenine? Quondam oratio fiebat pro animabus Leonis, Dominici, Franciſci: modo vero exoratur ad Deum, ut per eorum interceſſionem nos exaudiat. Etenim quia tunc Eccleſia nondum declaraverat, nec publico propoſuerat illorum ſanctitatem, pro illis orabat, quemadmodum pro aliis facit; non amplius autem pro ipſis nunc orat, quia certa jam de ipſorum ſanctitate, & iſta fidelibus propoſita, optime ſcit eos non amplius noſtris, bene vero eorum precibus nos indigere. Hinc agnoſce Eccleſiæ prudens, & maturum conſilium in invocatione Sanctorum; tunc enim eos dumtaxat implorari conceſſit, cum de eorum ſanctitate, vel ex miraculis, vel ex aliis firmiſſimis argumentis plene certa fuerit: quamobrem modo pro illis orabat, modo illos invocabat. Hoccine autem mutari? Vos Calviniſtę, iniquitatis artifices, deſtruitis ædificata, & deſtructa innovatis: quod & a nobis fieri velletis, ſcilicet quod Eccleſia modo nullum Sanctum, modo quempiam pronuntiaret, ſed ſtatim poſt obitum. Ut pateat quis mutaverit, addiderit, minuerit, dixerit, & retractaverit, legatur Euchariſticum Gaſparis Scioppii, & hiſtoria de varietate Eccleſiarum proteſtantium Domni Boſſuet.

22. Iterum inſtas: *Si antiqui Patres* (ut ait Panigarola) *exprimebant Sanctorum invocationem, quomodo a Gentilibus Chriſtiani criminabantur, ab ipſis coli ſolum hominem crucifixum? Quot Martyres a Magiſtratu ad mortem damnati fuerant, crucifixi, aſſati flammis, vivi conſumpti, attamen unus homo crucifixus colebatur! evidens indicium, illis ſeculis Sanctos nec invocari, nec coli.* Primis Eccleſię temporibus, dum perſecutionis gladius crudeliſſime inſæviebat, nullus forte publicus conſtabat Martyrum cultus, quia Chriſtiani Tyrannos metuentes, & Templa in occultis antris ædificabant, & Eccleſias in ſecretioribus, & remotiſſimis locis habebant. Gentibus autem notum erat hominem crucifixum ab illis adorari, quia hęc erat expreſſa Chriſtianæ religionis profeſſio; Sanctos vero ab ipſis ſecreto invocari, ac venerari, non ita facile Paganis innoteſcere poterat: atque hæc eſt argumenti negativi leviſſima ratio, quę nihil evincit, immo mala eſt conſequentia, ex ſolitis tuis, inferre ſcilicet ex eo quod veteres Chriſtiani Sanctos non adorarent, neque invocarent; cum non idem ſit adorare, & invocare. Proprie non colitur niſi ſupremus, invocantur autem etiam minores, ut opem præſtent. Veteres unum hominem crucifixum ut Deum adorabant, atque ut primum objectum Chriſtianæ religionis, in quem omnem ſpem ſuam collocabant: quod Pagani nec ſuaderi, nec capere valebant. Quod vero invocarent, & colerent Martyres, qui ob fidem illius Dei crucifixi ſanguinem fuderant, Paganis non erat mirabile, cum & ipſi adorarent qui pro patria, vel religione conſtanter obiiſſent. Uno verbo, aliud eſt proprie *adorare*, aliud vero *honorare*. Primum proprie uni Deo debetur, alterum creaturæ tribui poteſt, in qua poteſt Deus honorari: *Honorat enim omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat. Nam & fratres ſecundum Apoſtolum invicem ſe honore præveniunt, nec tamen invicem ſe adorant.* Ita D. Auguſtinus *contra ſerm. Arianorum cap.* 23. Sed de hoc alibi. Hæc autem dicta ſint ex ſuppoſitione tua. Ceterum, quomodo vales aſſerere, Gentes non exprobraſſe Chriſtianis quod Martyres colerent? Euſebium lege *Lib.* 4. *hiſt. cap.* 15., & *Lib.* 8. *cap.* 6., & audies Martyrum corpora a Gentilibus vel combuſta, vel in mare dejecta, *ne quis illos ſepulcris conditos pro Diis, ut ipſi quidem opinabantur, reputans, impoſterum adoraret.* Poſt martyrium D. Polycarpi Proconſulem hortati ſunt, *ne cadaver illius donaret, ne forte, ut ajebant, relicto crucifixo, hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent.* Ita Euſebius *Lib.* 4. *cap.* 15. Apud D. Auguſtinum *Lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 4. Chriſtiani a Manichæo illo ſic conviciabantur: *Idola vertitis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis.* Et ſuper *Pſ.* 98. Chriſtiani appellantur *adoratores Angelorum.*

§. I I I.

Non idololatricus, ſed legitimus, & immaculatus eſt cultus, qui Sanctis præſtatur.

23. Panigarola aſſerit triplicem Deo cultum nos debere; ſcilicet *imitationem*, *honorem*, & *invocationem*. Reſpondes *pag.* 307. Apologiæ, Calvinum tuum *Lib.* 2. *Inſt. cap.* 8. §. 16. velle *ex pluribus Deo nos teneri, quæ ad quatuor reducit, adorationem, fiduciam, invocationem, gratiarum actionem.* Redarguis inde Panigarolam, quod hanc doctrinam non oppugnet. Sed non oppugnat, quia ſui instituti ratio id non expetit. Sed inſtas: *Quare eam immutat?* Canones ne eſſe putas Calvini dogmata, quæ nequeant mutari? Panigarola doctrinam ſuam commendat teſtimoniis Scripturæ, & Patrum; quamobrem tui negotii modo eſt ejus falſitatem oſtendere. Quod ad me attinet, quin timeam Panigarolæ doctrinam periclitari, mitto illam Calvini, nimirum Deo nos debere *adorationem, fiduciam, invocationem,*

gra-

gratiarum actionem, dummodo eam intelligas quemadmodum inferius dicam. Non tibi placet comparatio quam Panigarola inſtituit inter cultum, & imitationem, dicens: *Nos Deum imitamur, & Sanctos; Deum ut prototypum, Sanctos ut exemplaria hujus prototypi*; ad quæ verba ſic debaccharis: *Quid cum adoratione habet ipſa imitatio? Nos imitamur non modo Sanctos, quam Gentes, in eo quod laudabiliter geſserunt, bruta etiam, formicas, columbas, & ſerpentes. Volet ne Panigarola inferre, a nobis invocandas eſſe Gentes, & adoranda bruta?* At vel non capis, vel ad vitandam difficultatem fingis non capere Panigarolæ ſermonem, qui talis eſt „ Cum in cultu
„ noſtro teneamur Deum reſpicere
„ ut in ſe optimum, ut noſtri Do-
„ minum, ut benefactorem; quia op-
„ timum, imitari debemus, quia Do-
„ minum, honorare, quia beneficum, in-
„ vocare: quare ſi Eccleſia Romana
„ idololatra eſt, quia aliqualem Dei
„ cultum hominibus Sanctis tribuit;
„ vel ideo eſt, quia ubi Deum tenetur
„ imitari, Sanctos etiam ſuos imitatur,
„ vel quia ubi Deum debet adorare,
„ Sanctos etiam adorat, vel quia in-
„ vocationem, quæ Deo debetur,
„ dirigit ad Sanctos ipſos: ac in ſum-
„ ma, quia aliam bonitatem imita-
„ tur, aliam ſuperioritatem adorat,
„ aliam invocat beneficentiam præter
„ illam ſolius Dei „ Ita Panigarola: cui quid reſpondes? Nempe: *Quid cum adoratione habet imitatio?* Et tamen ex ore D. Auguſtini id pronuntiatur: *Summa Religionis eſt imitari quem colis, Lib. 8. de Civit. Dei cap.* 17. Et poſt varia Scripturæ teſtimonia, ex ipſo Seneca gentili hoc tibi proponitur: *Vis Deos propitiari? Bonus eſto: ſatis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.* Quid ad hæc Picenine? Quod *imitentur tum Gentes, tum Bruta?* Panigarola non aſſerit quamlibet imitationem habere rationem cultus, & invocari debere quicunque imitatur, bene vero cultum quemlibet ſecum habere imitationem, & quod vera Dei invocatio, & adoratio ſit ipſius imitatio, unde D. Paulus ajebat: *Eſtote imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi (Epheſ. 5. 1.). Qui dicit ſe in Deo manere, debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare. 1. Joan. 3. 6.* Ergo valet, debere nos Deum adorare, & invocare, atque idcirco imitari; non autem valet debere nos Gentes, in his quæ laudabiliter fecerunt, imitari, adeoque eas etiam adorare, & invocare.

14. *Deus ille* (ait Panigarola) *qui ſolus vult adorari, permiſit Jacobo ſepties fratrem Eſau adorare, Juditha Olophernem, Nabuchodonoſor Danielem, Abrahamo, & Joſue Angelos. Deus qui ſolus vult honorari, mandat honorare parentes. D. Paulus vult uni Deo famulatum præſtari, ſervis tamen mandat obedire Dominis ſuis.* Reſpondes pag. 398.: *Adoratio, ſive cultus, alter religioſus eſt, alter civilis. Civilis hominibus etiam reddi licet, religioſus ſoli Deo reddendus eſt. De pietate, & religione regula valet: Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies (Matth. 4. 10.).* Sed quæſo ex te, nonne æque Deo cultus debetur, ſive ut ſupremum eſt religionis objectum, ſive ut ſupremus Dominus in ordine politico? Porro ſi, quin injuria fiat cultui ipſi debito, permittit nobis, immo præcipit cultum reddere civilem, & politicum Principibus, Majoribus &c., quia cultus qui terreno Principi datur, dignitate minor eſt cultu quem ipſi præſtamus; quid porro non conſentit religioſum cultum Sancto etiam exhiberi, nec dici valebit, cultum, quem Sancto reddimus, illo inferiorem eſſe, qui Deo præſtatur? Deum honoramus, dum Principem honoramus qui Dei vices in terris gerit, tum etiam ex ſententia Calvini; quare autem dum Sanctum honorare inſtituo, dici nequit Deum a me honorari, cujus Sancti ſervi ſunt, & amici? Si dum cultu religioſo Sanctum honoro, reſpicerem tanquam principale objectum mei cultus non Sanctum, ſed Deum, & hujuſmodi actu Deum in Sancto adorare proponerem, profecto præceptum non offenderem de uno colendo Deo, & ipſi

ſoli

ſoli inſerviendo, quia quemadmodum creaturam diligere valeo abſque injuria Dei ſummi boni, dummodo ipſum unice reſpiciam tanquam primum dilectionis objectum, ita venerari, adorare, & religioſe colere Sanctum optime licet, abſque Dei injuria ſupremi adorabilis, dummodo ſupremum cultus mei objectum ſit non hic, vel ille Sanctus, ſed Deus. Hebręi ipſi ab idololatria nos liberos eſſe fatentur hoc ritu adorantes Jeſum, licet apud eos, ut mentiuntur, Deus non credatur, ſed purus homo. Ita in Thalmude *tit. de Synedrio*, quod refert Grotius *Lib. 5. de unit. Relig. Chriſt. in fine*: *Thalmud negat Jeſum idoli eſſe nomen, quando Chriſtiani in ejus honore reſpiciant Deum Mundi opificem*. Hic nimirum eſt cultus, quem Sanctis Eccleſia Romana exhibet, totum referens ad Deum, qui Sanctos facit. Veneratur Deum, & ipſum adorat duplici ritu, & in ſeipſo, & in Sanctis ſuis: & quemadmodum charitas duos reſpicit actus, unum primarium dilectionis Dei, ſecundarium alterum dilectionis proximi, in ordine tamen ad Deum, idest amat Dei bonitatem in creatura participatam, ideoque uterque actus principaliter reſpicit ſolum Deum; ita religio duos habet actus, primarium ſcilicet, quo Deum unum in ſe ipſo colit, & adorat ſervitutis obſequio erga ipſius majeſtatem, alterum ſecundarium, quo honorem defert creaturis illis, quibus collatum videt a divina majeſtate bonorem, gratiam, & majoris glorię diſpenſationem: quo actu cum divinę bonitatis radium in illis participatum honoret, hic honor Deum ipſum exaltat quatenus objectum primarium. Quod ſi delicatiſſima conſcientia tua timeret concedere, religionis virtutem poſſe tanquam objectum etiam ſecundarium reſpicere qualemcunque cultum creaturæ, alienus non ero hoc nempe tibi concedere, cultum ſcilicet qui Sanctis exhibetur, in hoc ſenſu non dici religioſum, quaſi immediate a virtute religionis exeat tanquam actus ejus proprius, ſiquidem objectum ipſius immediatum eſt ſolus cultus Deo pręſtitus: dicitur autem religioſa hęc honoris teſtificatio, quę Sanctis tribuitur, quia ſit ob religionis virtutem, & ad ejus objectum dirigitur. Hæc ſane non ignota doctrina eſt, ſed a doctioribus etiam inter proteſtantes clariſſimis admiſſa. Ameſius *tom. 2. Bellarm. enervat. Lib. 6. cap. 5. §. 33.* ait: *Honoranda ſunt creaturæ Dei ex religione erga Deum, non ex religione erga ipſas. Religio (ut Scholaſtici loquuntur) imperat, non elicit iſtum honorem*. Grotius *in animadverſ. contra Rivetum pag. 43.* notat, nomen religioſi cultus eſſe ambiguum: *Nam & religioſus eſt honor, qui ſoli Deo defertur, & religioſus eſt qui ob Deum defertur Angelis, & Apoſtolis: Neque enim is honor ad communem civilemque vitam pertinet*. Immo Rivetus *in exam. animadverſ. Grotii ad art. 21.* de nomine unice contendere videtur, ſed re vera tamen accedere ad ſententiam Grotii; quippe ait: *Quamvis honor, quem Angelis, & Sanctis deferimus, non ad communem civilemque vitam pertineat, pertinet tamen ad dilectionis, & ſocietatis honorem, ut Auguſtinus recte diſtinguit*. In quo nec nos diſſentimus. Proteſtantes igitur ſocietatis, vel dilectionis honorem ipſum appellent, dummodo honorem hunc fateri non dubitent ſuperioris gradus, & ordinis, quam ſit communis honor civilis, & erga Sanctos exerceri concedant ob religionis virtutem, a qua promoveatur ut illius objectum, in quod ultimo dirigitur. Negent autem religioſum ipſum dicere, ſola erit, quę parum refert, nominis quæſtio.

25. Cultus iſte ita cognitus, & declaratus, aperte prodit putidiſſimam calumniam tuam, dum nos idololatras dicis, quaſi *demus creaturis cultum ipſum, eodemque ritu, ſicut Deus ipſe colitur*. Sermo ſupra allatus duplici commendatur facto; uno Abrahami, qui Angelos adoravit, & iſti adorari permiſerunt *Geneſ. 18. 2.*, ſicut & Joſue adorantis Angelum *Joſue 5. 14. 15.*, quin iſte reſtiterit; altero Divi Joannis, qui cecidit ut adoraret Angelum, qui reſtitit, dicens: *Vide ne feceris:*

ceris: conſervus enim tuus ſum.... Deum adora. Apoc. 22. 9. Non me latet, in eo te eſſe propoſito, quod Abraham Angelos illos adoraret cultu mere civili, ipſos homines eſſe reputans, cultu nempe jam exhiberi ſolito erga Peregrinos, ſicut & Joſue cultu vere religioſo Angelum adoraſſe, quia in illo Angelo Chriſtum adorare ſibi ſuaſerit. Verum affirmo, & teneo, Abrahami quoque adorationem vere religioſam fuiſſe, non mere civilem. Permittam Abrahamum hoſpitio recepiſſe Angelos illos, *quin Angelos eſſe cognoſceret*, ut D. Paulus juxta editionem tuam indicat *Heb.* 13. 2., licet in mea hæc non legam. Attamen nego, Abrahamum illos habuiſſe ut puros homines, & eos recepiſſe ſola hoſpitii cauſa; videor enim videre in illis quodpiam excellens adnotaſſe, quod ipſi ſuaſit credere in ipſis extare Dominum: quod deſumitur ex ambiguitate ſermonis ejus ad ipſos, nunc pluraliter, nunc ſingulariter alloquentis. Sic me dicere movet D. Auguſtinus *de Civit. Dei Lib.* 16. *c.* 29.: *Neque enim aliam ob cauſam ſic eos ſuſceperunt, ut tanquam mortalibus, & humana refectione indigentibus miniſtrarent: ſed erat profecto aliquid, quo ita excellebant, licet tanquam homines, ut in eis eſſe Dominum, ſicut eſſe adſolet in Prophetis, hi, qui hoſpitalitatem illis exhibebant, dubitare non poſſent: atque ideo ipſos aliquando pluraliter, & in eis Dominum, aliquando ſingulariter appellabant.* Porro qui Angelos adorabat, in ipſis Dominum agnoſcens, profecto non adorabat civili cultu, ſed religioſo: quem Angeli ſibi exhiberi permiſerunt, nimirum quod cognoſcerent Abrahami cultum non in ipſis ſiſtere, ſed ad Deum referri, qui in illis eſſe ab Abrahamo credebatur. Angelus vero, quem Joſue adoravit, Archangelus Michael erat, deſcriptus tanquam Princeps militiæ Domini, & tutelaris populi Dei, *Dan.* 12. 1. Hinc Joſue ab ipſo petiit: *Noſter es, an adverſariorum?* Et audito quod erat *Princeps exercitus Domini*, & ad ferendam opem veniſſet, cecidit, & adoravit eum. Porro ſi iſte cultus ſit religioſus, Angelo ſane religioſum cultum præſtari poſſe conſtat, cum nuntius venit, & Dei miniſter, quo titulo permittunt Angeli ſe adorari. Contra Angelus ille, qui D. Joanni apparuit, adorationem ſibi prohibuit, quia cum tantæ majeſtatis apparatu ſe manifeſtaſſet, quod viſus ſit D. Joanni Deus ipſe, cui quaſi ultimum ſui cultus ſcopum adorationem ſuam Joannes poterat deſtinare, debuit corrigi: *Vide ne feceris*. Ita Divus Th. 2. 2. *q.* 84. *art.* 1. *ad* 1., & Divus Auguſtinus *Lib.* 5. *quæſt. ſuper Geneſ. quæſt.* 61.: *Talis enim apparuerat, ut pro Deo poſſet adorari, & ideo fuerat corrigendus adorator*. Ex hac tamen prohibitione quam fecit Angelus, non permittens adorari, male infers *illicitum eſſe Angelos adorare*, ſiquidem poſt vetitum Joanni *cap.* 19. *num.* 10. Apocalypſis ne adoraret, lego tamen *cap.* 22. *num.* 9. adhuc D. Joannem perſtitiſſe ut adoraret. Vel igitur D. Joannes ignorabat illicitum eſſe adorare Angelos, quod eſt impoſſibile, vel ſciens illicitum, voluit adorare, quod iterum impoſſibile eſt, vel tandem Joannes intellexit, non permitti ab Angelo cultum ſibi præſtari in reverentiam humanæ naturæ a Verbo per incarnationem honoratæ: *Quid eſt quod ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, & tacent, poſtmodum vero adorari refugiunt? Niſi quod naturam noſtram, quam prius deſpexerant, poſtquam ſuper ſe aſſumptam conſpiciunt, proſtratam ſibi videre pertimeſcunt?* Ita D. Gregorius *Hom.* 8. *in Evang.*, & Abulenſis *in cap.* 5. *Joſue quæſt.* 76.

16. Nunc autem magnum tibi negotium faceſſunt *pag.* 300. duo Græca nomina *Latria* & *Dulia*, quæ tibi videntur idololatriæ offenſionem, & cauſam nobis præbuiſſe. Voce *Latria* cultum ſervitutis deſignamus, quem ſoli Deo tribuimus, & ipſi ſoli ſervimus, quod D. Auguſtino duce facimus *Lib.* 10. *cont. Fauſtum cap.* 21.: *At illo cultu qui Græce* λατρεια *Latria*

dici-

dicitur, *Latine uno verbo dici non poteſt*, *cum ſit divinitati quadam proprie debita ſervitus, nec colimus nec colendum docemus niſi ſolum Deum*. Voce autem *Dulia* ſignificamus genus quoddam minoris cultus, quo Sanctos veneramur, & adoramus, ut interceſſores noſtros, amicos, & Deo gratos. Hanc diſtinctionem diris devoves, cujus cauſa evolviſti Vives *in cap.* 1. *Lib.* 10. *de Civit. Dei*, Vallam, alioſque grammaticos tibi geniales: poteras tamen a tam faſtidioſo labore abſtinere, quippe qui nullam vim faciam in vocibus, ſed in ſignificatis, & quin hinc contendam, dabo alterutram ſignificare ſervitutem; ſed Eccleſiæ praxis fuit, ſervitutem, quam homo ſoli Deo profitetur tanquam ſupremo ſui, & omnium Domino, ſignificare uſu nominis *Latria*: ſervitutis autem ſpeciem, quam homo Sanctis exhibet, uſu nominis *Dulia*. Nomina quippe ſignificant ad placitum eorum, qui ea aſſumunt, & aſſumi aliquando poſſunt juxta priſtinam eorum inſtitutionem, aliquando vero ex uſu receptio. *Latria*, & *Dulia* in ipſa originali impoſitione nominis ſervitutem porro ſignificent, dummodo ex uſu accepto una ſignificet abſolutam ſervitutem, quæ ſoli Deo debetur, altera vero reſpectivam illam ſervitutem, quę Sanctis tribuitur: *De aliquo nomine dupliciter convenit loqui, uno modo ſecundum primam ejus impoſitionem*, *alio modo ſecundum uſum nominis*. Ita D. Thomas 1. *p. qu.* 67. *art.* 1. *in corp.*, & 2. 22 *qu.* 57. *ar.* 1. *ad* 1. Hinc tu cum Calvino tuo falſiſſimum mendacium evomis, dum ais *cultum ab Eccleſia Romana praſtitum Sanctis, ipſummet eſſe, qui Deo redditur;* quoniam ſi ex eo quod civilis ſit ſervitus, quam profitetur famulus hero ſuo, & illa quam profitetur ſupremo Principi, non ſequitur eundem eſſe cultum, qui & ſupremo Principi, & hero præſtatur, quare dicendum erit eodem cultu honorari Virginem, & ceteras creaturas, ac Deum ipſum, quia in eodem lato genere ſervitutis, & cultus iſta conveniunt? Idem ferme eſſet ac dicere: Quia homo, & equus in eodem genere animalis conveniunt, ideo idem eſt homo, & equus. Virginem veneramur, invocamus, & etiam adoramus: num idcirco ſicut Deum eam colimus? Quę dialectica docuit tam perverſas illationes? Externo honoratur cultu, qui *Hyperdulia* dicitur, quę major eſt quam *Dulia*, ea ſcilicet quę Sanctis exhibetur, minor tamen quam quæ Deo. Si *eam invocamus totis prę cordiis*, *& fiduciam in ipſam habemus*, non eſt quod ab ea immediate peccatorum remiſſionem exſpectemus, quam a ſolo Jeſu Chriſto ſperamus, ſed quia ſperamus, eam, utpote Mater, apud Filium ſuum Jeſum Chriſtum valere plurimum ad impetrandum: idcirco ad eam confugimus, quaſi qui a Rege gratiam deſiderans, confugeret, invocaret, & fiduciam ſuam in Matrem Regis reponeret. Panigarolam *pag.* 400. ſic urgere contendis: *Duo Panigarola Chriſto tribuit. Ipſum invocat ut interceſſorem ſuum*, *& Deum orat*, *ut per illius merita ipſum exaudiat. Nonne totum id Sanctis tribuit? Nonne ut interceſſores invocat? Nonne Deum orat*, *ut per illorum merita*, *quorum reliquiæ ſunt in Altari, ipſum exaudiat?* Chriſtum conſidero meum interceſſorem, Deum per ejus merita exoro, ſed Filium ipſum eſſe conſidero, qui per ſe ipſum intercedit apud Patrem. Imploro ejus merita, utpote quibus ex juſtitia debetur remiſſio, & quę pretium ſunt meæ ſalutis. Sanctos autem reſpicio ut interceſſores, ſed ut ſervos, qui intercedunt apud ſuum, ac meum Dominum, quique ad Deum non accedunt niſi per Chriſtum. Eorum autem imploramus merita, non ut pretium cui debita ſit noſtra ſalus, ſed tanquam media, quæ divinam miſericordiam moveant ut applicentur nobis Jeſu Chriſti merita, quæ ſunt unicum pretium redemptionis noſtræ.

17. Putas omne effugium Panigarolæ prohibere, inquiens *pag.* 400.: *Ipſe concedit Sanctis exhibere Duliam*, *ideſt ſervitutem*. *Atqui hic cultus ſoli Deo debetur*. *Quod in Scriptura Sancta nitidiſſime conſtat*, 3. *Reg.* 9. 9.: *Se-*

cuti ſunt Deos alienos, & adoraverunt eos, & ſervierunt illis. Jerem. 22. 9.: Dereliquerunt pactum Domini Dei ſui, & adoraverunt Deos alienos, & ſervierunt illis. Jerem. 25. 6.: Nolite ire poſt Deos alienos, ut ſerviatis eis. In Lib. Judic. 2. 7. laudatur Iſraelitarum pietas, eo quod vivente Joſue ſervierint Domino. D. Paulus Galat. 4. 8. Gentes redarguit Idololatria, quia illis ſervierint, qui ex natura ſua Dii non erant. Quid evidentius dici valet adverſus Panigarolæ Theologiam? Religioſam ſervitutem tribuit Sanctis, & negat ſe Idololatram? Putidiſſimis hiſce ratiunculis, millies a noſtris exploſis, tibi ſuades omnem aditum Panigarolæ occluſiſſe, cum latius inde pateat. Demus cultum Sanctis a nobis præſtitum *ſervitutem* dici poſſe, tametſi nil aliud ſit, quam *reverentia, & honor*, neque in Tridentina Synodo unquam comperies *ſervitutis* nomen, ſive verbum *ſervire* relate ad Sanctos; a communi tamen ad particulare, contra omnes regulas dialecticæ, argumentum tuum inſtituis. Servire quaſi Deo, qui Deus non ſit, eſt verum Deum derelinquere, ut ſerviatur his, qui Dii non ſunt. Nos vero dum Sanctis ſervimus, a ſervitio veri Dei non recedimus, immo dum ipſis ſervimus, Deo ſervimus Sanctorum auctori: & ſic iterato illi ſervimus, ipſi ſcilicet immediate in ſeipſo, & mediate in Sanctis ſuis, quos ipſe fecit. Audiamus D. Auguſtinum *Lib. 11. de Trinit. cap. 6.* quomodo optime diſcernat a *Latria Duliam*. Explicans nempe quomodo ſoli Deo ſervire debeamus, ait: *Jubemur non ſervire creaturæ, ſed creatori: non eo modo, quo jubemur per charitatem ſervire invicem, quod eſt Græce* δουλεύειν, *ſed eo modo quo tantum Deo ſervitur, quod eſt Græce* λατρεύειν. *Unde Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent, quæ debetur Deo, juxta quod dicitur: Adorabis Dominum Deum tuum, & illi ſoli ſervies.* Ecce Auguſtinus diſtinguens inter Latriam, & Duliam, inter ſervitutem, & ſervitutem, qui & conſentit quod ſervitus aliis præſtetur, dummodo non ea ſit, quæ Deo ut Deo exhibenda eſt. Et re vera, Scriptura, quæ eſt regula noſtra, cultores Idolorum nunquam *Idolodulos* appellat, nec eorum peccatum *Idoloduliam*, ſed ſemper *Idololatras*, vel *Idololatriam*, ut ſciamus illum Idololatram dumtaxat eſſe, qui Idolo cultum, & ſervitutem præſtat Deo debitam, Idololatriæ vero peccatum eſſe quod tunc committitur.

18. Iſraelitæ 3. *Reg.* 9. 9. reprehenduntur, quod: *Dereliquerunt Deum ſuum, & ſecuti ſunt Deos alienos*. Sed creaturam ſequi, res ut eſt Dei, Deum eſt ſequi in ejus creatura; quod non prohibetur *Pſ.* 98., ubi dicitur: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*. Id autem ad litteram intelligitur de Arca Domini, dicta ſcabellum pedum ejus 1. *Paralip.* 28. 2., 2. *Reg.* 6. 2., *Pſ.* 31. 7. 8., ubi de cultu religioſo ſermo eſt: *Quoniam ſanctum eſt*. De hujuſmodi cultu non offendebatur Deus, immo hunc exigebat, puniens eos qui involuntarie etiam irreverentes fuiſſent, ut accidit Bethſamitis 1. *Reg.* 6., quorum multitudo occiſa fuit, irreverenter eam conſpicientes: ſic Oza 2. *Reg.* 6. morte punitus, inconſiderate eam tangens; & hoc ideo, quia Arca ſedes erat Dei, in qua Deus colebatur. Porro ſi cultus, & obſequium Arcæ præſtitum, Domino præſtabatur, quin idololatricus eſſet, quia in Arca Deus colebatur, cujus ſedes, & thronus erat; quare venerari, & honoris ſervitutem Sancto reddere, idololatria erit? Si quilibet Sanctus ſedes, & templum eſt Dei, & ſcabellum pedum ejus, 1. *Cor.* 3. 16. 17.: *Templum Dei eſtis vos, Templum Dei ſanctum eſt*, cur de ipſo dici non poterit: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt?* Quid evidentius contra falſam Theologiam tuam, qui ex mero arbitrio contendis alicui religioſe utcunque ſervire idem eſſe, ac ipſi tanquam Deo ſervire, nec unum habes ſcriptum apicem, qui id comprobet? Quod garris de Samuele, di-

cente

cente 1. *Reg.* 7. 3.: *Dirigite cor veſtrum Domino, & ipſi ſoli ſervite*, concludit nihilum, ſiquidem intelligi vult: Nemini ſervite quomodo Deo debetis; idcirco dicitur: *Auferte Deos alienos de medio veſtri, Baalim, & Aſtaroth.* Nunquid voles idipſum eſſe, Virgini, & Sanctis ſervire, ac Baalim, & Aſtaroth? Origenes *Lib.* 8. contra Celſum, qui Dæmoniis ſacrificari volebat, reſpondet Deo tantum, & Jeſu Chriſto Sacrificium eſſe offerendum. Nos enimvero Sanctis ſacra non facimus: ſi autem *Duliæ* actum ipſis præſtemus, hoccine idipſum apud te erit, ac illum exhibere Dæmoniis? Sed omnem fallaciam tuam aperiamus in hac voce *ſervitutis*; duplicis quippe generis eſt, una abſoluta, & perfecta ſervitus eſt, alia imperfecta, & relativa. Prima unum alteri omnimode ſubjicit, adeo ut ipſum reſpiciat tam ut principium movens, quam ut finem. Hujuſmodi ſervitus uni Deo debetur, dum ille eſt, qui & primo ad operandum movet creaturas omnes, & inſuper finis eſt, in quem omnia dirigenda ſunt. Imperfecta ſervitus, & relativa, ea eſt, qua quidem unus alteri ſervit, & aliqualiter ab ipſo cui ſervit ad operandum movetur, ſed ita tamen quod is cui ſervit, nec primus motor eſt, ſed & ipſe ſubjectus illi cui ſubduntur omnia, qui eſt omnium Dominus. Hujuſmodi ſervitus, non reſpicit tanquam ultimum finem ſervitium ſubalterni, licet iſti ſerviat, ſed ſervitium ſupremi, & omnium Domini: neque ſervitium ſubalterno præſtitum in ipſo ſiſtit, ſed altius aſcendit ad ſummum, & ultimum finem ſervitutis ſuæ. Hoc ſervitutis genus eſt, quod Virgini, & Sanctis præſtamus, non in ipſos ultimo dirigentes ſervitium, & cultum noſtrum, neque propter ipſos agentes, ſed tantummodo ipſos honoramus, & ſervimus, ut apud Deum nobis præſto ſint, & eorum exemplis excitemur ad ſerviendum Deo, ſi non ut debemus, ſaltem ut poſſumus. Præcitati textus omnes eo tendunt, ut a creaturis longe ſit primum ſervitutis genus, utpote ſoli Deo debitum, non vero ſecundum, quod optime aliis præſtare poſſumus extra Deum. Hinc D. Auguſtinus *Lib.* 1. *ſuper Geneſ. qu.* 61. animadvertit, non dici *Dominum Deum tuum ſolum adorabis*, quemadmodum dicitur *& ipſi ſoli ſervies*, quia ſervitus ibi attacta, ſoli Deo debetur: *Unde damnantur Idololatræ, ejuſmodi ſervitutem exhibentes Idolis, quæ debetur Deo.*

§. I V.

Eadem res agitur, & quædam D. Auguſtini dicta exponuntur.

19. DUo vocabula illa *Latria*, & *Dulia*, quæ te offendunt plurimum, dimittere neſcis; quamobrem *pag.* 400. pronuntiare non dubitas, *D. Auguſtinum de Latria, & Dulia loqui eo loco nimirum laudati a contraria parte Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 1. *Sed D. Auguſtinus Duliam, ſive ſervitutem, non accepit ut cultum religionis, ſed ſocietatis, & exercitii charitatis, tam erga vivos, quam erga mortuos, quos ipſe honorat ad imitationem, ſed non adorat ad religionem.* Nuperrime contendebas *Duliam* eſſe cultum Deo debitum, modo neque religioſum cultum eſſe commentaris, ſed meræ ſocietatis: ſolita mutabilitas negotiatoris deploratæ mercis. Ergo D. Auguſtinus Sanctis concedit *Duliam* ad imitationem, non ad religionem? Si Sanctos habere tanquam imitationis objectum, injuriam non facit Deo ſummo exemplari, quare habere illos tanquam religionis objectum, injuriam facit Deo ſummæ majeſtati? At D. Auguſtinus eo loci *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 1. revolvamus, ut notum fiat, an in his quæ componis, tibi conſentiat. Ibi ſupponit jam Platonicis reſpondiſſe, qui: *Evaneſcentes in cogitationibus ſuis, multos Deos colendos ita putaverunt, ut etiam quidam eorum Dæmonibus divinos honores ſacrorum, & ſacrificiorum deferendos eſſe cenſerent*; tantumve ſibi quærendum ſtatuit, an Beatis in cæleſtibus, quos Platonici Deos, nos vero Angelos appellamus, religio, & pie-

tas

tas deferenda ſit; & ut dicam clarius: *Utrum etiam ſibi, an tantum Deo ſuo, qui etiam noſter eſt, placere eis ut ſacra faciamus, & ſacrificemus, vel aliqua noſtra, ſeu noſmetipſos religionis ritibus conſecremus*. Non ergo S. Doctor ſibi proponit ſermonem habere de imitationis, vel ſocietatis cultu, ut tibi fingis, ſed de cultu vere religioſo, qualis eſt ſacra facere, vel ſeipſum religionis ritibus conſecrare. Rem inde aggreſſus, ait, cultum Deo debitum, cum apud Latinos proprium nomen non habeat, a Græcis exprimi hac voce *Latria*: quanquam autem hominibus etiam cultus debeatur, alio tamen nomine iſte explicatur: *Latria vero ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt qui nobis divina eloquia tradiderunt, aut ſemper, aut tam frequenter, ut pene ſemper, ea dicitur ſervitus, quæ pertinet ad colendum Deum*. De religione autem verba faciens, ait: *Quamvis diſtinctius non quemlibet, ſed Dei cultum ſignificare videatur*. Quoniam vero nomen hoc non ab imperitis tantum, ſed etiam a doctiſſimis viris humanis rebus accommodatur: *Non eo vocabulo vitatur ambiguum, cum de cultu deitatis vertitur quæſtio, ut fidenter dicere valeamus, religionem non eſſe niſi Dei cultum*; quamobrem in quibuſdam Scripturæ locis: *Ut diſtinctio certior appareat, non Euſebiam, quod ex bono cultu, ſed Theoſebiam, quod ex Dei cultu compoſitum reſonat, dicere maluerunt*. Deinde concludit: *Quæ itaque Latria Græce nuncupatur, & Latine interpretatur ſervitus, ſed ea, qua colimus Deum, vel Threſceja Græce, Latine autem religio dicitur, ſed ea, quæ nobis eſt erga Deum, vel quam illi Theoſebiam, nos vero non uno verbo exprimere, ſed Dei cultum poſſumus appellare, hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus eſt Deus, facitque cultores ſuos Deos*. Ex quo infert: *Quicunque igitur ſunt in cæleſtibus habitationibus immortales, & beati, ſi nos non amant, nec beatos eſſe nos volunt, colendi utique non ſunt. Si autem amant, & beatos volunt, profecto inde volunt, unde & ipſi ſunt: an aliunde ipſi beati, an aliunde nos?* Ex hac loquendi ratione D. Auguſtini, quiſque veritatis amicus intelliget, neminem quidem præter Deum cultus, & illius religionis eſſe objectum poſſe, quæ Dei propria eſt: quod D. Auguſtini intentum erat; non autem non poſſe alium quempiam præter Deum venerari alio religioſo cultu, & Dei non proprio: immo duo religionis genera diſtinguens *Euſebiam* ſcilicet, quæ bonum, & *Theoſebiam*, quæ Dei proprium cultum ſignificat, rationem nobis diſtinguendi præbet duo religioſi cultus genera; unum Dei omnino proprium, aliud inferius, & commune, quod ei, qui Deus non ſit, valeat convenire; unde D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 80. *art. unico ad* 4.: *Euſebia vero dicitur quaſi bonus cultus, unde eſt idem, quod religio*.

20. Videamus modo, an alter D. Auguſtini textus *Lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 21. propitior tibi ſit. Fauſtus Manichæus D. Auguſtinum, cæteroſque inſultat Chriſtianos, quod Idola in Martyres verterint, & ſimilibus votis colerent: *Sacrificia eorum vertiſtis in Agapes, Idola in Martyres: quos votis ſimilibus colitis*. Eo uſque temporum igitur honore proſequebantur Martyres, & tali honore, qui ſuſpicionem Manichæis faceret, illos, ut Gentes Deos ſuos, adorari. Hanc igitur prærogativam in hac etiam parte præ te Picenine ſortimur, quod doctrina noſtra ea ſit, quam vetus Eccleſia profitebatur, & calumniæ illæ ſint, quæ Manichæi, & Gentiles apud Euſebium *Lib.* 4. *hiſt. cap.* 15. & *Lib.* 8. *cap.* 6. Catholicis imponebant; quibus addo D. Cyrillum contra Julianum *Lib.* 6., qui & ipſe iiſdem probris Chriſtianos improperabat. Præſto ſit nunc D. Auguſtini reſponſio: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat* (ecce religioſus cultus, non mere civilis), *ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum ſacrificemus, quamvis in memoriis Martyrum conſtituamus Altaria*.

Verba

Verba ſane cedro digna! quæ ad litteram, nec apicem addendo, aſſumo, & ea tibi Picenine Calviniſta propono, admonens te ne invertere iſta præſumas ad intelligentiam ſolius cultus ſocietatis, & amoris, quo in hac vita ſancti homines honorantur, qui mere civilis cultus eſt: *Colimus ergo Martyres, & cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei.* Etenim ſi cetera legere non dedigneris, comperies, D. Auguſtinum non de cultu loqui, qui Sancto cuique reddatur, ſed de eo, qui ſolis Martyribus, etſi nondum Martyrio coronatis, ad agonem ipſius tamen ſtrenue paratis: *Quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus.* Hi parites cultu plus quam civili colebantur, horum commemoratio fiebat in Sacrificio, ad eorum carceres convolabant fideles ipſorum vincula deoſculaturi, quos velut Spiritus Sancti Templa venerabantur. Videatur Tertullianus *Lib. 2. ad uxorem cap.* 4. De Martyribus jam demortuis, D. Auguſtinus inquiebat: *Sed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt certamina ſuperata &c.* Devotio certe actus eſt religionis, quod D. Thomas docet 2. 2. *qu.* 82. *ar.* 2., qui ad inſtructionem tuam ait *ibid. ad* 4.: *Devotio, quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos, vel vivos, non terminatur ad ipſos, ſed tranſit in Deum, in quantum ſcilicet in miniſtris Dei Deum veneramur.* Si cultus Martyribus præſtitus D. Auguſtini ætate mere civilis eſſet, quemadmodum qui communiter vivis exhibetur, Fauſtus cauſam non habuiſſet Chriſtianos inceſſendi illis verbis: Idola vertiſtis in Martyres, quos votis ſimilibus colitis; nec D. Auguſtinus ſubjeciſſet: *Populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat.* Neque unquam ipſe negat religioſum Martyribus cultum, ſed dumtaxat negat ipſis cultum, qui ſoli Deo debetur; unde ſubdit: *At illo cultu, qui Græce Latria dicitur, Latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum.* Quia vero ad hunc pertinet oblatio Sacrificii, ut Idololatræ hi proprie ſint, qui Idolis offerebant: *Nullo modo*, ajebat, *tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam Sanctæ Animæ, vel cuiquam Angelo.* Si lector cupiat melius convinci, legat etiam *Lib. 22. de Civit. Dei cap.* 10.

21. Ut plene tibi fiat ſatis, duo reſtant D. Auguſtini textus *pag.* 401. a te relati, quorum primus eſt: *Honoramus Sanctos charitate, non ſervitute, Lib. de ver. Relig. cap.* 55. Quid ſequentia non legiſti: *Non enim eis templa conſtruimus?* Et ſenſus eſt: Non ea ſervitute, nec ea religione Angelos honoramus, qua Deo ſervimus, & ipſum colimus, cui conſtruimus templa. Hæc ſincera mens eſt D. Auguſtini, quam ſupra attigi num. 19. D. Auguſtinus in ſumma vult nos Sanctos honorare, quomodo eos diligimus: *Honoramus Sanctos charitate.* Et ſicut diligimus eos ea dilectione, quæ non in ipſis finem conſtituit, ſed in Deum tranſvolat, ſic honoramus eo cultu Sanctos, qui in ipſis non ſiſtit, ſed ad Dei gloriam in ipſis receptus refertur: hoc eſt quod nos profitemur. Alter D. Auguſtini textus a te relatus ſic habet: *Ambo hi cultus a D. Auguſtino Deo tribuuntur: Latria ut Deo, Dulia ut Domino, Lib. 2. quæſt. ſuper Exod. qu.* 94. Sed verba S. Doctoris non refers fideliter, quæ in Editione Lovanienſium Theologorum, & Maurina, ceteriſque, hæc ſunt ad illum textum *Si ſervieris Diis alienis, erunt tibi offendiculum: Hic Græcus Duleuſis habet, non Latreuſis, unde intelligitur quia & Dulia debetur Deo tanquam Domino, Latria vero nonniſi Deo tanquam Deo.* Duæ illæ voces nonniſi Deo alte inſonant. Supponit quippe S. Doctor quemlibet cultum Deo deberi, & Duliam item Deo deberi tanquam Domino, ſed Latriam non alteri deberi, niſi Deo tanquam Deo. Excluſiva particula ad vocem *Latria* appoſita, non ad illam *Dulia*, ſen-

Digitized by Google

ſenſum facit, Duliam Deo deberi tanquam Domino. Non tamen negat aliis poſſe reddi. Tametſi vero Deus unus ſit ſupremus Dominus, ſub ipſo tamen alii Domini eſſe poſſunt, quibus ſerviamus; ſed præter Deum nequeunt eſſe alii Dii: & hæc eſt perpetua ejus doctrina, ſcilicet *Latriam* cultum eſſe, ac ſervitutem, qua ſoli Deo Sacrificia offerimus. Non autem negat, quinimmo aſſerit, poſſe nos Angelis, & Sanctis ſervire minori cultu, eos honorando, & deprecando, ut pro nobis intercedant ad Dominum. Quibus jam conſtat, ceteris omnibus prçter Deum a nobis negari cultum illum, qui a D. Auguſtino negatur, & illum concedi, qui a D. Auguſtino conceditur, & nihil amplius.

22. *Sacrificium ſoli Deo offertur: Offerimus tibi ſancte Pater. At in Miſſis in honorem Sanctorum audis nunquam dictum a vobis: Offerimus tibi S. Petre?* Ita Panigarola, immo D. Auguſtinus *in Lib.* præcitato *cont. Fauſtum cap.* 21.: *Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens Altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit, apud memoriam eorum, quos coronavit.* Tu vero *pag.* 402. ſic reſpondes: *Scio Panigarolam celebraſſe Miſſam in honorem Sanctorum. abſque verbi Dei regula, & adverſus praxim veteris Eccleſiæ.* Lectorem mitto ad ea quæ ſupra dicta ſunt, & ſequentibus attendo: *Sacrificium ſoli Deo offertur. Preces quoque ſunt Sacrificia: quod Panigarola non negat. Ergo & iſta ſoli Deo ſunt offerenda: & tamen Frater hoc Sacrificium homini offert. Ipſe Sanctos invocat, & ſuas preces Virgini præſentat.* Nos Deo offerimus nedum externum Sacrificium, ac viſibile Miſſæ, ſed illud etiam internum inviſibile cordis noſtri, & precum noſtrarum: dum ab ipſo ſolo ſperamus exaudiri. Ad Sanctos autem confugimus, tanquam interceſſores apud Deum, ut preces noſtræ per eorum mediam impetrationem exaudiantur. Ita D. Thomas 2. 2. *qu.* 83. *ar.* 4. *in corp.*, *& in* 4. *diſt.* 15. *qu.* 4. *ar.* 5. *qu.* 1.: *Oratio directe, & proprie ſit ad Deum, ſicut a quo exſpectamus quod orando petimus. Sed tamen orantis intentio ad Sanctos convertitur, ut quorum auxilio a Deo impetrat quod exſpectat, & ideo dicit Caſſianus collat.* 9., *quod oratio proprie ſit ad Deum, ſed deprecatio ad Sanctos.* Optime animadvertit P. Semery, omnes orationes noſtras a Deo exordiri: *Omnipotens Deus*; & deſinunt: *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*; quod a D. Thoma didicit, qui 2. 2. loco citato, poſtquam dixerat nos deprecari Sanctos, *ut eorum precibus, & meritis orationes noſtræ ſortiantur effectum. & ideo dicitur Apoc.*8.: *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, addit: *Et hoc etiam patet ex ipſo modo, quo Eccleſia utitur in orando; nam a Sancta Trinitate petimus ut noſtri miſereatur, ab aliis autem Sanctis quibuſcunque ut orent pro nobis.* Mirum autem non eſt, Calvinum *Lib.*3. *Inſt. cap.* 20. §. 12. apud Piceninum in Triumpho *pag.* 282. muſſitare: *Si excipias quas in Templis concipiunt publicas preces finiri hac appendice per Chriſtum Dominum noſtrum, frivolum effugium eſt: quia non minus profanatur Chriſti interceſſio, dum mortuorum precibus, & meritis miſcetur, quam ſi ea penitus omiſſa, ſoli mortui in ore eſſent.* Profanatio eſſet meritorum Chriſti, ſi cum impietatibus Calvini illa miſcerentur, minime autem ipſis admiſcere merita Mariæ, Martyrum, & Sanctorum. D. Auguſtinus *Lib.* 2. *qu. ſuper Exod. qu.* 108., explicans rubricatum arietem ex Dei mandato in Tabernaculo poſitum, inquit: *Cui non occurrat Chriſtus paſſione rubricatus? Significantur etiam his Martyres Sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui.* Nunquid & D. Auguſtinus profanator hic ſit interceſſionis Chriſti, cui admiſcet Martyrum merita? Ipſe pariter *Lib.*2. *quæſt. ſuper Exod. qu.* 140., de Moyſe loquens, ait: *Tantum erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus; Sine me, & iratus*

conte-

conteram eos; ex quo infert: *Eo modo admonemur, cum merita noſtra nos gravant ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos diligit*. Ergo hìc iterum D. Auguſtinus vilem habebit Sanguinem Chriſti? Una hęc eſt univerſę antiquitatis ſententia, quæ propterea injuriam facit Chriſti Sanguini, quem ſolus Calvinus novit ſanctificare? Pater Semery de mendacio Calvinum convincit, qui dixerat, in Litaniis noſtris, aliisque precibus, nomen Jeſu nunquam implorari, ſed Sanctorum nomina. Ut autem a crimine magiſtrum liberes, a propoſito diſcedis, aſſumens probare, quod Calvinus nunquam fuerit *Æditᵫus, aut Parochus Noviodunì*. Calvini vita nimium ſane nota eſt: neque ad rem noſtram id facit. Ajo, Calvinum ſcripſiſſe quæ ipſi a P. Semery objiciuntur, & hæc ſunt ejus verba *Lib. 3. Inſtit. cap. 20. §. 21.: In ſuis omnibus litaniis, hymnis, & proſis, ubi Sanctis mortuis nihil non honoris defertur, nulla Chriſti mentio*. An mendacium ſit, in noſtris litaniis, hymnis, & proſis nullam fieri Chriſti mentionem, quiſque judicare valet.

23. Objicis Apologiæ *pag. 402., Panigarolam id tentare, ut probet, Sanctos eſſe adorandos, ſaltim qua nobis ſuperiores, quanquam inferiores Deo*. Jam dictum, Deo abſolutum exhiberi cultum propter ſe ipſum, & infinitam ejus majeſtatem, relativum vero alicui præſtari intuitu alterius, cui ille amicus ſit, aut miniſter, in quo excellens aliquod participatum inſit: quę cultus ratio Sanctis a nobis exhibetur. Videatur D. Thomas 2. 2. *qu.* 103. *ar.* 3. Si diſpliceat hæc loquendi ratio, adoretur Deus in Sanctis ſuis, & contentus ero in verbis non contendere, dummodo ſalva ſit res ſignificata. Vigilantio Chriſtianos exprobranti, Sanctos eo cultu venerari, quo Deus colitur, reſpondebat D. Hieronymus: *Quis enim, o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* Tametſi oſtenderim, & cultum talem haberi, qui proprie ſoli Deo tribuitur, & alium haberi, quo quis divinorum particeps honoratur, nihilominus, ut tecum benignus ſim, unus ſit abſolutus adorationis cultus, nulluſque relativus, & Angeli renuant ſe adorari, ne Altiſſimo ſimiles videri videantur. Si tu Calviniſta negas eos adorare, ſaltim illos honora, ipſorum anniverſaria excipe religioſa ſolemnitate, in illorum memoriis Deo Altaria erige, crede Sanctos pro te orare, & gratos, ac benevolos habere ſatage, eos venerando. Tridentina Synodus nil ultra prętendit *Seſſ.* 25., & Chriſtus ipſe ait: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Joann.* 12. 26. Si Pater honorat ſervos ſuos, quid tu id facere dedignaris? Si ignores qui ſit honor ille, quo Pater honorificabit ſervos ſuos, ex D. Auguſtino apprehende *Tract.* 51. *in Joann.*, a quo audies, quod ſervus fiet in Cælo filius Dei adoptivus, *non æqualis divinitati, ſed conſociatus æternitati*. Negas autem honorare quem Deus honorat, & Filio ſuo conſortem facit in æternitate?

24. Doles, quod *Frater cultu illo ſuo ſuperiori, & inferiori, ſuis illis variis conceptionibus, falſum ſupponit, & male concludit*. Enimvero tu male ſupponis, & peſſime concludis, inferens idololatriæ genus eſſe quemlibet reſpectivum cultum, qui Sanctis præſtatur. Panigarola autem optime concludit, quia ſemel poſito Sanctorum cultu, eo qui Deo offertur inferiori, profecto ſequitur, Sanctum non adorari, aut venerari quo modo Deus adoratur: & ſi Sanctus colitur quaſi Regis viceſgerens, non ſequitur ex propria ſui, ſed ex Dei excellentia venerari, qua ſit particeps: quod certe non eſt idolo ſervire. Subdis, *inter Regem, & miniſtrum ejus quandam ſemper attendi parilitatem; inter Deum autem, & Sanctum nullam eſſe convenientiam*. Attamen Deus Sanctos ſuos vocat *amicos*, ſecum conſedentes vult ad judicandas duodecim tribus Iſrael, conſortes gloriæ Filii ſui facit, quos & Chriſti juſtitia induit, & exornat. Si quod homines ſint, in honore haberi

Digitized by Google

non placeat, ſaltim in ipſis dona Dei auctoris gratiæ, & juſtitia Chriſti qua induuntur, honorentur. Iterum garris: *Rex vicarium ſuum vult honorari, Deus non vult Sanctos ſuos adorari.* Hoc ſecundum, quomodo probas? Rex non vult vicario ſuo ſummum honorem illum impertiri, qui ſibi debetur, & Deus non vult Sanctos ſuos honore, vel cultu illo tractari, quo ipſe debet adorari. Quemadmodum autem Rex vult vicarium ſuum honorari, ut miniſtrum decet, & par eſt, adeo ut qui hujuſmodi honoris ſigna miniſtro denegaret, Regi ipſi ſimul, & ejus miniſtro injuriam faceret, ſic & Deus gratum habet Sanctum honorari, ut Sancto convenit, cultu minori ſcilicet, quam ſibi debeatur, ſed ſupra civilem, & communem cultum; adeo ut qui detrectet facere, Deo ipſi facere negat, & hujuſmodi injuria Sanctum non minus, quam Deum afficit, cum ſcriptum ſit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Reſpondes *pag.* 304., *falſum a Panigarola ſupponi, ſcilicet cultum religioſum varios habere gradus, quemadmodum civilis cultus: quod falſum eſt.* Non ſufficiunt verba, ubi non probantur dicta: jamque oppoſitum oſtendi. Ais, religioſum cultum *punctum eſſe indiviſibile, quod non aliud objectum habet, quam Deum.* Peſſime tamen loqueris, ſi ad apicem Theologiæ loquendum ſit, quia Deus non eſt formale immediatum religionis objectum, alias religio recenſenda eſſet inter Theologicas virtutes. Objectum ergo ipſius primarium eſt cultus qui Deo præſtatur, ſecundarius vero ille qui aliis tribuitur propter Deum, & ejus intuitu. Cultus Regis hoc petit, quod Rex honoretur, & ratione ſui quiſpiam aulicus, vel ſibi intrinsecus: atque eadem ſpecie cultus Deus vult Sanctos ſuos honorari, qui cultus ſi a virtute religionis non eliciatur, ſaltim imperatur, ut ſupra Ameſius, & Grotius, etſi Proteſtantes, concedebant. Tametſi vero religio tanquam objectum unice Deum haberet, ſequitur quidem, non poſſe aliis cultum exhiberi religioſum, qui non referatur, nec ultimo reſpiciat Deum, non tamen ſequitur, non poſſe alios inſpici tanquam hujuſmodi cultus aliquales terminos. Charitas quoque Deum habet unicum objectum; eadem nihilominus charitate Deum diligimus, & proximum propter Deum, & Deus in ſe diligitur & in proximo. Datur charitatis amor, qui in ſe non eſt amor ſummi boni, etſi ſit propter ſummum bonum; neque ulla hinc ſequitur contradictio. Quare autem contradictio erit dicere cultum haberi religioſum, qui ſummæ majeſtatis cultus non eſt, quanquam ſit propter ſummam majeſtatem? Quę dicta ſint ſecundum noſtram doctrinam. Ceterum tibi Picenine iterum dico, Deum non eſſe religionis objectum, ſed finem. Ita docet D. Thomas 2. 2. *qu.* 81. *art.* 5.: *Deus non comparatur ad virtutem religionis ſicut materia, vel objectum, ſed ſicut finis;* quare ſi Sanctus adoretur, cultu non in ipſum directo, ſed in Deum, cujus excellentia adoretur in Sancto, hic cultus eſt religioſus, ſed non ſummus. *Concedo*, ait D. Thomas 2. 2. *qu.* 84. *ar.* 1. *ad primum, quod Deo debetur reverentia propter ejus excellentiam, quæ aliquibus creaturis communicatur: non ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum quandam participationem. Et ideo alia veneratione veneramur Deum, quod pertinet ad Latriam, & alia veneratione quaſdam excellentes creaturas, quod pertinet ad Duliam. Et quia ea, quę exterius aguntur, ſigna ſunt interioris reverentiæ, quædam exteriora ad reverentiam pertinentia exhibentur excellentibus creaturis, inter quæ maximum eſt adoratio. Sed aliquid eſt, quod ſoli Deo exhibetur, ſcilicet ſacrificium.* Legatur Sanctus iſte Doctor, qui certe majorem meretur fidem, quam Piceninus, & Calvinus. Quibus probatum manet, poſſe religioſum cultum concipi, qui ſummus non ſit: neque ulla eſt contradictio inferiorem cultum ſtatuere; tandem patet te Picenine verba, & verba facere, eorum tamen quæ muſſitas nihil probare. Multa inepte congeris in Triumpho *pag.* 270., ſed

ſed omnibus vel jam reſponſum fuit, vel infra reſpondebitur.

25. Panigarolæ querelam abſtergere ſuſcipis Apolog. *pag.* 403. his verbis : *Panigarolam non culpamus, quod Dei ſufficientiæ deroget, vel ſimilem illum fingat Principi, qui relatoribus indigeat ; ſed ſi Deus pater eſt amantiſſimus, ſi Chriſtus mediator eſt ſufficientiſſimus, quæ neceſſitas eſt ad homines confugere, alioſve quęrere mediatores?* Si Deus amantiſſimus pater, ſi Chriſtus ſufficientiſſimus mediator, quare cognitis neceſſitatibus noſtris, illico præſto non eſt, ſed vult nos ad ipſum orare ? Quare meis precibus contentus non eſt, ſed vult etiam ab aliis ſaltem mecum viventibus pro me exorari ? D. Paulus dum ad Epheſios ſcribebat 6. 19. pro omnibus Sanctis orare, & pro ſe ipſo : *Ut detur mihi ſermo in apertione oris mei* ; dum Timotheum deprecabatur 1. *Timoth.* 2. 1.: *Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus &c. hoc enim bonum eſt . & acceptum coram Salvatore noſtro*, poterant reſpondere D. Paulo : Si Deus eſt amantiſſimus pater, ſi Chriſtus ſufficientiſſimus mediator, quid alios quęrere mediatores? Mediatores alios, & interceſſores vivos pręter Chriſtum nec tu, nec Calvinus tuus habere detrectas, immo quæris, cur porro beatos demortuos omnino excludis? Nunquid iſtis deeſt poteſtas, voluntas, & cognitio ? Nunquid per iſtos mediatori Chriſto derogatur ? Poſt palmam certe efficaciores ſunt, qui Deo intimius uniuntur, & magis dilecti ſunt, conſociati Chriſti ęternitati. Quod ſi potentes ſint, cum abundet etiam in ipſis charitas, de qua Cyprianus *Serm. de mortalit.*: *De ſua immortalitate ſecuri, de noſtra ſalute ſoliciti*, neque voluntas deerit. Si Angeli vident peccatoris pęnitentiam, de qua gaudent in Cælis (*Lucæ* 15. 10.), preces quoque cognoſcent noſtras : non ergo deeſt illis noſtrorum cognitio. Viventium autem preces Sanctorum, ut conceditis, Chriſti mediationi non derogant ; ergo neque ipſorum preces poſt hanc vitam.

26. Quæ modo tibi ſint querelarum cauſę adverſum nos, ſic exponis *pag.* 403.: *De eorum Scholaſticis conquerimur, qui de Virgine idolum faciunt. Quidam ex ipſis diviſionem inſtituit regni miſericordiæ, & juſtitiæ regni; iſtud Deo, illud Virgini tribuit, Biel lect.* 80. *Aventinus eo pervenit, ut Virginem vocet gratiæ thronum, part.* 4. *tit.* 15. Non Scholaſtici fuerunt, qui primi magnam Virginem auguſtiſſimis titulis extulerint, ſed antiquiſſimi Eccleſiæ Patres, quos inde ſequuti ſunt omnes pii Chriſtiani. A D. Irenæo dicta fuit *cauſa ſalutis* totius humani generis, ſicut Heva *cauſa facta eſt mortis*. Idem repetit *Lib.* 15. *cap.* 19. A ceteris vero Patribus referendis abſtineo, qui videri poſſunt apud *Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. ſec.* 5. *diſſert.* 25., apud Bellarminum, & alios, quorum quoſdam inferius referam. Nunc ad querelam tuam, cui magnum quidpiam videtur, quod clementiſſimus Deus Filii ſui Matrem adeo dilectam habeat, ut paratus ſit nullam ipſi gratiam denegare, unde pie devotionis exceſſu dictum ſit, *diviſum cum Maria regnum Deum habere, & ſibi retento juſtitiæ regno, illi conceſſiſſe miſericordiæ regnum*. Quid porro zelotes prędicans dixiſſes, ſi Mariam appellari a nobis intellexiſſes quo nomine Prophetam Moyſen Deus ipſe decoravit, ſcilicet (*Exod.* 7. 1.) *Deum Pharaonis?* Si a nobis audiiſſes, Mariam Dei dexteram coercere, ne peccatores puniat, ſicut Moyſi a Deo dictum : *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus?* Dices hyperboles eſſe. Atqui ſi hac phraſi cum Moyſe Deus utitur, quare Mariæ devoti modum divini eloquii imitari non poterunt erga Mariam, quin iſtam ſibi faciant *Idolum?*

27. Proſequeris : *De Panigarola conquerimur, quod foliis pudenda ſua tegere velit, Idololatriam ſuam prætexendo.* Attendite Calviniſtæ veſtra abſcondere, ſiquidem quæ hactenus a vobis audivi, ex ore Celſi Pagani Juliani Apoſtatæ, Fauſti Manichæi Eunomii, ac Vigilantii accepiſtis. Satis ſuperque ab hujuſmodi calumniis vin-

vindicatus fuit Panigarola a D. Auguſtino *Lib.* 10. *contra Fauſtum cap.* 21., & a D. Cyrillo *Lib.* 6. *contra Julianum.* Chriſtianis objiciebat Julianus: *Vos ... nec unum tantum etiamnum Deum colitis, ſed hominem potius, & plures alios miſeros, eoſque legi dura, agreſti, ac barbara ſubditos.* Cyrillus autem, poſt probatum, quem Chriſtiani colebant, non purum eſſe hominem, ſed Dei Verbum, ad Martyres deſcendens, ait: *Sanctos porro Martyres, neque Deos eſſe dicimus, neque divino cultu ſcilicet illos adorare ſolemus, ſed affectus, & honoris. Quin potius ſummis honoribus illos ornamus, puta quod pro veritate legitime certaverint ... & virtutis adeo mirabilis ſeipſos velutè quaſdam imagines vitæ hominum propoſuerint. Quare nihil eſt abſurdè, immo vero neceſſe erat, eos, qui tam claris facinoribus claruerunt, ornari perpetuis honoribus*; quod Græcorum exemplo, idipſum agentium, confirmat. Suſcipis: *Unus ex ipſis* (Gregorius nempe de Valentia *Lib.* 2. *de Idololat. cap.* 7.) *diſtinguit Idololatriam in eam quæ licet, & in eam quæ non licet.* Gregorius de Valentia loco præcitato nunquam tam inſane delirat. Utique redarguit qui miſcet cultum illicitum cum idololatrico, quaſi putet quemlibet illicitum cultum idololatricum eſſe, unde aſſerit cultum illicitum eſſe poſſe, quin ſit idololatricus. An autem hoc ſit idololatriam diſtinguere in licitam, & illicitam, ſit qui judicet.

28. Nec ceſſas *pag.* 404.: *De Panigarola conquerimur, quod Theologiam ſuam a Platone recipiat potius, quam a D. Paulo. Plato volebat Deum per ſe coli, inferiores vero Deos diligi ut ipſi magis ſimiles, honorari ut vicarios, immo implorari ut reconciliatores*, Marſil. Ficin. *dialog.* 8. *de lege Plat.* A Platone, quam a D. Paulo Panigarolam ſuam Theologiam ſuſcipere, probare Picenine debes. D. Auguſtinus *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 11. teſtatur: *Elegimus Platonicos, omnium Philoſophorum merito nobiliſſimos.* Quemadmodum autem a Platonicis Auguſtinus meliora elegit deteriora devitans, Angelis cultum tribuendum concedit, negans deinde, etſi boni ſint, adorandos eſſe tanquam Deos ſacrificiis, aliiſque oblationibus *Latriæ* cultum indicantibus, ita prorſus Panigarola facit. Quod ſi Plato dictabat Deum per ſe adorandum, inferiores autem Deos diligendos eſſe ut Deo ſimiles, & honorandos ut vicarios, & tanquam reconciliatores implorandos, in hoc ſibi repugnabat, dum hinc Deo inferiores eſſe aſſereret, hinc Deos ipſos faceret, & qua tales colendos eſſe ſacrificiis præciperet: quæ nunquam pronuntiavit D. Auguſtinus, nec Panigarola, nec noſtrum quiſquam. Quid refert igitur, poſt relatam Platonis doctrinam, clamare: *En ſummam omnium quæ Panigarola aſſerit de cultu Dei, & Sanctorum*, ſi nunquam Panigarola dixerit Sanctos tanquam Deos eſſe colendos, & ſacrificiis propitiandos? Querelam hanc ab Hermete fideliter hauſiſti, qui apud D. Auguſtinum *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 26. dolebat, *quod memoria Martyrum noſtrorum templis eorum* (Deorum ſcilicet) *delubriſque ſuccederent*, quod eadem animi perverſitate inſultabat, qua hodierni ſectarii: *Ut videlicet qui hæc legunt animo a nobis averſo, atque perverſo, putent a Paganis Deos cultos fuiſſe in templis, a nobis autem coli mortuos in ſepulcris.*

29. Si Picenine tibi placeat audire quemadmodum Catholicos ab hoc crimine vindicet Sanctus Doctor, attende quæ ſequuntur *cap.* 27.: *Nec tamen nos iiſdem Martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia conſtituimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus: honoramus ſane memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei.* Et infra: *Quæcunque igitur adhibentur religioſorum obſequia* (audi religioſum cultum) *in Martyrum locis, ornamenta ſunt memoriarum, non ſacra, vel ſacrificia mortuorum, tanquam Deorum.* Loquens autem de cibis tunc folitis ad ſepulcra Martyrum deferri: *Sacrificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Do-*

ne Domini Martyrum, non autem iſta eſſe ſacrificia Martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur ſacrificium Chriſtianorum. Audiamus etiam Ludovicum Vives in laudatum locum: *Impia eſt opinio Vigilantii, qui omni honore Martyres privabat; ſtulti Eunomii, qui ne cogeretur adorare mortuum, templa Martyrum non ingrediebatur. Venerandi ſunt Martyres, non adorandi ut Deus, quemadmodum Hieronymus in Vigilantium ſcribit*. Non adeo itaque veteres ſcrupoloſi, qui timerent Theologiam profiteri, quam Platonici, & Pagani ſecuti eſſent, ſemel a ſuperſtitioſa iſtorum impietate depurata fuiſſet; quinimmo D. Cyrillus *Lib. 6.*, ut Juliano ſuaderet Martyribus cultum deberi, Platonis etiam auctoritati hæret, quam expurgando ſubdit: *Nos autem, uti dixi, non dicimus Sanctos Martyres fuiſſe Deos, ſed illos omni veneratione proſequi ſolemus, eorumque loculos honoramus*.

30. Ex eodem putidiſſimo fonte emergit falſum crimen alterum, quod imponis Apolog. *pag.* 404., inquiens: *Heroibus Gentium abactis, iſtorum vice ſubrogat Frater Sanctos ab Eccleſia acceptos. Apollini, & Minervæ, Gregorium, & Catharinam. Æſculapio, Coſmam, & Damianum. Marti, Georgium. Neptuno, Nicolaum. Veneri, Magdalenam &c.* Ita nempe Apoſtata Julianus, apud Cyrillum *Lib. 6.*: *Quoniam autem credentes in Chriſtum fruſtra conviciis appetit, quaſi unius Dei cultui multitudinem hominum, in quibus nihil eſt divini, ſtulte prætulerint*. Sed Cyrillus: *Oſtendere conabor, inſcitia Græcanicæ criminationes in veritatis cultores impie effuſas. Sacra enim ipſi fecerunt hominibus, iiſque flagitioſis, impudicis, omnique vitio laborantibus,* ut Herculi, aliiſque flagitioſiſſimis, de quibus ibi narrat. Sic ego tibi. Gentilium Heroes homines fuerunt iniquiſſimi; e contra Eccleſiæ Sancti, vel ſanguinem pro Chriſto fuderunt, vel ſanctiſſimam vitam duxerunt. Illis divini honores exhibiti, noſtris Sanctis honores quidem, ſed non divini. Illis ſacrificia fiebant juxta uniuſcujuſque placitum, Cereri ariſtæ, Baccho uvæ, & ſic de ceteris. Ubinam vero ſacrificia, quæ Sanctis a nobis offerantur, ſi unum habemus ſacrificium, quod ſoli Deo offertur? D. Auguſtinus cont. Fauſtum *Lib. 20. cap. 23.*, fatetur quod Chriſtiani, quanquam ſimilia quædam cum Paganis habere videantur in facto, nunquam tamen in fine: *Ita & nos in his, et in aliis, quæ ſimiliter ſumimus, non ſimiliter cum Gentibus vivimus, eaſdem res non ad eundem finem referendo; ſed ad finem legitimi, divinique præcepti, charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Et *cap. 21.* jam oſtendit: *Sicut non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt Virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales Virgines fuerunt, ſic non ideo reprehendenda ſacrificia Patrum, quia ſunt & ſacrificia Gentium*. Ratio autem eſt: *Tantum intereſt inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem*. Eadem & ego circa cultum falſis Diis a Gentibus præſtitum, & cultum Sanctis noſtris pie tributum. Porro ſi Auguſtini prælaudatis rationibus Picenine non acquieſcas, attende quomodo te S. Doctor reprehendat *cap. 23.*: *Ecce nos ſumus Gentium ſchiſma, a quibus plurimum diſtamus in melius. Sed nec vos hoc eſtis, quia plurimum ab eis diſtatis in pejus.*

31. Nunc vero ſententiam objicis Vives *in Lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.*: *Non video in multis, quod ſit diſcrimen inter opinionem quam Chriſtiani illi habent de Sanctis, & id quod Gentiles putabant de ſuis Diis.* Hic pariter apparet bona tua fides, ad ingenium tuum conſtruens textum Vives, qui conceptis hiſce verbis loquitur: *Multi Chriſtiani* (non omnes) *in re bona* (ſi bona res eſt Martyrum cultus, Idololatria non eſt) *plerumque peccant, quod Divos, Divaſque non aliter venerantur, quam Deum: nec video in multis, quod ſit diſcrimen inter eorum opinionem de Sanctis,*

ctis, & id quod Gentiles putabant de ſuis Diis. Vives non damnat Sanctorum cultum quaſi Paganicum ritum, quinimmo immediate ſubdit: *Impia eſt opinio Vigilantii* (& valet etiam *Piccinini*), *qui omni honore Martyres privabat*. Redarguit igitur Vives dumtaxat ſtultam quorumdam ſimplicitatem, qui in re bona, qualis eſt Sanctorum cultus, peccant, ipſis plus æquo honoris tribuentes, ſcilicet colentes eos quaſi Dii eſſent. Hoc tamen non eſt damnare doctrinam cultus, qui ab Eccleſia Sanctis exhibetur. Concilium Trident. *Seſſ.* 25. docet: *In has ſanctas, & ſalutares obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri vehementer cupit*. Quæ ſubdit, poſtquam mandaverat Epiſcopis, ac ſingulis ad quos pertinet, accurate inſtituere populos de modo, quo Sancti debeant honorari. Finem faciat D. Auguſtinus verbis ipſis, quibus Fauſto reſpondit *Lib.* 20. *cap.* 21., qui ſibi adulatus in omnibus a Paganis omnino diſtare, Chriſtianis improperabat ad Martyrum memorias honoris cauſa concurrentibus quod ebrii fierent: *Qui autem ſe in memoriis Martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poſſunt, cum eos, etiamſi in domibus ſuis faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur. Alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum*. Reprehenſiones ipſæ, quibus Pagani, & Manichæi Catholicos vexabant circa Sanctorum cultum, teſtimonio ſunt primis illis ſeculis talem extrinſecus cultum a Catholicis fuiſſe exhibitum, qui inimicis occaſionem præbebat ut crederent, ab illis Sanctos honorari, quemadmodum Pagani falſos Deos ſuos colebant, & honorabant. Cultus igitur non erat mere civilis, ſed religioſus, & ſacer: ſecus Chriſtiani tot paſſi non eſſent probra, & improperia.

§. V.

De cultu, & titulis præſtitis Sanctiſſimæ Virgini.

32. Panigarola cultum vindicat quem Sanctis Eccleſia exhibet, inquiens: *Deum nos invocamus tanquam datorem gratiæ, & ei dicimus da, tribue, concede; Sanctos vero velut gratiæ interceſſores. Ipſi etiam Matri preces inclamamus: Sancta Maria ora pro nobis*. Reſpondes *pag.* 404.: *Quis vos docuit ſub illo titulo Sanctos invocare? Ubi præceptum habetis? Ubi exemplum? Quare Deo non ſervitis juxta præceptum ſuum?* Quis ſub illo titulo Sanctos invocare nos vetuit? Ubi hæc prohibitio? Proferatur quod nequeat cultus exhiberi, quin præceptus ſit. Si Deus non præcepit Sanctos implorare tanquam interceſſores apud ſe, neque id prohibuit: tametſi autem pronunties *damno hunc cultum*, rideo hanc ſententiam tuam. At cur hujuſmodi cultum damnas? Nunquid quia idololatricus? Non equidem, quia Idololatria eſt creaturæ præſtare cultum qui uni Deo debeatur: cum autem Sanctus a nobis colitur, ipſi non tribuimus honorem qui Deo debetur, ſed Deus adoratur tanquam totius boni largitor, Sanctus autem honoratur tanquam apud Deum interceſſor. Nunquid Sanctorum cultum reprobas velut illicitum? Sed ubinam præceptum, quod ipſum vetet? Audio vetitum, quempiam præter Deum tanquam Deum adorare, ſed quia non veneremur eum, qui pro nobis apud Deum interpellat, non lego ſcriptum. Si cultus iſte non liceat quia Deus ipſum non præcipiat, tum fas eſt probare, cultum ut ſit licitus eſſe debere præſcriptum, nec licere cultum ſponte, ac voluntarie exhibitum. Cultus eſt genus quoddam ritus, & cæremoniæ. *& in ritibus, ac cæremoniis, Chriſti Eccleſia uſa ſunt libertate*: quod teſtatur ipſa Confeſſio Helvetica in præfatione. Grotius (qui non eſt ex noſtris) in voto ſuo *pro pace Eccleſiaſtica*,

ſtica, concedit cultum eſſe licitum, quanquam a Deo non præceptum: *Neque vero (Coloſſ. 2.22.) omnem cultum ſponte ſuſceptum damnat Paulus; iſte enim damnaſſet & Abelis ſacrificium, quod non ex præcepto Divino, ſed ex humano veniſſe inſtituto, ex ſententia veterum diximus Lib. 4. pro veritate religionis Chriſtianæ: ſed oſtendit mendoſum eſſe, quod cultus illi voluntarii, cultui Chriſti, qui a Deo præceptus eſt, præferrentur, & propter eum liberum negligeretur quod maxime erat neceſſarium ... Præcepta hominum, quibus fruſtra colitur Deus, tum apud Eſaiam, tum apud Matthæum ſunt doctrinæ hominum divinæ legi contraria. qualia illa Pſeudoprophetarum tempore Eſaiæ, docentium, victimis, aut aliis ritibus poſſe placari Deum, etiamſi vita non eſſet emendata, cujus etiam nunc multum manet apud Judæos: qualia & illa Phariſæorum, non teneri alimenta dare parentibus, qui dixiſſet: Si quid unquam a me ad parentes pervenire poſſit, id jam nunc voveo Templo. Qui talia docent, eorum cor longe a Deo eſt, etiamſi labiis eum honorent. In ſtatu primævo potuiſſe populos, aut familias ſingulas, ſibi inſtituere Sacerdotium, & ritus decoros, conſtans eſt Doctorum ſententia. Ea fuere cultus ſponte ſuſcepti, & mandata hominum ad cultum externum licita, qualis & in Judaico populo conſtitutio de itinere ſabbati, dies inſtaurationis ab hominibus inſtitutus, & alia ejus generis a Chriſto ipſo obſervata. Talia fuere apud Chriſtianos precatio orientem verſus, Crucis ſignum ad actus etiam hujus vitæ, lactis, & mellis guſtatio, & multa ſimilia. Jam vero & hoc notandum. in hac quæſtione, in qua nunc verſamur, non agi de Dei cultu, ſed de implorandis aliorum pro nobis precibus.* Eccleſia mea hunc habet ritum colendi Deum in ſervis, & Sanctis ſuis. neque ullum in eo ſit honoris Deo debiti detrimentum, ſed potius incrementum, quemadmodum facit qui Regem in ſe, & in ſuo miniſtro veneratur. Gentiles Idololatræ erant, quod falſa ſua numina tanquam Deos veros invocabant, & cultum omnem qui Deo vero debetur, ipſis præſtabant. Exprobras: *Si Sanctos ut gratiæ largitores non imploratis, cur per eorum merita petitis exaudiri? Cur D. Nicolaum deprecamini qui vos a tempeſtatibus liberet? Ipſi etiam Dei Matri dicitis: Sancta Maria ora pro nobis; attamen eam oratis ut vos ab hoſte protegat, & mortis hora vos ſuſcipiat.* Sanctos invocamus, qui pro nobis orent, noſtras neceſſitates Chriſto repræſentent, & noſtris deficientibus, per ſua merita, & bona opera impetrent poſtulata; ex eorum autem excellentia aſſequi ſperamus, quæ ex miſeria noſtra nec ſperare audemus. Quid hìc mali? Sanctos mortuos oramus, quemadmodum Iſraelitæ Moyſen vivum *Numer.* 21. 7.: *Ora, ut tollat a nobis Serpentes*, quemadmodum D. Paulus vivens fideles viventes obſecrabat, ut ſuis orationibus ipſum adjuvarent, & quemadmodum Proteſtantes fatentur, Sanctos mortuos pro tota Eccleſia in communi orare. Si Sancti dum vivunt valent intercedere, quare non valent poſt mortem beati? Si Deus teſtatur miſericordiam poſteris facturum propter majores eorum, qui jam deceſſerunt, hinc Salomoni promittit integrum ipſi, dum vivet, regnum ſervaturum propter David Patrem ejus vita jam functum 3.*Reg.*11.12., & propter ipſum 3. *Reg.* 15. 4. Urbem Jeruſalem cuſtodit, & Abiæ Regi filium concedit, ne a Throno Judæ deficeret ſemen David; ſignum, coram Deo ſtetiſſe merita David etiam demortui, quorum intuitu movebatur bona dare viventibus poſteris. Quæ cum ita ſint quare vivi ſaltem Deum orare non poterunt, ut per juſtorum qui jam deceſſerunt merita, ipſos juvare dignetur, eoſdemque etiam deprecari juſtos, ut pro ſeipſis intercedant apud Deum? Moyſes id fecit (*Exod.* 32. 13.). Deum oravit, ut dimitteret populo peccatum Idololatriæ vituli propter Abraham, Iſaac, & Iſraelem, & *num.* 14.: *Placatuſque eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus*

fuerat

fuerat adverſus populum ſuum. Hac, non alia ratione, in periculis fluctuum D. Nicolai opem imploramus, cum notum ſit per interceſſionem ejus alios evaſiſſe liberos. Hac ratione Sanctam Virginem oramus, cui, quod Mater ſit Jeſu, vota noſtra, & ferventiores preces diriguntur, ut per interceſſionem ſuam apud Filium ab hoſte nos protegat, potiſſimum in hora mortis noſtræ. Si Patres, Picenine, revolviſſes, mirari ceſſares de ampliſſimis titulis, quibus noſtri eam commendant, rati Jeſum majori obſequio venerari colendo Matrem, cujus honor, & laus in Filium redundat. Omnia bene, ais, ſed: *Dicere qua Matrem imperare Filio, caput ſerpentis contriviſſe, non eſt dicere dumtaxat: Ora pro nobis.* Dicere Deum obedire voci hominis, nonne idem eſt ac dicere Mariam imperare Filio? Illud tamen dictum fuit de Joſue, cujus voce ſtetit Sol, *Joſue 10. 14.: Obediente Deo voci hominis.* Quemadmodum Scriptura Dei conniventiam exprimit erga hominis vocem, ita nos cum D. Petro Damiani *Serm. 44. de Nat. Virg.* de Sancta Maria dicimus: *Accedis ante illud aureum reconciliationis humanæ altare, non ſolum rogans, ſed imperans, Domina, non Ancilla.* Quæ repugnantia, quod dicatur Maria quodammodo *Serpentis caput contriviſſe*, cum D. Irenæus, unus ex primævis Patribus, (*Lib. 3. cap. 22.*) aſſerere non dubitet, quod ſicut Heva inobeditione ſua, *ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt mortis*, ita Maria obediendo, *ſibi, & univerſo generi humano cauſa facta eſt ſalutis?* Et infra: *Quod alligavit virgo Heva per incredulitatem, hoc ſolvit Virgo Maria per fidem.* Et *Lib. 5. cap. 19.*, ſicut per Virginem *adſtrictum eſt morte genus humanum*, ita *ſolvatur per Virginem... & ſerpentis prudentia devicta in columba ſimplicitate.* Ah mi Jacobe, hujuſmodi iniqua dicteria ex veterum pietate prodire nequeunt, ſed dumtaxat a venenato corde Neſtoriano, vel Albigenſi. Videatur D. Auguſtinus *Lib. 1. cont. Julianum cap. 3.*, ubi eadem refert poſtrema D. Irenæi verba. Idcirco etiam dicimus ſerpentis caput eam contriviſse, quia fide, & obedientia ſua obtinuit Matrem illius eſſe, qui ſerpentis caput contrivit. Ita Janſenius Iprenſis in Commentariis ſuis ſuper *cap. 3. Geneſ.*, ubi ad illa verba vulgatæ *Ipſa conteret*, ait: *Quia Virgo Maria ſemen illud Chriſtum protulit, & per illum virtutem ejus contrivit*, ut loquitur D. Epiphanius *hæreſ. 78.*, quę eſt Antidicomarianitarum, a quibus non longe Picenine diſtas. Et quemadmodum de Abraham dicitur (*Gen. 12. 3.*) *in te benedicentur univerſæ cognationes terræ*, propter Chriſtum ab ipſo naſciturum; ita propter ipſum Chriſtum, qui, ex Maria naſciturus, erat contriturus Serpentis caput, optime dictum *Ipſa conteret caput tuum*, ut ipſamet canit *Lucæ 1. 48.: Beatam me dicent omnes generationes.*

33. Mens erat lectorem mittere ad ea quæ num. 26., & Tom. I. Cap. IX. num. 78. 79. 80. dicta ſunt. Verum quia non ceſſas Picenine importunitate tua expoſtulare qua vetuſtate gaudeant tituli, qui Sanctæ Virgini inſcribuntur, idcirco inſiſtere cogor, ut certiorem te faciam, quod quæcunque ampliſſima Virginis encomia, cuncta ex divina ipſius maternitate dimanant, & ſi tu Mariam confiteris *Theotocon*, quocunque honoris genere teneris eam venerari. Hac de cauſa Irenæus *Lib. 5. cap. 19.* pronuntiavit, quod *ipſa ſolvit, quod Heva alligaverat.* Tertullianus *de carne Chriſti: Maria credendo delevit, quod Heva credendo peccaverat.* Origenes *Hom. 6. in Lucam: Ave gratia plena, ſoli Mariæ reſervatum erat.* D. Gregorius Neocæſarienſis *Hom. 3.* eam vocat *omnium miraculorum vaſculum*, inquiens, ipſius opera redditam eſſe Mundo Sanctiſſimę Trinitatis notitiam, a que hac phraſi eam invocat: *Tua ſane laus, o Sanctiſſima Virgo, omnem prorſus laudem excedit, ob eum ſcilicet qui ex te Deus carnem induit, & homo natus eſt. Tibi omnium cæle-*

ſtium

ſtium, terreſtrium, & infernorum naturæ convenientem cultum, ac venerationem adhibet. Tu enim vere thronus cherubicus facta eſes. D. Epiphanius *hæreſ.* 78. eam vocat *Trinitatis ſponſam, quæ omnes credentes illuminat, cujus gratia immenſa eſt, ab Angelis adorata.* D. Ambroſius *Lib.* 2. *de Virginibus: Quid nobilius Dei Matre? Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit?* D. Auguſtinus *de Sancta Virginit. cap.*6. Matrem eam appellat Chriſti capitis noſtri: *Sed plane Mater membrorum ejus, quod nos ſumus, quia cooperata eſt charitate, ut fideles in Eccleſia naſcerentur. Lib.* 3. *de Symb. ad Catech. cap.* 4.: *Per fœminam mors, per fœminam vita, per Hevam interitus, per Mariam ſalus.* Patres qui etiam ſecundum te purioribus ſeculis vixerunt, hujuſmodi titulis Dei Matrem honorant, & de adorationis cultu loquuntur. Nunc peto ex te, num ipſa *ſerpentis caput contriverit*, cum D. Auguſtinus pronuntiet: *Per Mariam ſalus*; nimirum per charitatis ardorem, quo credentium Mater dicitur. Quod *thronus gratiæ* dicatur, ex Scriptura id Patres didicerunt, dum in Evangelio legatur: *Gratia plena*. Thronus autem gratiæ, quid aliud ſignificat, quam quod in ipſa ſit omnis gratiæ plenitudo? *Æternam ſapientiam* aliquando dictam fuiſſe me latet, *Dei* vero *creditricem* non inficior; ſed quemadmodum abſurdum non eſt dicere Deum debitorem nobis ſe conſtituiſſe, ita nec dicere Mariam ſui creditricem feciſſe. Hi ſunt devoti cordis affectus, non univerſalis Eccleſiæ dogmata.

Quod te maxime offendit, eſt dum audias in Romana Eccleſia pronuntiari Magnam Virginem abſque originali labe conceptam, & hoc feſtum celebrari. Hoc tibi eſt inſuperabile fretum, quamobrem ſępiſſime in Apologia tua de iſto murmuras. præſertim vero *pag.* 322.: *Hoc feſtum*, inquis, *novitatem auget Romana Eccleſia. Eccleſia Chriſti duodecim ſeculis fuit abſque hoc feſto. Feſtum celebratur, & ut ait Jeſuita* (Semery), *docet Conceptionem ſanctam eſſe, ideſt Virginem conceptam fuiſſe abſque peccato. Ecce autem feſtum id decernens, & Eccleſia liti finem imponit ejus inſtitutione. Quid referebat igitur Alexandrum VII. ſe declarare in Bulla ſua, non intelligere hujuſmodi actu ad definitionem procedere, ſi id decernat, cum feſtum approbet? Hoc non eſt definire verbis, ſed factis: definire, & non definire, ideſt contradici.* Expendatur puerilis hic ſermo. *Feſtum Conceptionis novum eſt, & duodecim ſeculis Eccleſia ſtetit ſine ipſo.* Tametſi de his Tom. I. Cap. 9. §. 8. locutus ſim, reſpondeo: Si idcirco *novum* ſit Conceptionis feſtum, recentior erit pſeudoreformatio, dum non *duodecim*, ſed *ſexdecim* ſeculis Eccleſia fuerit ſine ipſa. Si autem univerſalis Eccleſia ſero cœpit feſtum hoc celebrare, jamdudum tamen particulares Eccleſię celebrabant: neque neceſſarium eſt, ut feſtum aliquod legitimum ſit, ſemper celebratum fuiſſe. Quemadmodum nova poſſunt nobis advenire beneficia, vel iſta noviter conſiderari, ſic ad eorum memoriam nova poſſunt inſtitui feſta. In veteri lege, præter feſta a Deo ſtatuta ex ore Moyſis, altera habebantur Moyſi poſteriora, ſicut feſtum ſortium in gratiam Eſther, *Eſther* 16. 24., tum illud ex victoria *Judith.* 16. 31., tum dedicationis Templi, primum a Salomone, alterum temporibus Eſdræ, tertium Machabæorum temporibus: quod etſi noviſſimum, Chriſtus ipſe ſua præſentia decoravit *Joann.* 10. In nova lege non video feſta a Chriſto inſtituta; vetuſtiora autem ſunt *Paſſio*, *Reſurrectio*, *Aſcenſio* Chriſti, & *adventus Spiritus Sancti*, quę communia erant omnibus Eccleſiis D. Auguſtini temporibus *Epiſt.* 118. nunc 54. *ad Januarium*. Seculo IV. circa finem, ex Sphanemii confeſſione *Theologic. oper. par.* 2. *pag.* 295., feſtum inſtitutum fuit Nativitatis, Epiphanię, Tranſfigurationis Chriſti. Seculo VI. feſtum Nativitatis; & Aſſumptionis Beatæ Virginis jam ſolemne erat, & Divus Gregorius in ſuo Antiphonario, & Sacramentario Officium ſignat. IV. ſeculo feſtum Purificationis celebrari conſueverat, teſte Gregorio Nyſſeno *Orat.*

de Occurſu Domini, & D. Cyrillo Jeroſolymitano. Succedentibus ſeculis, pluralitate feſtorum Eccleſia novis rationibus, modiſque ſtuduit Chriſtum colere, & magnam Virginem: quare autem addere non potuit & illud Conceptionis ejus? Hoc ad ritum præciſe pertinet. *In ritibus* autem, *& cæremoniis .... ſemper hac in re Chriſti Eccleſia uſa ſunt libertate.* Iſte non Romanus, ſed Helveticæ Confeſſionis eſt canon. Modo reſtat Gordianum, ſecundum te, nodum ſolvere: *Hac inſtitutio, hoc præceptum feſti Conceptionis (dicet Jeſuita) eſt facto definire Virginem abſque peccato eſſe conceptam.* Jeſuita eſt Bellarminus, qui feſtum Conceptionis diſtinguit ab articulo controverſiæ; ait enim *fundamentum hujus feſti non eſſe conceptionem immaculatam, ſed ſimpliciter conceptionem Matris Dei futuræ; qualiſcunque enim fuerit illa conceptio, eo ipſo quod conceptio fuit Matris Dei, ſingulare gaudium affert Mundo ejus memoria, tunc enim primum habuimus pignus certum redemptionis, & ideo celebrant præfatum feſtum illi etiam, qui eam putant in peccato conceptam, quemadmodum nempe Græci feſtum celebrant conceptionis Joannis Baptiſtæ die 23. Septembris, quanquam ipſum credant in peccato conceptum, quia non aliud reſpiciunt, quam conceptionem illius celebrare, qui futurus erat Chriſti præcurſor. Bellar. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 16.* Idem nempe reſpexit Clemens XI. in ſua Conſtitutione de præfato feſto die 6. Decembris 1708.: *Cujus Conceptio gaudium annuntiavit univerſo Mundo.* Neve quiſquam cogitaret facto ipſo voluiſſe controverſum articulum definire, non illud appellat *feſtum Conceptionis immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis*, ſed *feſtum Conceptionis ipſius Beatæ Mariæ Virginis immaculatæ.*

34. Te offendit audire *Matrem Mariam Filio imperare.* Quia autem Semery *hæreticum* te dicit, in ipſum inſurgis, reſpondens: *Quis in hac re hæreticus ſit, poteſt diſcere a S. Epiphanio.* Sanctus Epiphanius *hæreſ. 79.* hæc habet: *Honoratur Maria, Pater vero, & Filius, & Spiritus Sanctus adorantur. Mariam adorare nemo velit .... Maria in honore ſit: Dominus adoretur.* Collyridiani hæretici ex Arabia erumpentes in fine IV. ſeculi, *Mariam* adorabant ut *Deam*, ipſi honores qui uni Deo debentur deſerentes; quamobrem ſtatis diebus ſacrificium ipſi offerebant ex certis collyridis, miniſterio quarundam Mulierum, quæ ad hoc ſacrum deſtinatæ erant. Contra quos ſcite dicebat Sanctus Epiphanius: *Quanam Scriptura de hoc cultu enarravit? Quis Prophetarum unquam vel mulierem adorare, nedum hominem permiſit?* Et D. Joannes Damaſcenus *hæreſ. 79.: Collyridiani in ejuſdem Mariæ nomine, ſtato anni die Collyridas quaſdam offerunt quibus conſentaneum ex eo ritu nomen indidimus Collyridianorum.* Iſto autem genere cultus, quis noſtrum Mariam adorat? Quis ſacrificium in ejus nomine offert? Quis in Miſſa dixit unquam: *Offerimus tibi Maria?* Matrem Dei ipſam veneramur, non Deam: benedictam eam dicimus inter omnes creaturas, quam propterea meliori honore, & cultu, qui creaturæ proprius ſit, & conveniens, eam colimus, & honoramus. Ad hæc. D. Epiphanius monet, par crimen eſſe Mariæ dignitatem dejicere, quam ſupra debitam rationem attollere; & æque damnabiles eos vocat, qui cultum omnem ipſi negabant, quam Collyridianos, qui ſuperſtitioſe ipſam adorabant. Epiphanius igitur mediam, ac laudabilem ſobrietatem nobiſcum ſervabat; non tanquam Deam adorabat, neque debito cultu eam venerari prætenibat. Lege Picenine laudatum Patrem *hæreſ. 78.*, & audies quæ audire nolles: *Conſpicio illam ab Angelis adorari.*

35. Pater Semery, probans Mariam qua Matrem Chriſto imperare, textum refert D. Lucæ 2.51.: *Et erat ſubditus illis.* Reſpondes, *ſubditum ibi dici Puerum Jeſum in negotiis OEconomicis, non in rebus Religionis, & cultus, quod manifeſtum ſit ex reſponſis a Filio redditis Matri, quoties*

res

Digitized by Google

res erat de aliis rerum generibus, in his quæ pertinebant ad officium Filii, & ad ea facienda quæ Pater æternus ipſi commiſerat, quemadmodum legitur Lucæ 2. 49., Joannis 2. 4. Ergo Maria in domeſticis tantum negotiis ſe continere debebat, non ea tractare quę religionis erant, & cultus: atque in his minus a Chriſto reputabatur, quam Apoſtoli, & piæ mulieres Martha, & Magdalena. quibus ſaltim revelata fuerunt myſteria in reſurrectione facta, & primo ipſis manifeſtata fuerunt, dum e contra de Matre Maria nihil horum legamus. Nos quidem hæretici *Collyridiani* non ſumus, ſed tu enimvero es *Antidicomarianita*. neque tam inſani ſumus, quod credamus Mariam non aliam cum Chriſto partem habuiſſe, quam ipſum parere, lactare, educare: quod ſi valeret, incaſſum Patres tot encomiis eam commendarunt; ſcilicet D. Epiphanius *hæreſ.* 78., inquiens: *Per te homines habent fiduciam in Cælo erga Altiſſimum*, & D. Auguſtinus: *Mater membrorum ejus, quod nos ſumus.* Revolvantur prælaudati Patres, qui ampliora etiam, & præſtantiora ipſi tribuunt nomina, videlicet *Maris Stella, Cæli Porta. Regina Cæli Matris gratiæ.* Lege D. Joannem Damaſcenum *orat.* 1. *de B. M. dormit.*, *orat.* 2. *Aſſumpt. Dei Genitricis*. & conſidera nominum amplitudinem, quibus eam honorat *orat.* 3. *de ſacr. imag.*, ubi ſtatuit cultum Mariæ debitum: *Solum rerum omnium procreatorem, & opificem adoremus, & Latriæ cultu veneremur. ut Deum natura adorandum. Adoremus & Sanctam Dei Genitricem, non tanquam Deam, ſed ut Dei Matrem, quantum pertinet ad humanitatem. Adoremus etiam Sanctos, & electos, & amicos Dei, & libere loquendi cum Deo facultatem aſſecutos.* Si opponas. Damaſcenum modernum nimium eſſe, utpote octavi ſeculi, quid inde de prælaudatis dices, vetuſtiſſimis; & de D. Proclo *Orat.* 5. hæc pronuntiante: *Adoratur Maria. tanquam quę Mater, an illaque, & nubes. thalamuſque, & Arca Domini effecta ſit?* Hic autem floruit Seculo V. Damaſcenus vero ſi tantam non habeat antiquitatem, Calvino tamen, & Luthero duplo antiquior eſt: & antiquioribus conjunctus, perpetuam commendat traditionem cultus qui Virgini exhibetur. Porro cum dicitur *Mariam Filio imperare*, non ſecundum ſignificationem propriam ſumitur imperium, tantumve exprimitur obſequium quod a Chriſto etiam glorioſo pie creditur adhiberi erga Mariam Matrem ſuam, quaſi nequeat qualemcunque gratiam ipſi denegare, ut Adonias Bethſabeæ dixit 3. *Reg.* 2. 17. tanquam Matri Salomonis: *Neque enim negare tibi quidquam poteſt.* Ex eo quod Chriſtus Mariæ dixerit *Lucæ* 2. 49.: *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* non idcirco Mariam excluſit ab omnibus quæ ad cultum, & religionem pertinebant; ſed tantum docuit, quod in his quæ Dei ſunt. Deo potius obedire tenemur, quam Parentibus, & in miniſterio ad quod miſſus fuerat a Patre, nullum jus Mariam habuiſſe; non tamen quod Chriſtus benigne non reſpiceret Mariæ Matris preces. Argumentum ingens habemus in nuptiis Canæ (*Jo.* 2.). *Nondum venit hora* qua Chriſtus miracula patraret: quia tamen Mater orat, quanquam primo repulſam pati viſa ſit, miraculum tamen patratum fuit, intempeſtivo quodammodo tempore, in obſequium Matris. *Chryſoſtomus Hom.* 21. *in Matth.*: *Cur autem cum nondum horam ſuam veniſſe dixerit, implevit tamen Matris voluntatem? ... ut Matri honorem exhiberet, & non omnino contumax videretur Matri.* Verba porro quæ tu refers ex D. Luca, nihil omnino derogant obſequio, quod Mariæ Matri deferebat, tantumve indicant, propoſita obedientia, quæ Deo debetur, & Matri, iſtam illi cedere incunctanter debere. Ita D. Auguſtinus *Lib.* 6. *in Luc.*: *Ergo hic non Mater negatur, quæ de Cruce etiam agnoſcitur; ſed neceſſitudini corporali præſcriptorum Cæleſtium forma præfertur.* Videatur item D. Auguſtinus *Epiſt.* 243. jam 38., Origenes

nes *Hom.* 20. *in Luc.*, & D. Bernardus *Hom.* 1. *ſuper Miſſus eſt.*

36. Petis quid referat dictum illud *noſtra pians ſcelera, quod in Miſſali legitur?* Docebo te, ſcilicet nil aliud referre, niſi interceſſione ſua delere noſtra delicta, non *auctoritate*, ſed *prece*, quia precibus ejus movetur Deus ad dandam veniam, & juxta communem loquendi modum gratia nedum illi tribuitur, a quo deſcendit, ſed illi etiam per quem deſcendit. D. Auguſtinus *in Pſal.* 83.: *Neſcio quis habens cauſam moleſtam, mittendus erat in carcerem. Venit quis, defendit eum. Quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere.* Hac ratione Irenæus Mariam dicit cauſam ſalutis humanæ. Nec faſtidire ceſſas: *In Pſalterio Bonaventura Virgini referuntur qua David Filio Dei canit*; non tamen univoca æqualitate, ſed analoga comparatione: neque novum quæ Dei ſunt, & dicuntur, proportione quadam de creaturis enuntiari. Væ ſi noſtrum quis divinum nomen Virgini, vel Sanctis tribuiſſet! Attamen Spiritus Sanctus Moyſi, & cunctis juſtis Dei nomen communicavit, *Pſ.* 81.6.: *Ego dixi Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*, quod confirmat Chriſtus *Joann.* 10. 34., non natura, ſed participatione ſcilicet: *Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt.* Qui ſalutem aſſequi vult, firma fide in Chriſtum reſpiciat ſalutis largitorem, & in Mariam ſuper omnes eam potentem impetrare: *Cauſa facta eſt ſalutis*, D. Irenæus. Hac ratione credere poſſumus in Mariam ut Advocatam noſtram, in Chriſtum ut Redemptorem: poſſumus *totis præcordiis* illam implorare, quin *Collyridiani* videamur, ut tu hariolaris, quippe quod non ita in Mariam *totis præcordiis* confidimus, & tota dilectione contendimus, quaſi in ultimum finem, ſed tanquam in medium efficax ad aſſecutionem ultimi finis. Præterire poteras tot turbas ciere contra Salazar, quem *in cap.* 8. *Proverb.* exhorbitaſſe enormiter prætendis, ſiquidem ſi res ita eſſet, ſua, non noſtra eſſet.

§. VI.

Synodus Carthaginenſis III. a Picenini calumniis vindicatur, & quadam explicantur Catholica dicta.

37. Contendis, *Calvinum cauſam agere contra Sanctorum invocationem, quadam Synodo Carthaginenſi, qua ſtatuit, ad Altare dirigi preces Sanctis nullatenus debere.* Quanquam alibi ſatis tibi dixerim circa hujuſmodi Canonem, in præſens aſſero, ab illa Synodo, quæ eſt Carthaginenſis III. *Can.* 23., nihil adverſum nos fuiſſe ordinatum. Mandat preces ad Altare ſemper ad Patrem dirigi. Lege Miſſale noſtrum, & videbis cunctas preces ad ipſum dirigi, quare Canon Miſſæ incipit: *Te igitur clementiſſime Pater &c.* Quomodo autem probat Calvinus, Sanctorum invocationem hoc Canone prohiberi? Aliud eſt preces Patri unice dirigere, aliud in precibus Patrem unice nominare. Preces ad Altare ſoli Patri ſunt dirigendæ. At quemadmodum in iſtis imploramus tanquam primum mediatorem etiam Jeſum Chriſtum, dicentes: *per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, quod certe prohibitum non eſt, ita deſcendimus, & commemorationem facimus Virginis, & Sanctorum, ut ipſorum interceſſione mediationis Filii, & gratiæ Patris in effectu digni efficiamur; hinc dicimus: *Communicantes, & memoriam venerantes, in primis Beatiſſima Virginis Maria.* Ad hæc. In illo Canone non definitur noſtrarum precum objectum, tantumque præſcribitur forma, & ordo ſervandus. Ecce Canonem: *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, & cum ad Altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio: & quaſcunque ſibi preces aliquis deſcribit, non eis utatur, niſi prius eas cum inſtructioribus fratribus contulerit.* Tametſi vero definitum ibi eſſet precum noſtrarum objectum, nonne dictum jam cum D. Thoma 2.

2. qu.

Digitized by Google

2. qu. 83. ar. 4.: Soli Deo orationem porrigimus, quaſi per ipſum implendam; Sanctos vero imploramus: *Ut eorum precibus, & meritis, orationes noſtra ſortiantur effectum?*

38. Panigarolam admones, ſi *Conciliorum Carthaginenſium Canones expendat, gratum ſibi nihil plane excepturum; quippe inveniet Papa auctoritatem dejectam, detectis illorum dolis, qui eam uſurpare affectabant, Zoſimi nempe, & Bonifacii.* Gratiſſimum eſſet rem a te audire clarius expreſſam, niſi forte intelligas de controverſia in Synodo VI habita circa appellationes. De iſta enimvero ſtato loco ſatis dixiſſe arbitror, quamobrem hìc pauciſſimis me expediam. In Synodo Carthaginenſi III. ann. 307. habita, cui interfuit Divus Auguſtinus, comperio ſacrorum librorum canonem illi conformem, quem Innocentius I. ediderat *Ep. I. ad Exuperium*, & poſtremis temporibus Tridentina Synodus; quare Lutherani, & Calviniſtæ temeritatis, & inſaniæ ſuæ convincuntur, quoſdam ex eiſdem ſacris libris expungentes: maxime quod Carthaginenſes Patres teſtantur, ſe canonem illum ab antiquis recepiſſe, atque interea poſtulant præfatum canonem a Bonifacio Romano Epiſcopo confirmari, & promulgari ceteris illarum partium: *Quia a Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Mitto, in illa Synodo mentionem fieri de Epiſcopis, Preſbyteris, & Sanctimonialibus, quorum nec vola quidem inter Calviniſtas, tantumque animadverto, in Canone 23. ordinari: *Cum ad Altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio. Cum ad Altare?* Ergo tum præſupponebatur *Altare*. Si *Altare*, ergo & Sacrificium, cum non ſit Altare ſine Sacrificio. In Carthaginenſi IV. res eſt de Ordinationibus Epiſcoporum, Preſbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Exorciſtarum, Lectorum, Oſtiariorum, Sanctimonialium, quæ omnia apud nos frequentantur, apud Proteſtantes exſecrantur: ibi Picenine de Sacerdotibus mentio, quorum apud te tanta eſt abominatio. Utique *Can. 15. Epiſcopo praſcribitur vilis ſupellex, & pauper menſa, quod gradui ſuo auctoritatem comparet fide & meritis*, ut notas; ſed quid inde? Ad hujuſmodi regulam *Panigarola in ſuo Epiſcopatu Aſta Pompeja victitabat*, idemque ſervant plurimi Epiſcopi religioſiſſimi. Carthaginenſis V. Canon 14. tractat de Altaribus in memoriis Martyrum erectis, & de Reliquiis, & Canon III. Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconibus continere mandat etiam ab uxoribus.

39. *Eccleſia mea* (ais *pag.* 405.) *Martyres honorat, quemadmodum Smyrnenſis D. Polycarpum honorabat.* Hæc, juxta Euſebium *Lib. 4. hiſt. cap. 15.*, loquebatur ſic: *Chriſtum deſerere non poſſumus, qui paſſus eſt pro illorum omnium ſalute, qui in Mundo ſalvantur, ut alium adoremus: nec quempiam alium colere poterimus, quoniam hunc adoramus, qui Filius Dei eſt. Quo ad Martyres, illos ut decet amamus, cum ſint diſcipuli, & imitatores Domini, & propter ſummam benevolentiam erga eorum regem, & magiſtrum, quorum utinam ſimus ſocii, & condiſcipuli.* Ipſi Calviniſtæ conſectarios ſuos mentiri evincunt, ſi aſſerant hujuſmodi cultu Sanctos venerari; ſiquidem per loca quæ eorum furor vaſtavit, Martyrum ſepulcra demoliti ſunt, exturbarunt oſſa, cineres in ventos ſparſerunt, quod omnes hiſtorici narrant, qui de Calviniſmi geſtis narrant. Non ita ſane Smyrnæi, qui reverenter Divi Polycarpi oſſa collegerunt, & decenti loco illis repoſitis, anniverſariam martyrii ejus memoriam ſolemniter celebrabant.

40. Ne de te Panigarola doleat, integrum D. Pauli textum referre ſatagis *1. Timoth. 2. 5. 6.: Unus Deus, & unus mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Sancti ſunt interceſſores, & quadantenus mediatores, non quod dederint ſemetipſos redemptionem pro nobis, ſed quia ex conſervis a Jeſu redemptis, amici Dei, & Chriſti, gratiæ prærogativis inſigniti, precibus ſuis pro no-

bis

Digitized by Google

interpellant, ut nobis pretium erogetur, quod Chriſtus pro omnibus generatim ſolvit. D. Paulus dicens, Chriſtum eſſe unicum mediatorem, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, deſignat, nullum alium eſſe mediatorem, qui ſemetipſum pro nobis dederit, non autem non alios eſſe, qui nos juvare poſſint, quin pro nobis vitam dederint. Id & nos plene confitemur, quod unus ſit mediator, unus Redemptor, unus qui intercedit, unus quem Pater exaudit, non ex gratia, ſed ex juſtitia, quia ſanguine ſuo pleniſſime ſolvit quantum a nobis exigi potuit, ex quo tamen non ſequitur alios non orare, nec intercedere. Panigarolam *pag.* 408. ſic adoriris: *Strenue diſputator! Calvinus probat, D. Paulum loqui de uno mediatore interceſſionis, quia poſt dictum, fieri orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, ſubdit: Unus enim Deus, unus & mediator*. Hoc nempe Picenine tibi eſt D. Paulum introducere præpoſtere loquentem: *Facite obſecrationes, orationes, poſtulationes; unus eſt enim mediator pro omnibus intercedens*; potius quippe dicere debuiſſet: *Ne fiant obſecrationes, orationes &c unus eſt enim qui pro omnibus intercedit*, alias huic Paulinæ exhortationi poterat reſponderi: *Quid refert fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes cum unus jam ſit, qui pro omnibus orat, & intercedit? neque enim hac injuria fieri ipſi debet, ſi ejus orationes infinite efficaciores ſint, quam noſtra*. Quod & dici poterat, quando Paulus obſecrabat alienis orationibus adjuvari: Quid Paule deprecaris nos? Nonne doces, quod *unus eſt mediator, qui orat & intercedit? Quid nos pulſas? Vade ad illum unum*. Porro autem, quod unus ſit mediator, etiam interceſſionis, ſi apud D. Paulum non impedit, quin fidelium vivorum orationibus adjuvemur, quare Sanctorum, qui jam deceſſerunt, precibus juvari prohibet? Uni interceſſori Chriſto nulla fit injuria ex interceſſione fidelium vivorum in terris; fiet autem ex interceſſione Beatorum in Cælis? Si vivorum orationes intercedunt, quin e medio tollant interceſſionem Chriſti, cur id faciunt interceſſiones Sanctorum? Quia unus eſt Sol univerſum Orbem illuminans, nunquid non erunt ſidera? Chriſtus gratia illuminat omnem hominem, ipſe autem a nullo lumen accipit: pro nobis ipſe intercedit, pro ipſo intercedit nemo: redemptor eſt, ſed non redemptus, nec redemptionis capax. Sancti interceſſione ſua nos illuminant, ſed ut ſtellæ illuminatæ a Chriſto, a quo habent omne interceſſionis meritum.

41. Probare contendens mediationem, & interceſſionem duo eſſe conjunctiſſima, aſſumis hanc D. Joannis ſententiam (1. *Joan.* 2. 1.): *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris... Qui mortuus eſt* (*Rom.* 8. 34.), *immo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Quis negat? Nec vides miſer ſermonem hic eſſe de advocato redemptionis, qui eſt propitiatio pro peccatis? Ergo ne, iſto advocato poſito, Sancti demortui non orant, pro nobis cum id faciant vivi? Tu ex ingenio tuo ſic cerebroſe infers, non ita tamen ex Divo Joanne, & Divo Paulo. Inſiſtis, *mediationi redemptionis conjungi illam interceſſionis*. Qualiſcunque interceſſionis? Scriptura docet, qui Redemptor eſt, interpellare; ſed qualemcunque interceſſorem eſſe item debere Redemptorem, ubinam gentium docet? Non alium eſſe interceſſionis modum quam redemptionis, ubi habetur? *Væ*, ais, *ei qui ſeparat, quod Deus conjunxit!* Ad quid oro hæc ſententia, de conjugio olim a Chriſto pronuntiata? Væ autem Luthero, vobiſque Proteſtantibus, qui ex leviſſimis cauſis ſeparatis quos Deus matrimonio conjunxerat! Tot figmentis adjungis calumniam, videlicet, *ſimulare nos, dum dicimus unum Chriſtum admittere mediatorem redemptionis: quippe ponimus inde Sanctorum merita, ad quæ confugimus ut ſatisfacti-*

va

va redundantium reddituum de theſauro Eccleſia a Papa deinde erogatorum, & peccatoribus diſtributorum ad remiſſionem pœne. Si ergò Sancti Deo ſatisfaciunt, a temporali pœna nos liberantes, quid non ipſi erunt mediatores redemptionis? Hanc calumniam exterſimus, dum erat de ſatisfactionibus, & indulgentiis ſermo. Porro aſſero, mediatorem redemptionis ſolum eſſe qui pretium dedit redemptionis noſtræ, & ipſe eſt ſolus Chriſtus: ſincere igitur unum dumtaxat confitemur mediatorem redemptionis: ſolus ipſe ut verus Redemptor ſatisfecit, quia ipſe ſolus pretium dedit redundans, præter quod non aliud pretium Deus exigit, ut D. Paulus ſcribit *Coloſſ.* 2. 14.: *Donans nobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Sanctorum merita non ſunt nova pretia, ſed illius uberes fructus, & acti ſunt, quibus ſingillatim ſibimetipſis captant pretium a Chriſto ſolutum generatim pro omnibus: quęque ipſis ſuperſunt, Eccleſia in alios diſtribuit; quamobrem Sanctorum ſatisfactiones, non redemptivæ, ſed applicativę tantum ſunt fructus redemptionis, & imperrativæ apud Deum ex gratia, non ex juſtitia, ſolutionis temporalis pœnæ. Paucis, Chriſtus mediator eſt, qui per ſe ſtat coram Patre, ſemper exauditus pro ſua reverentia, nullo indigens mediatore: Maria, & omnes Sancti mediatores ſunt, qui a Patre non exaudiuntur, niſi precarie accedentes per mediatorem Chriſtum, & ejus merita.

42. Ad textum D. Auguſtini me confero *Lib.* 2. *cont. Parmen. cap.* 8., in quo maxime fidit Calvinus *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 20. Scribit S. Doctor, a Parmeniano poſitum fuiſſe Epiſcopum mediatorem inter Deum, & populum: *Homines enim omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus verusque mediator eſt, cujus typus quoniam præfigurabatur in Sacerdote veteris Teſtamenti, nullus illic invenitur oraſſe pro Sacerdote*: quod idipſum fuit ac dicere, Epiſcopum non poſſe verum eſſe mediatorem inter Deum, & populum, quia verus mediator eſt qui pro omnibus orat, nullo indigens qui pro ſe interpellet, qui autem mediatore indiget, nunquam ad illum accedit, qui ſecum ſit in eadem neceſſitate. Porro ſi Epiſcopus alio indiget qui pro ſe oret: *Homines enim omnes Chriſtiani invicem ſe commendant orationibus ſuis*, nequit dici unicus, & verus mediator, ſed ſolus Chriſtus. *pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus.* Quid oro pro te ex hac longe repetita oratione? Nunquid, qui mediator non ſit, non orare? Sed D. Auguſtinus affirmat, omnes homines Chriſtianos invicem ſe commendare ſuis orationibus. Si vero prætendas aliorum orationes nullius eſſe virtutis, niſi adhæreant orationibus unici, ac veri mediatoris, rem dicis inconcuſſam, quam fatetur D. Auguſtinus: *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.* Verum ſi ita ſit, cur infra dicit: *Si eſſet mediator Paulus, eſſent utique & ceteri Coapoſtoli ejus, ac ſi multi mediatores eſſent, nec ipſius Pauli conſtaret ratio, qua dixerat: Unus Deus, unus mediator Dei, & hominum?* Optime tamen procedit Divi Auguſtini ſermo: ſiquidem ſi Paulus talis mediator eſſet, qui oraret pro aliis, & nemo pro ipſo, eſſent ſimiles mediatores & ceteri Coapoſtoli, & ſic multi mediatores eſſent, non unus, qui pro omnibus oraret, nemo pro ſe, 1. *Timoth.* 2.: *Qui dedit ſemetipſum pro omnibus*, & qui: *Salvare poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum* (*Heb.* 7. 25.), *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quis porro unquam deliravit, Sanctos: ſive in hac, ſive in alia vita; hanc prærogativam habere, qui ſe dederint redemptionem pro omnibus, qui ſint accedentes ad Deum per ſemetipſos abſque unico mediatore Chriſto? Itaque pręcla-

clariſſime patet, nec a D. Paulo, nec a D. Auguſtino excogitatum unquam, alios mediatores rejicere meræ interceſſionis, ſed tantum mediatores redemptionis, qui unus eſt Chriſtus: quod etiam conſtat ex propoſito Divi Auguſtini, dum ſcriberet adverſus Donatiſtam, qui Sacerdotes, & Epiſcopos ita mediatores eſſe inter populum, & Deum volebat, ut orationes populi acceſſum habere non poſſent ad Deum, ſi Sacerdos, vel Epiſcopus pravę vitæ fuiſſent; quare Sanctus Doctor populos dirigere debebat ad verum unum mediatorem Chriſtum, *in quo & nos unum ſumus.* Neve videntes pravæ converſationis Paſtores, ab ipſis diſcederent, ut Donatiſtę faciebant, concludit: *Nec propter malos, bonos deſeramus, ſed propter bonos, malos ſufferamus.* Ut autem mens Sancti Doctoris clarius emicet, videatur *Tract. 1. in Epiſt. 1. Joann.*, ubi explicans verba D. Joannis: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum*, hæc habet: *Sed dices aliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis, ergo Epiſcopi, vel Presbyteri non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas. & videte, quia & Præpoſiti commendant ſe populo. Nam Apoſtolus dicit plebi: Orantes ſimul & pro nobis. Orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo. Oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis, invicem pro ſe omnia membra orent, caput pro nobis interpellet.* Et *Serm.* 285. ait Chriſtum unicum eſſe Advocatum, ſicut unus eſt Paſtor; quemadmodum autem id non tollit quin ſint alii Paſtores, ita quin ſint alii Advocati: *Pro Martyribus non oratur; tam enim perfecti exierunt, ut non ſint ſuſcepti noſtri, ſed advocati. Neque hoc in ſe, ſed in illo, cui capiti perfecta membra cohæſerunt. Ille enim eſt vere advocatus unus, qui interpellat pro nobis ſedens ad dexteram Patris: ſed advocatus unus, ſicut & Paſtor unus ... Ut Chriſtus Paſtor; Petrus non Paſtor? Immo & Petrus Paſtor, & ceteri tales ſine ulla dubitatione Paſtores. Nam ſi non Paſtor, quomodo ei dicitur, Paſce oves meas? Sed tamen verus Paſtor, qui paſcit oves ſuas: Petro enim dictum eſt, non Paſce oves tuas, ſed meas. Petrus ergo non in ſe, ſed in corpore Paſtoris eſt Paſtor.* Non igitur Auguſtinus Sanctorum interceſſionem rejicit, ſed tantummodo eam adjicit interceſſioni Chriſti ſupremi capitis. Confeſſio Wittembergenſis, quam a te refutari nefas, *tit. de Ordine* hanc veritatem fatetur: *Si de ſummo, & vero mediatore dicendum eſt, unus ſolus eſt mediator inter Deum, & homines, Jeſus Chriſtus Filius Dei. Si loquendum eſt de mediatore precationis, unuſquiſque pius factus eſt alterius mediator per Jeſum Chriſtum, propterea quod officium exigit, ut alter alterius ſalutem precibus ſuis Deo commendet: quod etiam officium tunc ſinguli exercent, cum recitant ex fide orationem Dominicam.* Hæc nimirum & nos confitemur.

43. Male habetur Panigarola, quod dixerit, quemadmodum in lege veteri, præter Salvatorem redemptionis Chriſtum, nonnulli fuerunt dicti *Salvatores interceſſionis*, ſicut *Othoniel*, & *Moyſes*, ita apud nos, præter redemptionis mediatorem Chriſtum, nonnulli poterunt reperiri mediatores interceſſionis, & obſecrationis. Ad quæ *pag.* 400. incondite clamas, *Othonielem fuiſſe Salvatorem, & Liberatorem temporalem, ſicut non multis ab hinc annis Rex Polonus Viennæ fuit Liberator. Moyſes autem medius fuit inter Deum, & populum, quia partes quodammodo interlocutoris agebat, & internuntii, qui res populi ad Deum, & Dei ad populum deferebat.* D. Auguſtinus tamen *Lib.* 7. *quæſt. ſuper Judic. qu.* 8. ait: *Advertendum eſt autem, quod dicat Salvatorem etiam hominem, per quem Deus ſalvos faciat*, a malis ſaltem temporalibus: quare autem dici etiam non poterit hominem interceſſorem eſſe apud Deum circa temporalia, niſi velis ad ſpiritualia? Quantum ad Moyſen, ipſemet *Deuter.* 5. 5. de ſe ait: *Ego ſequeſter, & medius fui inter vos, & Deum. Sequeſter*, quid amplius deſignat, ac *inter-*

Digitized by Google

interlocutorem, *& internuntium?* ſignificat enim *medium* ad componendas inter duos lites. Divus Methodius *Sermon. de Simeone, & Anna*, Chriſtum vocat *Pacis ſequeſtrem:* & re vera Moyſes, dum Deus populo illi iraſceretur, medius fiebat, & Deum placabat; quare autem Sanctus non poterit medius ſtare ſuis orationibus, & intercedere? Reſpondes, *quæſtionem eſſe de Sanctis mortuis, an vivorum peccantium mediatores ſint. Exemplum Moyſis probaret, Sanctos vivos illorum mediatores eſſe qui in terris vivunt: quod non negatur.* Interim habeo ex te, Sanctos vivos a nobis rogari poſſe ut interceſſores, & obſecrari, qui pro nobis orent ad Dominum. Idem concedis ad textum Job relatum a Panigarola *Job 5. 1.*, ubi Eliphaz Job ita conſulit: *Ad aliquem Sanctorum convertere;* cui reſpondes: *Eliphaz non loquitur de Sanctis beatis, ſed de Sanctis viatoribus.* Quanquam autem poſtea te retractare mediteris, dicens ſecundum hebræum textum ita eſſe intelligendum: *Ad quem Sanctorum te convertes?* neque legi *Job ſe convertiſſe ad aliquem Sanctorum*, nihilominus inconcuſſum manet ſemper, Eliphaz ſuppoſuiſſe ad aliquem Sanctum poſſe converti, ſecus extra aleam fuiſſet interrogatio: *Ad quem Sanctorum te convertes?* Habemus igitur conceſſum Sanctos vivos intercedere.

44. Panigarolam redarguis, quod *mendoſe citaverit textum Apocalypſis, & ſiniſtram addiderit interpretationem.* De primo, qui Typographi defectus eſſe potuit, tacere poteras, cum tu in eadem damnatione totus ſis. Expendamus alterum. Textus eſt ille a me ſupra relatus de 24. Senioribus, qui habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. Reſpondes, *phialas odoramentorum plenas, quas habebant quatuor animalia, & ſeniores, ideſt Anima illa triumphantes, eſſe orationes Sanctorum. Quorum Sanctorum? Nunquid eorum, qui in terris degunt? Neutiquam ſane. Nequeunt eſſe niſi illorum animalium, & ſeniorum, nempe canticum illud novum, de quo infra ſtatim verſ. 9.* Hæc interpretatio Minervæ tuæ fœtus eſt, non tamen ex Scripturarum ſemine conceptus, ſiquidem ſi illorum ipſæ orationes erant, & Agno eas offerebant, quid dicere *Orationes Sanctorum?* Tanti ne erat dicere *Orationes illorum?* Si orationes erant canticum illud, de quo immediate *verſ. 9.*, jam lego *verſ. 13.* canticum illud cecinisſe *omnem creaturam, quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari .... omnes audivi dicentes &c.* Canticum igitur non erant ſolæ orationes illorum Animalium, & Seniorum, ſed omnium, & Sanctorum etiam qui ſunt ſuper terram; idcirco offerebant orationes etiam iſtorum in phialis ipſi Agno. Aliud quoque Panigarolæ dictum reſpuis, deſumtum ex Apocalypſi *cap. 8. 3.*: *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium. Non ita legendum*, inquis, *ſed ut daret orationibus Sanctorum omnium.* Ita nimirum Biblia tua Genevenſia, ſed expoſitio Tremellii habet: *Ut offerret eum precibus Sanctorum omnium.* Utcunque ſit, vel Angelus incenſa illa Deo offerebat cum precibus Sanctorum omnium, aut dabat incenſa orationibus, ut magis gratæ fierent coram Deo. Cum videas hic, ex eo quod dictum ſit *omnium Sanctorum*, neceſſe eſſe Sanctos etiam terræ ſub hac univerſalitate comprehendi, rimam quæris, dicens *Angelum illum Chriſtum eſſe*; neve cauſa cadas, nonnullos invocas Expoſitores noſtros, Andream Cæſarienſem, Dionyſium Carthuſienſem, & Vegam. Cum alias amicum litteralis ſenſus te ſuperſtitioſe affectes, nunc longe nimium ab illo aberras. Expendamus caput illud. Ait D. Joannes: *Et cum (Agnus) aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in Cælo quaſi media hora. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & data ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius Angelus venit, & ſte-*

tit ante altare, habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa, ut daret orationibus, ſive *de orationibus Sanctorum omnium*. Si poſtremus iſte Angelus cum incenſis erat *Chriſtus*, Agnus qui ſeptem aperuit ſigilla quis erat? Nemo negaturus mihi erit, a Divo Joanne ſub nomine *Agni* Chriſtum intelligi. Si Agnus igitur Chriſtus eſt, Angelus ille alter cum incenſis Chriſtus eſſe non poterit, ſed Angelus a ſeptem aliis diſtinctus. Et ſi hic Angelus cum incenſis offerebat orationes omnium Sanctorum, conſequens ſit ab Angelo oblatas Deo fuiſſe orationes Sanctorum etiam viatorum.

§. VII.

Beati, & Sancti audiunt preces noſtras, & quomodo audiant.

45. Quaſi e pugna contra Panigarolam fractis ejus rationibus victor redires, glorioſus miles circumſpiciens interrogas in Apolog. *pag.* 410. *: Quid adhuc Panigarola reſtat?* Quid reſtat? Audi ipſum ſtantem in acie, & provocantem „ Si „ pro nobis intercedunt vivi, cur „ non item mortui? Si Fratrem vivum, „ ſive Dominici, ſive Franciſci „ obſecrare poſſum, qui Deum pro me „ oret, quid non potero deprecari „ ipſum D. Dominicum, & D. Franciſcum, qui me precibus adjuvent „ apud Deum?„ Reſpondes: *Si Frater confratrem vivum exoret, ille neceſſitates ſuas communicare, & iſte de illis cognoſcere poteſt. Sed ſi D. Franciſcum mortuum exoret, hic non ipſum videt, non audit, non cognoſcit neceſſitates ejus; orat ut illi Baalita, qui clamabant ad Baal, ſed Baal non reſpondebat*, 3. *Reg*. 18. 26. Sed te fugit potiſſima ratio; hactenus quippe ſuſtinebas, Chriſtum eſſe unicum mediatorem, redemptionis, & interceſſionis, & quempiam alium interceſſionis mediatorem inceſſebas, quamobrem ex te Panigarola flagitat, num vivi orent, ut hucuſque conceſſiſti; qui ſi orent, an uni mediationi Chriſti ſuis precibus derogent, necne? Si derogant, cur orant, & intercedunt? Hac ratione Calviniſtæ pariter injuriam faciunt Jeſu Chriſto. Si non derogant, quid Sancti demortui orantes, & intercedentes, illam faciunt injuriam uni mediatori Chriſto, quam vivi non faciunt? Dicitis, vivos cognoſcere neceſſitates noſtras, quas mortui non cognoſcunt. Sed ſi Sanctis mortuis notæ non ſunt neceſſitates noſtræ, poſſunt tamen manifeſtari ipſis a Deo, per revelationem. Qua data hypotheſi, orantes pro nobis unum ne mediatorem offenderent? Si ais, ego negabo, quippe quod Sancti vivi intercedunt; & non offendunt. Ad hæc. Vos Proteſtantes fatemini, quæ in Cælo triumphat Eccleſiam pro militante generatim deprecari, *& orare pro Eccleſia ambulante in fide*. At ſi unicus mediator generatim pro omnibus orat, tum etiam orat pro Eccleſia ambulante in fide: quid ergo triumphans generatim orat? Nonne hæc eſt injuria uni mediatori? *Hac rei ſumma*, quam non vales eludere Domine Picenine. Dicere, in Scripturis *nec præceptum, nec exemplum eſſe de exorandis mortuis, bene vero de vivis exorandis*, opportunum non eſt ad probandum, utile non eſſe, ac pium, Sanctum mortuum deprecari, cum utile ſit, ac pium id facere erga vivum. Sed & ex Scripturis oſtenditur, in lege etiam veteri Sanctos mortuos invocari. Dicere autem *: Si a vivis opem imploratis, non ipſos tamen adoratis*, eſt fugam capere alia via, cum jam dictum ſit quo cultu illos veneremur. Opportunum eſſet ſcire, an Calviniſtæ, dum vivos obſecrant pro ſe orare, confidant iſtorum poſſe orationibus juvari, necne? Si non credunt, ad quid orant? Si id credant, ergo in illis aliquam reponunt fiduciam, & quandam ſpem, tanquam in interceſſoribus, ſemper tamen per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per ejus merita. Quare autem de triumphantibus jam beatis non idem fatentur, qui pro ſe deprecari non amplius

plius indigent, qui conſociati ſunt æternitati Domini noſtri Jeſu Chriſti veri mediatoris? Fidunt in orationibus viventium Sanctorum, qui per ipſos peccatores ſunt, labia habentes polluta, & opera immunda: nos autem audent redarguere, quod fiduciam habeamus in orationibus beati vere Sancti, qui nihil habet quod Deum offendat?

46. Sed Sancti triumphantes non audiunt, non vident, non agnoſcunt neceſſitates noſtras: *Non credo*, ais *pag.* 411., *Dominicum, & Franciſcum pro aliquo privato orare, cum neſciant quid agatur in terris*. Quomodo ita eſſe adſtruis? Si Deus, ut ais, non revelavit ipſos cognoſcere quæ in terris aguntur, neque revelavit non cognoſcere: ſub hac porro incertitudine vis definire eos certo ignorare? Verum mittamus pro nunc, quod poſt falſiſſimum eſſe oſtendam, Sanctos ſcilicet ignorare quæ hìc inferius aguntur, quæque nobis vel opportuna ſint, vel neceſſaria; adhuc aſſero oportere a nobis invocari. Si jam conceditur, triumphantes in Cœlis pro viatoribus in fide generatim orare, eorumque orationes exaudiri, ergo, tametſi incertum eſſet nobis, noſtra ipſis patere, eos tamen invocare, deprecari, & gratias agere teneremur, quia certi quod generatim pro omnibus orent, jam pro unoquoque noſtrum implorare, & impetrare non definunt. Princeps, in quantum regit, privata ſingulorum negotia non attendit, nec ſcire curat, ſed publicum tantum bonum conſiderat, ac gerit: attamen ad ipſum acceditis, orantes, & ſciſcitantes, ut his, vel illas leges ferat, & gratias agitis dum eas ſancit, quia rempublicam gubernans, veſtra etiam ſingula promovet. Divus Auguſtinus *de cura pro mort. cap.* 16. ſic differit: *Iis generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſunt, nec quid agant ſcimus*. Quemadmodum itaque pro mortuis oramus, eorum ignorantes individuas neceſſitates, ita, juxta Auguſtinum, Sancti mortui pro omnibus generatim orant, & omnes adjuvant, dato etiam determinate ignorare privatas cujuſque neceſſitates.

47. Velles tergiverſare verbis, garriens *pag.* 411., *Panigarolam maniſeſtiſſimam injuriam facere Jeſu Chriſto, dicendo ipſum eſſe mediatorem quatenus homo. Chriſtus mediator eſt ut Deus homo, mediator, inquam, redemptione, & interceſſione*. Iniqua hæc doctrina, quæ eſt Calvini *ad Polonos contra Stankarum*, niſi ſane exponatur, Arianiſmum ſapit. Aliud eſt quærere quæ ſit perſona noſtri mediatoris, aliud vero cujus facultate naturæ mediator fuerit. Perſona mediatoris noſtri eſt Jeſus Chriſtus Deus, & homo, ſed natura qua mediator factus eſt, non humana eſt pariter, & divina, ſed humana, ideſt, Chriſtus Deus homo mediator eſt, non ſecundum id quod habet ut Deus, ſed ſecundum id quod habet ut homo. Præclare D. Auguſtinus *Lib. 9. de civit. Dei cap. 15.: Nec tamen ob hoc mediator eſt, quia Verbum, maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum longe eſt a mortalibus miſeris, ſed mediator per quod homo*. Mediator ſequeſter fit, & ad alterutram partem accedit, ut extrema conciliet. Sed Chriſtus per quod Deus medius non eſt inter hominem, & Deum, ſed Deus eſt; neque ad humanam naturam contingit, quia *maxime immortale, & maxime beatum Verbum longe eſt a mortalibus miſeris*: denique per quod Deus, pars eſt ab homine offenſa. Fas eſſet itaque dicere, Verbum qua Verbum Deum non eſſe, ſi qua Verbum velis mediatorem eſſe: quod purum putum Arianiſmum eſt; aut ſi Verbum velis Deum eſſe, fatendum eſt qua Verbum, & Deum mediatorem non eſſe, bene vero qua hominem Deo conjunctum, quo modo attingit hominem: qua homo unitus Deo accedit ad Deum, & qua homo diſtat a Deo; qua juſtus, & unitus Deo, diſtat ab homine. Pronuntias, *non potuiſſe placare ſimul Deum, & hominem, non potuiſſe infinitum pretium Deo exhibere, niſi ſi-*

guram faceret hominis Dei. Quod mediatoris noſtri perſona homo & Deus eſſe deberet, quiſque fatetur, qui Neſtorianus non ſit: quod proinde vero mediatoris munus gereret ut homo, ut Verbum, ut Deus, mentiri nequit niſi Arianus: & Calvinus ita mentitus, a Stankaro Arianiſmi tinctus producitur. Verbum hominem Deo reconciliabat, ſed operationibus ab humana, quæ in ipſo erat, natura procedentibus, non ab ipſa divina ſubſtantia: Verbum Deo exhibebat pretium infinitum, ſed conflatum ex operibus ſuę humanitatis, quę opera, cum a perſona divina dignificarentur, meritum infinitum ſortiebantur; opera autem ſolius Divinitatis in Chriſto mereri non poterant. Ais: *Chriſtus in Cælo non orat ſenſibilem quandam edens vocem, quemadmodum orabat pro ſe proſtratus, & genuflexus in horto*. Enimvero ut Deus orare non poteſt, obedire non poteſt, ſanguinem offerre non poteſt, tolerantiæ meritum habere non poteſt. Quanquam ergo hæc omnia impleat Deus homo, non qua Deus, ſed qua homo hæc facit: quæ res eſt, quam vel ignoras, vel ignorare ſimulas. Si *Deus in Chriſto dignificat opera hominis, ut rationem habeant juſti pretii*, Deus tamen qua Deus non meretur, non ſatisfacit, nec mediator eſt.

48. Prætermiſſis interim juſtiſſimis Panigarolę querelis erga hęreticum illum impium, qui horrenda, & nefanda blaſphemiæ verba evomuit adverſus Sanctam Virginem; & exemplo etiam omiſſo, quod nulla veritatis ſpecie, nullo indicato auctore Picenine profers, unice ad offendendam pietatem eorum, qui veram habent fidem erga Deiparam, audiamus quæ ſubdis *pag.* 412., nempe *Virginem invocandam non eſſe, cum eorum notitiam non habeat, quæ nobis deſunt in terris*. Jam oſtenſum eſt, tametſi nullam haberet ſingularem notitiam eorum, quibus ſinguli indigemus, generatim tamen conſciam eſſe de neceſſitatibus noſtris, pro quibus orat, ac propterea invocandam eſſe. Verum quod plene cognoſcat ſingula quæ nobis deſunt in terris, probare ſpero. Pro nunc audi Severum Gabalitanum, auctorem qui cadente Seculo IV. floruit, in *Serm. 6. de Mundi opificio, tom. 6.* Oper. Chryſoſt. *pag.* 639. Poſt dictum, Mariam merito pronuntiaſſe: *Beatam me dicent omnes generationes*, ſic objicit: *Et quid illam juvat iſtud, inquies, cum non audiat?* Nonne palmaris iſta objectio tua? Attende reſponſum: *Immo vero maxime audit, eo quod eſt in loco ſplendido Mater ſalutis, fons ſenſibilis lucis.* Sed fas eſt nunc Panigarolam liberare a crimine, quod ipſi imponis, falſarii interpolatoris verborum Calvini *Lib. 3. Inſt. cap. 20. §. 24.* Sive iſte dicat: *Quot cubitis longas habent aures Sancti, ut preces audiant noſtras?* ut Panigarola ſupponit; ſive dicat, ut re vera ſcriptum habet: *Quis tamen eo uſque longas illis eſſe aures revelavit, quæ ad voces noſtras porrigantur, oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſſitatibus noſtris advigilent?* inſolentiſſima ſemper Calvini deriſio erit, ſupponere a Sanctis preces noſtras audiri, & neceſſitates noſtras perluſtrari, auribus, oculiſque corporeis, uſu noſtro, quatenus nec audire, nec videre nos poſſint Cælo ſtantes.

49. Poſtulas *pag.* 413., quomodo Panigarola *ſciverit, vel quis ipſi revelaverit, Sanctos vocem ejus audire, & preces ſuas intelligere?* Panigarola reſpondet argumento *a minori ad majus* „ Eliſeus abſens facta novit
„ pueri ſui Giezi, & abſens indica-
„ vit omnia verba, quæcunque dicta
„ erant in conclavi Syriæ. Petrus
„ abſens cognovit fraudes Ananiæ, &
„ Saphiræ: hi non confirmati in gra-
„ tia abſentium facta cognoverunt,
„ nunc autem confirmati non agno-
„ ſcunt? Hoc eſt beatos facere via-
„ toribus deteriores „. Ita Panigarola loquitur, tu vero quid ad hæc? Nempe, *aliquando Deum revelare viatoribus Sanctis aliena, non tamen ſemper: neque perpetua erat illa notitia. Jacob ignorabat Joſephum vivere, & eſſe Principem in Ægypto. Elias neſciebat ſeptem millia in Iſrael eſſe, qui non*

genu-

genuflexerant ante Baal. *Eliſeus ignorabat cauſam triſtitiæ Sunamitidis* 4. *Reg.* 4. 27. *Frater male diſſerit*. *Deus ſecreta multa Prophetis revelabat*, & *Apoſtolis, dum munera ſua in terris gerebant*. *Id neceſſarium erat, ad cognoſcendas fraudes*, & *confundendos fraudatores*. *Sed Beati in Cælo nullum habent munus in terris gerendum*. Ergo aliquando Sancti viatores, abſentes etiam, noverant aliena; quare accidere poteſt, beatos Sanctos aliquando, etſi abſentes, noſtra videre: ac ea ſpe rogare eos poſſumus, quod Deus neceſſitates noſtras valeat ipſis revelare, & ipſi pro nobis orent. Sed neque hęc eſt rei ſumma. Viatores Sancti abſentes aliquando aliorum facta viderunt, quia tranſeunter, & ex parte divina lux ipſis affulgebat: *Ex parte enim cognoſcimus*, & *ex parte prophetamus*, 1. *Cor.* 13. 9. Sancti igitur beati, qui non guttatim, & tranſeunter, ſed plene, ac perenniter fonte divinæ lucis inebriantur, hærentes oculis in divinum Solem, ea ſemper videbunt: *Cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, *ibid. num.* 10. Propheta non ſemper videt, quia prophetico lumine non ſemper illuſtratur, ſed durante in ipſo hoc lumine, ſemper videt. Sancti, Dei faciem ſemper intuentur, illuſtrati lumine glorię, pręclariori prophetico lumine; vident ergo ſemper quæ eveniunt, etſi abſentes. Sic Divus Auguſtinus diſſerit, *Lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 29.: *Si enim Propheta Eliſeus puerum ſuum Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus a lepra deformitate mundaverat: quod ſervus nequam, Domino ſuo non vidente, latenter ſe feciſſe putaverat; quanto magis* (ecce Panigarolæ illationem) *in illo corpore ſpirituali videbunt Sancti omnia, non ſolum ſi oculos claudant, verum etiam unde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apoſtolus, ex parte, inquit, ſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt evacuabitur* &c. Pręclarius ne ad rem noſtram Auguſtinus? *Cum ex me quæritur quid acturi ſint Sancti in illo corpore ſpiritali, non dico quod jam video, ſed dico quod credo*. Ante D. Auguſtinum ita Origenes eredebat, *Lib.* 2. *Periarch. cap.* 12., ubi apertiſſime, quanquam immixto aliquo errore ſuo, oſtendit animarum beatarum ſolicitudinem in noſtris cognoſcendis; & *Lib.* 8. *contra Celſum*, de beatis animabus, & Angelis hæc ſcribit: *Quippe qui ſimul & ſentiant, quinam ſint Dei benignitatem promeriti. Nec ſolum ſe hi erga digniores quoſque propitios reddunt, ſed & Deo gratificari volentibus opitulantur, hiſque & placatiorem hunc faciunt, unaque & ſupplicant, & precantur; & ita ut affirmare id auſim.... poteſtates illas innumeras nec vocatas quidem ultro Deum una comprecari, generique huic noſtro adeſſe, & cum Dæmonibus, ut ita dixerim, vel certamen inire* &c. Hanc doctrinam tradebat D. Baſilius *de vera virginitate*: *Et ſic oculis carneis minime conſpicui ſunt* (de Sanctis loquitur), *incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia*, & *comprehendunt*. Id credebat D. Gregorius Nazianzenus *Epiſt.* 201.: *Illud perſuaſus ſum, Sanctorum animas res noſtras ſentire*. Et *Orat.* 24., de D. Athanaſio loquens jam demortuo, ait: *Nunc res noſtras, ut perſuaſum habeo, cælitus inſpicit, ac virtutis cauſa laborantibus manum porrigit, eoque magis, quod vinculis corporis liberatus eſt*. Videatur etiam *Orat.* 19. Id tenebat Gregorius Nyſſenus *Orat.* de S. Theodoro: *Quanquam tu vitam hanc tranſcendiſti, humanas tamen moleſtias, & neceſſitates non ignoras, impetra nobis pacem*. S. Ephrem quoque *de agone ſpirituali*, ubi habet, Angelos, & Archangelos ſupplicantium orationibus obviam deſcendere, & *ſuſcipientes, eas uſque ad thronum gloriæ Sancti Dei perducunt*. Theodoretus item *Lib.* 8. *de curandis Græcorum affectionibus*, ubi de Martyribus ſermonem habens, illorum rejicit errorem, qui putabant Martyres *nul-*

lum

lum ſenſum eorum habere quæ in terris geruntur, unde ait: Optime vident, *quod divina quidam, & beatiſſima in ſorte conſtituti ſunt*. D. Hieronymus etiam *Ep.* 22. ad Paulam, & *Ep.* 53. *ad Theodoram viduam*, ubi de Licinio viro ejus jam defuncto loquens, ait: *Ille jam ſecurus, & victor te aſpicit de excelſo, & favet laboranti, & juxta ſe locum præparat eodem amore, & eadem charitate &c.* D. Auguſtinus pariter Serm. 316. jam 94. *de diverſis*, ubi loquens de Paulo, & Stephano, inquit: *Ambo ibi vos videtis, ambo modo ſermonem noſtrum auditis: ambo pro nobis orate*. Sic Græci, & Latini Patres loquuntur, in primævis, & purioribus ſeculis. Vident Sancti neceſſitates noſtras, & charitate ducti, præſto ſunt, ardentius pro nobis orantes, quam dum nobiſcum verſarentur. Ineptam modo reſtat ſolvere diſparitatem, a te poſitam inter Sanctos vivos, & mortuos, nempe *Sanctos beatos non habere, ſicut viatores, munus quodpiam exercendum in terra*. Sed quid dices de Angelis, de quibus D. Paulus *Hebr.* 1. 14.: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* Et hi nullum habent miniſterium agendum in terris? Tandem, Sancti nullum habent miniſterium in terris gerendum, nec privatum, nec publicum, nihilominus concedis pro tota Eccleſia *generatim* orare. Ergo quanquam privatum non habeant miniſterium, orare poſſunt, & intercedere pro perſonis privatis.

50. *Id contradicit Scriptura* (ais *pag.* 413.). *Job* 14. 21. inquit: *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget. Eccle.* 9. 5.: *Mortui nihil noverunt amplius. Ibidem v.* 6.: *Nec habent partem in hoc ſeculo, & in opere, quod ſub ſole geritur. Daniel* 12. 13.: *Requieſces, & ſtabis in ſorte tua.* Hæc ad rem non faciunt, ſiquidem aut probant mortuos, qui beati non ſunt, non cognoſcere neceſſitates noſtras, aut beatos non eas agnoſcere, & providere modo illo humano, & corporeo, quo illas videbant, gerebantque, dum in terris viverent: vel denique probant naturaliter iſta non videre, & procurare; non autem ea non videre per revelationem, vel aliquo alio ſuperiori lumine. D. Auguſtinus hanc agens cauſam, modum definire non audet, quo noſtrorum notitia ad mortuos perveniat, *de cura pro mortuis agenda cap.* 13. 14. 15. *&* 16., & loquendo in genere, ait, mortuos in loco eſſe, in quo naturaliter non vident *quæcunque aguntur, aut eveniunt in iſta vita hominibus*. Verum quia ex variis Scripturæ locis conſtat, plurima quę ad hanc vitam pertinent mortuis fuiſſe revelata, ſubdit negari non poſſe, plurima ad eorum notitiam pervenire, aut per eos qui decedentes ad ipſos tranſeunt, aut per revelationem Angelorum, vel divino afflatu, ſicut accidit Prophetis, ſive per ſingularem miſſionem mortuorum ad vivos, ut Scriptura pluries accidiſſe tradit. *Cap.* 16. autem ad quæſtionem deſcendit, *quonam modo Martyres ipſis beneficiis, quæ dantur orantibus, indicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſciunt mortui quid agant vivi?* Et poſt dictum, plures Martyres viventibus apparuiſſe, *non ſolis beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum adſpectibus*, concludit quod iſtæ apparitiones *divinitus exhibentur, longe aliter, quam ſe ſe habet uſitatus ordo*, & quod *alia ſunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*. Addit: *Ideo potius intelligendum eſt, quod per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſint, quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt*. Sed integrum D. Doctoris ſermonem referamus. Sequitur itaque: *Quanquam iſta vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos per eos certum eſt adjuvari; utrum ipſi per ſe ipſos adſint uno tempore tam diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum memoriæ, ſive præter ſuas memorias, ubicunque adeſſe ſentiuntur: an ipſis in loco ſuis meritis congruo, ab omnium mortalium converſatione remotis,*

tis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiis ſupplicantium (ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, vel quid agant ſcimus) Deus omnipotens, qui eſt ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens Martyrum preces, per angelica miniſteria uſquequaque diffuſa, præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in hujus vitæ miſeria judicat eſſe præbenda, & ſuorum merita Martyrum ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili poteſtate, ac bonitate commendet. Res hæc altior eſt, quam ut a me poſſit attingi, & abſtruſior, quam ut a me valeat perſcrutari .... definire non audeo, mallem a ſcientibus iſta perquirere. Videatur D.Thomas *1. part. qu. 89. art. 8.*

51. D. Auguſtinus de ſe teſtatur, aliter hanc rem eſſe, quam a ſe valeat perſcrutari, quomodo ſcilicet mortui noſtra cognoſcant, adjuventque, eoſque plane, aut ſimiles textus ſibi objicit, quibus tu Picenine nobiſcum contendere niteris; nec tamen propterea negat, ut tu facere audes, quod Martyres indigentias noſtras quomodocunque cognoſcant, & ipſis opitulentur. Quod S. Doctori videtur naturaliter impoſſibile, divinæ omnipotentiæ tribuit, quatenus hac, vel illa ratione, ſibi tantum nota, Sanctos facit intereſſe ſupplicantibus. Non negat, ſed certo ſupponit, Martyres clientibus ſuis opitulari; tametſi enim ipſis vota noſtra manifeſta non eſſent, ipſa tamen Deus videt, qui libentius noſtras preces per Martyrum invocationes exaudit, ut certum nobis ſit eorum merita ſibi eſſe gratiſſima, quod maxime ad ædificandam Chriſti fidem expedit. Vult itaque D. Auguſtinus Martyres a mortalibus implorari, vult illos pro ſupplicantibus intercedere, & quod Deus per illorum preces reddat nobis optata beneficia, immo id expedire docet ad majorem fidei ædificationem. Hæc tota ſimul, atque integra eſt D. Auguſtini doctrina, non dilacerata, ut in Triumpho tuo *pag. 277.* impudice ſycophanta mentiris. Concede cum D. Auguſtino, Sanctos noſtris precibus audientes eſſe, & prodeſſe, vel ſi ipſi non audiant, Deum certa per eorum merita ſolatia nobis præbere. Concede, ad ædificationem fidei Chriſti, non ad ruinam Sanctos invocari, & Deum hac ratione per eorum merita largiri nobis beneficia. Hæc omnia Auguſtinus docet. Textus quem profers *ex Lib. 4. Reg. cap. 22. num. 20.*, ubi de Joſia dicitur: *Idcirco .... colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum*, ad rem non facit; ſiquidem *idcirco ut non videant*, ibidem ſignificat *ne experiantur*, ne ſcilicet pateretur Joſias mala illa, quibus graviter affectus fuiſſet, ſi illis ſupervixiſſet. D. Auguſtinus ipſe eundem Joſiæ textum refert *Lib. 5. cap. 13.*, & tamen fatetur, qui Martyres invocant „ *certum eſt per* „ *eos adjuvari*, audiant, vel non au„ diant, vel per relationem aliorum „ ſciant, ſive animarum, ſive angelo„ rum, diu non differetur ſolatium: „ vix nauta in mari, vel ægrotus in „ lecto ſuſpirium emiſerit, invo„ cationem pronuntiaverit, aut San„ ctus id novit, aut ſi non ipſe, Deus „ novit, qui „ *ſuorum Martyrum merita, ubi vult, quando vult, quomodo vult, mirabili, atque ineffabili poteſtate, ac bonitate commendat*. Eccleſiaſtæ textum 9.5.6.: *Mortui vero nihil noverunt amplius .... nec habent partem in hoc ſeculo, & in opere, quod ſub ſole geritur*, quis non videt, innuere velle, mortuos non amplius nobiſcum verſari, nec horum quæ ſub ſole fiunt participes fieri, ſicut antea, dum viverent? Ad illud *Job 14. 21.* jam D. Gregorius reſpondit *Lib. 12. Moral. cap. 21.*, non ibi ad Sanctos mortuos verba illa extendi: *Quod tamen de animabus Sanctis ſentiendum non eſt: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid,*

quod

quod ignorent. Sed carnales quique, quia amorem præcipuum filiis impendunt, hoc cos beatus Job neſcire poſtmodum aſſerit, quod hic vehementer amaverunt, ut ſive nobiles, ſive ignobiles filii ſint, neſciant, quorum eos ſemper cura fatigabat. Iterum cum D. Auguſtino repeto, ſciant, vel neſciant Sancti mortui quæ apud nos fiunt, certum eſt pro nobis orare, aut generatim, ut Picenine concedis, aut etiam ſingulatim: certum pariter eſt eorum preces a Deo exaudiri. Nos neſcimus nec ubi ſint, nec quid agant mortui, & tamen pro illis oramus, & Deus preces noſtras exaudit. Sic de divite damnato ait Divus Auguſtinus exoraſſe Abraham pro ſuis conjunctis, *de cura pro mortuis cap. 14.: Ita illi fuit cura de vivis, quamvis quid agerent omnino neſciret, quemadmodum eſt nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique neſciamus. Nam ſi nihil de mortuis curaremus, non utique pro illis Deo ſupplicaremus.* Noſtrum ergo ſingularis notitia apud Sanctos, neceſſaria non eſt ad confirmandam fidem invocationis Sanctorum: etenim ſi fide certi ſumus, Sanctos pie a nobis invocari, & indubium eſt Sanctos illis opitulari, a quibus in neceſſitatibus ſuis implorantur; quanquam neſciamus, ab ipſis preces noſtras ſpeciatim intelligi, ſufficiens argumentum nobis eſſe deberet ipſorum Calviniſtarum certa ſuaſio, Sanctos generatim orare pro ſe invocantibus.

5. Quoniam textus omnes de Sanctorum notitia a Panigarola relatos prætendis evertere, fas eſt reſpondere. Panigarola dicente *Eliſei cadaver prophetaſſe*, ais Apolog. *pag.* 413. hoc dici juxta textum Eccleſiaſtici 48. 14.: *Et mortuum corpus ejus prophetavit. Attamen* (ſubdis) *in hiſtoria Eliſei non legitur poſt mortem prophetaſſe: bene vero miraculum in illo milite factum, qui tacto ejus cadavere revixit.* Sed hoc nimirum reſpicit auctor Eccleſiaſtici. Quis porro unquam dixit, mortuum illum in ſepulcro Eliſei projectum ex metu Moabitarum ſupervenientium, fuiſſe militis corpus? Scriptura 4. *Reg.* 13. narrat: *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcro Eliſei.* Et quia homo, ideo miles erat? Mittamus erratum. Reſuſcitatio mortui a Deo facta per oſſa Eliſei, ab Eccleſiaſtico dicta eſt prophetia, ideſt, ut explicat Hugo Cardinalis *cap.* 48., miraculum illud poſt mortem, fidem fecit Eliſeum fuiſſe verum Prophetam: nec aliud ex hoc valet intelligi. Si Eliſeus non vivens, ſed mortuus miracula fecit; ergo Sancti etiam mortui miracula facere poſſunt, & contactu ſuorum ſepulcrorum poſſunt mirabilia impetrari. Ad elevandam fidem libri Eccleſiaſtici, hæc ſubdis: *Auctor Eccleſiaſtici item aſſerit de Samuele propheta, quod poſt mortem prophetavit, & oſtendit Regi finem vitæ ſuæ, Eccleſ. 46. 23. Et tamen Samuel ille, qui Sauli apparuit, Diabolus erat ſub larva Samuelis. Id probant noſtri invictis rationibus, & fatentur Chryſoſtomus, Hieronymus, aliique. D. Auguſtinus de hoc dubitat Lib. 2. ad Simpl. qu.* 3. Quod ille Samuel, qui Sauli conſpicuum ſe fecit, denuntians ei brevi ipſum moriturum, verus fuerit Samuel, affirmant Juſtinus *Dialog. cum Tryphone*, Origenes *in 1. Lib. Reg. cap.* 28., D. Ambroſius *in cap. 1. Luca*, D. Thomas 2. 2. *qu.* 174. *art.* 5. *ad.* 4., qui ex hoc facto probat, Samuelem nondum beatum potuiſſe prophetare cum lumen habere. Inter autem invictas rationes, quibus veſtri probant non fuiſſe verum Samuelem, una eſt, quod apparitio illa facta ſit arte Dæmonum; cui reſpondet D. Thomas: *Nec obſtat, quod arte Dæmonum hoc dicitur factum: quia etſi Dæmones animam alicujus Sancti vocare non poſſunt, neque cogere ad aliquid agendum, poteſt tamen hoc fieri divina virtute, ut dum Dæmon conſulitur, ipſe Deus per ſuum nuntium veritatem enuntiet, ſicut per Eliam veritatem reſpondit nuntiis regis, qui mittebantur ad conſulendum Deum Accaron, ut habetur 4. Reg.* 1. Divo Thomæ adjungatur D. etiam Augu-

guſtinus *de cura pro mort. cap. 15.*, quem non legiſti. Sanctus Doctor, ut oſtendat quoſdam ex mortuis apparuiſſe viventibus, exemplum proponit Samuelis: *Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit;* inde ſubdit „ Nonnulli quidem putant „ non fuiſſe Samuelem, ſed ſpiritum „ nequam, qui ejus ſpeciem ſuſceperit „. Verum id minime probat Auguſtinum de hoc dubitaſſe, quinimmo id ipſe confirmat: *Sed ſi huic libro ex Hebræorum (quia in eorum non eſt) canone contradicitur, quid de Moyſe dicturi ſumus, qui certe & in Deuteronomio mortuus, & in Evangelio cum Elia, qui mortuus non eſt, legitur apparuiſſe viventibus?* Nec falſo minus aſſeritur, nempe D. Auguſtinum ad Simplicianum ſcribere, Samuelem illum phantaſma fuiſſe: ſiquidem propoſita quæſtione, an ſpiritus ille immundus, qui in Pythoniſſa erat, hanc habuerit efficaciam arceſſendi Samuelem, qui Sauli appareret, & ſecum alloqueretur, reſpondit *Lib. 2. ad Simplic. qu. 3.*, magis mirandum eſſe, Satanam ipſum omnium ſpirituum immundiſſimum Principem, locum habuiſſe loquendi cum Deo, *Job 1. 11.*, & licentiam obtinuiſſe tentandi Job virum juſtiſſimum, ſicut etiam excribrandi Apoſtolos *Lucæ 22. 31.* Inſuper: *Nonne magis mirandum eſt, quod Satanas ipſum Dominum aſſumpſit, & conſtituit ſuper pinnaculum Templi?* Utique autem ſubdit, dici poſſe verum non fuiſſe Samuelis ſpiritum, qui apparuit Sauli, ſed phantaſma, & præſtigium Diaboli, quod a Scriptura nomine Samuelis appellatur, juxta conſuetudinem tribuendi imagini nomen prototypi, non id tamen probat Auguſtinum hanc opinionem veram dixiſſe, alteram vero falſam. Chryſoſtomum, ac Hieronymum pro nunc prætereo, cum a te taceantur loca.

53. Ais, *Fratrem ex eodem Eccleſiaſtico cap. 40. 18. expiſcari oſſa Joſeph prophetaſſe. Hoc autem erratum eſt palpabile vulgatæ editionis ſuæ, quia oſſa Joſeph non prophetarunt, ſed, ut in originali Græco habetur, a Domino viſitata fuerunt.* Supervacaneum eſt probare, editionem noſtram non modo tua, ſed præ ceteris legitimam eſſe, dum luce jam clarius hoc pateat unanimi Auctorum conſenſu, teſtimonium etiam ferente, & comprobante Calviniſta ipſo Ludovico Capello. Porro editio noſtra utrumque habet: *Et oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt.* Verbum *viſitare*, juxta Scripturæ phraſim, extraordinarium aliquod ſemper indicat. Ceterum in hoc textu vim non facio, nec ipſi multo hærendum eſſe arbitror. Supponis Triumph. *pag. 177.*, adverſus Panigarolam te retuliſſe Iſaiæ textum 8. 19.: *Nunquid non populus a Deo ſuo requiret pro vivis, non a mortuis?* Reſpondet P. Semery, *mortuos ibi intelligi Idola præſtigiis conſulta, non homines mortuos.* Et bene habet, quia ante præfata verba legitur: *Et cum dixerint ad vos, quærite a Pythonibus, & a Divinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis.* Enimvero non valet, quia non ſunt conſulendi Pythones, ut a mortuis reſponſa veniant, idcirco nec invocandos, nec obſecrandos eſſe Sanctos defunctos. Idola ſunt mortui homines: ſed non omnes defuncti homines ſunt Idola. Sequens D. Cyrilli Alexandrini dictum refers ſuper Iſaiam: *Quem enim colorem rationis habet pro his, qui etiam nunc vivunt, homines in terra jacentes, vel animas, quæ forte ſunt apud inferos, ſciſcitari?* Supra jam plene oſtenſum fuit, quæ mens Cyrilli fuerit circa Sanctorum invocationem. Hic autem ſermo non eſt de invocatione Sanctorum, ſed an ipſi videant, & curam habeant eorum quæ a nobis fiunt: quod textus probant prælaudati. Grotius in voto ſuo *pro pace Eccleſiaſtica* duos iterum ſubjicit; unum Eliæ, qui poſt raptum ſuum Epiſtolam ſcripſit Regi Joramo; alterum (de quo infra) Oniæ defuncti, orantis pro Hebræo populo: ex quibus infert ſolicitudinem, quæ pro vivis a Sanctis defunctis habetur, & iſtam Hebræorum opinionem fuiſſe, tum vel etiam cum ab Idololatria remotiſſimi

erant; quod probat auctoritate Joſephi, & Philonis Hebræi: *Multo tempore poſtquam e rebus humanis abierat Elias, allata ſunt ejus litteræ ad Regem Joramum 2. Paralipom. 21. 12., in qua hiſtoria Joſephus adfertur, & Epiſtola ab Elia Propheta, nimirum ex illis locis, in quibus erat Elias, ſic & ſeptuaginta ab Elia Propheta: nempe ne quis putaret, eam olim ſcriptam ab Elia adhuc in terris agente, quod effugium non ita pridem repertum eſt. In Machabaico 2. libro, magnæ ſemper apud Chriſtianos auctoritatis, refertur ſomnium, ut ibi dicitur, dignum fide, apparuiſſe Judæ Oniam vita functum, qui ſummus Sacerdos fuerat, orantem pro populo Judæorum tunc ſane periclitante. Apparuiſſe & alterum, de quo Machabæo dixerit Onias: Hic eſt, qui multum orat pro populo, & Sancta Civitate, Jeremias Propheta Dei: ab eodem Jeremia datum Machabæo gladium aureum; ejus autem niſi narratione mirifice excitatos omnium Judæorum animos: atque inde conſecutam admirabilem victoriam. Certe pios hujus vitæ exemptos viventium cura tangi, ac pro eis Deum precari, alte infixa fuit opinio Judæorum animis illis temporibus, quibus ab Idololatria longiſſime abſuere, ideſt poſt Eſdram ad hæc tempora. Joſephus Abrahamo parato ad mactandum filium, hunc tribuit ſermonem: Animam tuam per preces, & ſacrificium oblatam ſuſceptante Deo, ac te ſibi admovente, eris mihi procurator, & ad ſenectutem meam conſolandam, cujus te cauſa præcipue educavi, Deum mihi pro te exhibebis. Philo vero de divis, ait, Iſraelitis tres eſſe advocatos, Dei bonitatem, majorum preces, & vitam in dies meliorem. De majoribus autem ſic loquitur. Illos animis a corpore liberatis, nudum, ac ſimplicem cultum ſummo Rectori exhibentes, pro filiis, ac filiabus ſuis preces facere non irritas, Deo Patre hoc ipſis dante præmium, ut in precibus exaudiantur.* Hactenus Grotius Proteſtans.

54. Audio te, Picenine, inſonare vocibus adverſus Panigarolam, circa divitem Epulonem in inferno ſepultum, qua de re negas Beatos abſentium factis intereſſe, aſſerens *narrationem illam non hiſtoricam eſſe, ſed parabolicam*. Non id tamen adeo certum, dum vetuſtiores Patres, D. Irenæus *Lib. 4. cap. 4.*, Tertullianus *de Anima cap. 7.*, D. Ambroſius *Lib. 8. in Lucam*, hiſtoriam eſſe autumant, & introducitur *Lazari* nomen, quod proprium eſt, non parabolicum: *Ut quid illic Lazari nomen, ſi non in veritate res eſt*, inquit Tertullianus. Eja tamen, parabola ſit. Si quod parabola ſit, vetet intelligere, a damnato parentum ſuorum pericula cognoſci, neque dicendum erit vere infernum eſſe, vere Angelos exiſtere. Senſus allegoricus litteralem includit; & divite petente, digito ardorem linguæ refrigerari, ſi non indicat *damnatos linguam, & digitos habere*, indicat tamen gehennalium pœnarum cruciatus: ſicut Abrahamum a longe conſpici, & pro fratribus rogari, ſi non deſignet *damnatos implorare Beatos*, quid aliud denotat, quam damnati ſolicitudinem pro viventibus? Ita Chryſoſtomus a te citatus *Conc. 4. de Lazaro*, quanquam parabolam eſſe reputet, ait: *Poſtquam pro ſe non impetraverat, pro aliis facit ſupplicationem .... Qui Lazarum præſentem deſpiciebat, abſentium nunc curam habet*. Sed adhuc blateras, *non ſequi Epulonem vidiſſe fratrum ſuorum peſſimam vitam*, quod probare contendis textu D. Auguſtini *de cura pro mortuis habenda cap. 13.*. ubi ait: *Nunquid eo tempore novit dives quæ faciebant, & patiebantur fratres, quia hoc dixit? Ita illi fuit cura de vivis, quamvis quid agerent omnino neſciret*. Quid ſequentia, Picenine, non legis? *Quemadmodum eſt nobis cura de mortuis, quamvis quid agant utique neſciamus: nam ſi nihil de mortuis curaremus, non utique pro illis Deo ſupplicaremus*. Ita Auguſtinus, commendans preces quæ pro mortuis a nobis fiunt. Porro dives ille, quamvis quid fratres agerent omnino neſciret, pro illis orabat, & cura illi erat,

rat, ne in illum tormentorum locum deſcenderent. Ergo Beati, utcunque ſit, ſciant, vel neſciant quæ a nobis fiunt, orant generatim, & ſingulatim pro illis ſaltem, qui familiares ipſis fuerunt, ut ſibi conſocientur in Cælis. Ecce tibi Sanctorum curæ pro nobis, a Divo Cypriano paucis deſcriptæ *in Opuſculo de mortalitate*, ideſt: *De ſua ſorte ſecuri, de noſtra felicitate ſoliciti*. Ad hæc. Si dives ille diſtincte ignorabat malos ſuorum mores, Abraham tamen utique noverat illius divitis mala geſta, unde dixit: *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*; quare ſin minus damnati, Beati tamen ſciunt quæ vivis accidunt: *Sciebat ergo hæc*, ait D. Auguſtinus, *quæ utique apud vivos, non apud mortuos geſta fuerant*. Quomodo autem id ſciret, ſubdit Sanctus a Lazaro forte intellexiſſe, & concludit, varios eſſe modos, quibus defuncti notitiam habent eotum quæ apud nos geruntur: quæ taceo, ne acta agam.

55. Scenica arte tua, qua maxime polles, Apolog. *pag.* 415. irrides dictum, quod Beati *ſciant res noſtras, aut per revelationem Angelorum, aut per viſionem in Verbo*. Satis tibi eſſe deberet, hucuſque a me probatum, Sanctos vere noſtra cognoſcere, quicunque ſit cognoſcendi modus. D. Auguſtinus, quomodo id accideret vel neſciebat, vel non audebat definire, nihilominus Sanctis noſtra innoteſcere omnino aſſerebat. Sancti pro nobis orant, videant, necne neceſſitates noſtras, & a Deo exaudiuntur, qui omnia conſpicit, ita commendans nobis eorum merita ad ædificationem fidei Chriſti. Tota eſt D. Auguſtini doctrina ſupra laudata. Veruntamen te irriſorem inſipidum fas eſt confundere, noſtrorum dogmatum penitus jejunum. Beatos quæ hìc per nos geruntur noviſſe revelantibus Angelis, tradit D. Auguſtinus in libro toties laudato *de cura pro mortuis cap.* 14.: *Poſſunt & ab Angelis, qui rebus quæ aguntur hìc præſto ſunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta ſunt: niſi enim eſſent Angeli, qui poſſent intereſſe vivorum, ac mortuorum locis, non dixiſſet Dominus Jeſus: Contigit autem mori inopem illum, & ferri ab Angelis in ſinum Abraba*. Enimvero Bellarminus cenſet probabilius *Beatos noſtra in Verbo videre*, attamen *in Lib.* 1 *de Sanctorum Beatitudine cap.* 20. judicat magis aptum, & ad Calviniſtas evincendos efficacius, aſſerere, tunc ſolum cum a nobis fiunt, preces noſtras Sanctis revelari, ſiquidem negantes ipſi ante judicii diem Sanctos divina viſione frui, negare facile poſſunt, noſtra in Verbo intueri, non autem quod de ipſis valeant revelationem habere, ſicut poterant dum hìc nobiſcum in terris vitam agebant; neque Bellarminus negat abſolute, Beatos poſſe preces cognoſcere, quæ remotiſſimis locis, eodemque tempore fiant, ſed dumtaxat hanc notitiam per ſolam Angelicam revelationem aſſequi poſſe, ſiquidem ad hoc *non ſufficit celeritas, ſed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum ſpiritibus convenire credimus*. Quamobrem ſtatuit probabilius eſſe, aut ſtatim ac beatitudinem aſſequuntur, horum etiam notitiam in Verbo adipiſci, aut in ipſo Verbo preces noſtras in inſtanti quo fiunt revelari. Hæc Bellarminus docet, cujus verbis debebas melius attendere. A Sanctis autem neceſſitates noſtras in Verbo videri, nedum docetur a Divo Gregorio *Lib.* 12. *Moral cap.* 13., et a D. Thoma 2. 2. *qu.* 83. *art.* 4. *ad* 2., verum etiam a D. Auguſtino *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 29., qui Eliſei factum explicans, qui noverat omnia quæ Giezi acciderant, inquit: *Corde ſuo ſe dixit vidiſſe Propheta Eliſeus, adjuto quidem mirabiliter nullo dubitante divinitus: ſed quanto amplius tunc omnes munere iſto abundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus?*

56. Sed poſtulas oſtendi *ex Scriptura, quomodo Beati videant hæc inferiora, quodque in Verbo iſta videant*. Modum oſtende in Scripturis deſcri-

ptum, quo unio facta ſit humanę naturæ cum Verbo in Chriſto; modum etiam quo Chriſti anima videat quæcunque pertinent ad hoc Univerſum, quo Prophetæ videbant, vel cognoſcebant diſtantia, quo Angeli in Cælis ſtantes, vel a nobis longe abſentes, videant quæ nobis eveniunt: tum vero & ego rationem oſtendam, qua Beati noſtra videant. Scriptura docet, Verbum carnem factum, Chriſti animam omnia videre, Prophetas proſpicere, & prænoſcere diſtantia, Angelos intueri, & pręſto eſſe, bonos nempe ad ſubveniendum, malos ad nocendum: modum autem quo hęc fiant Deus non revelavit, ſed menti noſtrę excogitandum permiſit. Res ipſa articulus eſt fidei, modus eſt Doctorum placitum. Quot in ipſa naturali rerum ſerie videmus, quę eſſe certo cognoſcimus, ſed quomodo ſint certo non novimus? Scimus, & videmus Solem, Lunam, & Stellas eſſe, & in hæc inferiora influxus ſuos immittere: hæc omnia enarrat Moyſes; ſed quomodo hæc fiant reliquit diſputationibus, nec vult plus ſciri, quam oporteat ſcire: *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & Mundum tradidit diſputationi eorum* (*Eccle.* 3. 11.). D. Hieronymus: *Dedit quoque Deus Mundum ad inhabitandum hominibus, ut fruantur varietatibus temporum, & non quærant de cauſis rerum naturalium, quomodo creata ſunt omnia, quare hoc, vel illud ab initio Mundi uſque ad conſummationem fecerit, creſcere, manere, mutari.* Ne dubites igitur, Picenine, credere Sanctos videre, & intereſſe neceſſitatibus noſtris, preces noſtras audire, curam de nobis habere, orare, & prodeſſe nobis. Ceterum quomodo id fiat, explica ut tibi placet. Immo etſi privatas neceſſitates noſtras diſtincte neſcirent, certiſſime tene Deum omnia ſcire, qui reſpiciens Sanctorum merita, dum ipſi generatim pro omnibus ſaltim orant, nobis eorum intuitu poſtulata concedit. Hoc D. Auguſtino ſufficiens viſum eſt, ut pie, ac utiliter Sancti valeant implorari, nec tibi Picenine ſufficiet? Quanquam hæc ſatis ſint ut omnino taceas, præterire tamen nolo interrogationes quaſdam tuas, nimirum: *Si Beati omnia vident noſtra in Verbo, ideſt in Chriſto, oportet hunc eſſe formaliter omnia. Quomodo in Chriſto videri poteſt, vel unus in lecto decumbens, vel periclitans in mari, vel litigans in foro?* Quanquam Sanctus quilibet beatus non omnia videat quæ in Univerſo fiunt, quaſi quod nihil reſtet videndum, in Verbo tamen, ideſt in Deo, quem facie ad faciem intuetur, videt omnia quæ ad ſe ipſum, & ad proprium ſtatum pertinent, quoniam cum Beatitudo ſtatus ſit, qui Beatum facit undequaque perfectum, nihil eorum deeſſe ipſi debet, quæ ad ſui perfectionem pertinere videantur; ex quo ſequitur, dum preces quibus Beatum quempiam imploramus ad ipſum pertineant, a Deo in ſui viſione manifeſtantur, adeoque Beatus ille Deum intuens, preces noſtras in ipſo cognoſcit. Neque idcirco Deus, ut hariolaris, erit omnium forma, ſed quia eſt omnium cauſa prima, ideo cuncta repręſentat. Enimvero puto non negabis, Deum in ipſa ſui comprehenſione, unico intuitu omnia videre. Beatus itaque dum Deum intuetur, in Deo videt, ſi non omnia, ea tamen quæ in ſeipſo illi manifeſtanda, pro ſtatu ſuo, Deus novit convenire: ſic ægrotantem videt, qui ad eum orat, periclitantem, qui ipſum implorat, litigantem, qui obſecrat. Cuncta quæ eveniunt Deus jam decrevit, vel ſaltim permiſit evenire: videns autem in Deo decreta ejus, videt omnia quæ in hoc Mundo fiunt. Liber iſte coram Beatis apertus eſt ſemper, & in ipſo legunt, ideſt in æterno Verbo, per quod ſicut omnia facta ſunt, ſic in ipſo cognoſcuntur omnia. In hoc libro Angeli etiam legunt, inquit D. Auguſtinus *Lib. 11. de Civit. Dei cap. 29.: Illi quippe Angeli Sancti, non per verba ſonantia Deum diſcunt, ſed per ipſam præſentiam immutabilis veritatis, hoc eſt Verbum ejus Unigenitum.* Ibi ſemetipſos vident, & : *Ipſam quoque creaturam melius ibi, hoc*

eſt

eſt in ſapientia Dei, tanquam in arte qua facta eſt, quam in ea ipſa ſciunt: ac per hoc & ſeipſos, ubi melius, quam in ſeipſis, veruntamen & in ſeipſis ... ſicut aliter ſcitur rectitudo linearum, ſeu veritas figurarum, cum intellecta conſpicitur, aliter cum in pulvere ſcribitur, & aliter juſtitia in veritate incommutabili, aliter in anima juſti. Et poſtea: *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas, rationesque ſuas, ideſt ſecundum quas facta ſunt, incommutabiliter permanentes, aliter in ſe ipſis, illic clariore, hic obſcuriore cognitione &c.* Addit Vives, *nempe effectum in cauſa expreſſum melius, quam in ſeipſo.* Ecce Auguſtinus antiquitus aſſerens quæ docentur a nobis, quæ a te *Chimara* inſipienter dicuntur. Porro cum non *Chimara*, ſed veritas ſit, quod Beati cognoſcendo ſimiles erunt Angelis Dei, fit inde, tum ab iſtis, tum ab illis hæc inferiora in Verbo videri. Quoniam vero non omnia Verbum ipſis manifeſtat, ſed ea tantum quæ vult, & novit ad ipſos pertinere, tempus quo futurum ſit ſupremum judicium, nec Angeli, nec Beati vident, quia ſignaculum illud ſoli Deo apertum eſt: quare hæc opinio ut probabilior a Bellarmino adoptata fuit, & ab omnibus ſcholis catholicis commendata. Si autem irridere non ceſſes, & doctrinas noſtras (quæ Patrum eædem ſunt) adhuc inſolenter dicas chimæras eſſe, memento quod ſcripſit olim Irenæus *Lib. 5. cap. 20.: Qui relinquunt præconium Eccleſiæ, imperitiam Sanctorum Preſbyterorum arguunt, non contemplantes quanto pluris ſit idiota religioſus, a blaſphemo, & impudente ſophiſta. Tales ſunt autem omnes hæretici, & qui ſe plus aliquid præter veritatem invenire putant ... ſemper quærentes, & nunquam verum invenientes.*

§. VIII.

Vindicantur, & explicantur nonnulli Sacræ Scripturæ textus, & Liber etiam Baruch.

57. HUcuſque dicta plane manifeſtant quam impudenter, ac ſtulte jactes Apolog. *pag.* 415., quod: *Nactus Frater non multum fieri Traditiones ſuas, ad Scripturam confugit.* Quemadmodum ex Traditionibus minime profeciſti, ita neque ex Scripturis. Panigarola dictum refert Jacob *Gen.* 48. 16.: *Invocetur ſuper eos nomen meum &c.* Reſpondes. *Jacob non dixiſſe de duobus filiis Joſeph: Invocetur nomen meum ſuper eos, quomodo Panigarola ſupponit, ſed: Vocentur ex meo nomine; quia volebat tanquam filios reputari, duabus tribubus diſtinctis dantes nomen.* Ita ne reſpondes? Quia Genevina editio legit non *invocetur nomen meum*, ſed *vocentur ex nomine meo*, ita ne tenendum erit? D. Auguſtinus hęc verba referens, minime ait: *Nominentur ex nomine meo*, ſed: *Invocetur ſuper eos nomen meum*, ex quo probat poſſe & homines invocari: *Jacob benedicens nepotes ſuos filios Joſeph, ait inter cetera: Et invocabitur in his nomen meum, & nomen Patrum meorum; inde notandum eſt, non ſolum exauditionem, ſed etiam invocationem dici aliquando; quæ non Dei, ſed hominum ſit. Lib. 1. locut. de Geneſ. prope finem.* D. Hieronymus legit: *Invocetur ſuper eum nomen meum, nomina quoque Patrum &c.* Si autem maximus iſte Pater, adeo in Scripturis verſatus, legerat Hebręum textum, quomodo non intellexit loqui Jacob de *appellatione nominis*, non de *invocatione*? Jacob inauguratus eſt filiis benedictionem Angeli, & bene ad rem incidebat ſui nominis, & Abrahami, & Iſaac invocatio. Chryſoſtomus *Hom.* 66. *in Geneſ.* modeſtiam Jacobi commendat: *Quia nuſquam ſuæ virtutis memoriam facit, ſed ex probata Patrum vita, & ex beneficiis in ſe collatis filios benedicit.* Non valet dicere *Calvinus reſpondit*, quaſi iſtud ſit *Ipſe dixit*, ſed notandum an recte reſponderit. D.

Au-

Auguſtinus, & D. Hieronymus pariter reſponderunt, & contrarie omnino his quæ Calvinus dixit: quis porro rectius ſententiam dixiſſe reputabitur? Nec refert objicere *Iſaiam cap.* 4. 1.: *Septem mulieres deſiderant appellari ex nomine unius mariti*, ubi tamen Biblia mea legunt: *Tantummodo invocetur ſuper nos nomen tuum*, quia ſi aliter Calvinus intelligat, dicam non ita ſentire D. Hieronymum, qui ſeptem illas mulieres interpretatur ſeptem Spiritus Sancti dona, quæ non invenientia ſtabilem manſionem in hominibus peccatoribus, invocabant nomen Jeſu, cui tantum conjungi poterant, quin metuerent repudiari. D. Baſilius in illis agnoſcit Synagogam, alii autem ſeptem pias animas, quæ Chriſtum invocant, ut ipſis det fidelibus illius conjungi in fide: & litteraliter ſeptem illę mulieres mariti nomen invocabant, ut ab ipſo repararentur ab infamia ſterilitatis. Textus iſte cum illo Geneſis optime cohæret. Hic invocatur mariti nomen, ad obtinendam prolem; ibi nomen Jacobi, ad obtinendum benedictionis effectum. Opponis, *in ipſa vulgata non legi invocetur ab ipſis, ſed invocetur ſuper eos*. Nimirum quod ſolum Dei nomen a nobis debeat directe invocari. *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*, *Act.* 2. 21. Sed ſuper nos invocari etiam valet Sancti alicujus nomen, non tanquam ſalutis, ſed tutelæ, & interceſſionis.

58. Si Moyſes ad Deum orabat *Exod.* 32. 13.: *Recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum, dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum*, hic Moyſes memorabat illorum Patrum merita, ut a Deo impetraret, illorum intuitu, veniam pœnæ imminentis ſuper populum; quod & obtinuit: *Placatuſque eſt Dominus &c.* Calvinus *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 23., et ex ipſo tu commentaris, *Moyſen non oraſſe ad Dominum exaudiri per interceſſionem Patriarcharum, ſed propter pactum cum iſtis initum, ut non interficeret poſteros eorum in deſerto.* Verum aſſero, Moyſen oraſſe, exaudiri ex utraque cauſa, ſcilicet per Patrum merita innixa divinis promiſſis, quibus ſtat omne meritum noſtrum: niſi enim interſit divina promiſſio, & acceptatio, nihil de ſe ſperare, aut impetrare valent merita noſtra. Moyſes ergo orabat Deum, ut dignaretur implere quod Patribus illis juraverat, intuitu ſuorum meritorum: neque enim invenio quidquam a Deo Patriarchis promiſſum, niſi in remunerationem, & præmium facti alicujus ipſorum ſingularis, Deo grati. Promiſit Abrahamo multiplicare poſteritatem ejus, ſed hoc in præmium fidei ſuæ, *Geneſ.* 22. 16.: *Quia feciſti rem hanc, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum*; quod Iſaaco, & Jacobo confirmavit, eorum delectatus innocentia. Quamobrem ſocii Danielis dicebant *Daniel.* 3. 35.: *Neque auferas miſericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſrael Sanctum tuum, quibus locutus es, pollicens quod multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas Cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris.* Idcirco Deus dicit 4. *Regum* 19. 34.: *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Nonne autem hoc erat pactum memorare ſimul, & pietatem illorum Patrum; alias, quid repræſentare Deo Abrahami dilectam virtutem, Iſaac, & David ſervitutem, Jacob ſanctitatem, ſi Deus inclinari debuiſſet ad ſolam pacti recordationem, minime vero propter Patriarcharum merita? Attamen contendere niteris, Deum unice inclinari propter promiſſa ſua. *Lib.* 1. *Reg.*, ais, *dicitur: Miſertus eſt Dominus eorum ... propter pactum ſuum, quod habebat cum Abraham, & Iſaac, & Jacob.* Hic in errorem incidis, de quo Panigarolam criminaris, dum ſententia illa non 1. *Regum*, ſed 4. *Reg.* 13. habetur. Quod autem propter pactum unice, non propter pia geſta illorum Patriarcharum, quorum cauſa pactum cum eis fecerat, flecteretur Deus ad miſericordiam, Scriptura non dicit, immo habet oppoſitum, ut oſtendi.

di. Quod ſi ſatis non eſſet, audiatur Grotius (*in animadverſ. Riveti*): *Cum Hebræi veteres Deum orarunt, ut propter Abrahamum, Iſaacum, Jacobum populo parceret, non ſola reſpexerunt promiſſa, ſed humano more Deo velut in memoriam reduxere res ſibi cariſſimas, ſicut ſolemus majorum benefacta adferre ad ſublevandos eos, quorum pœnam deprecamur. Ipſe Deus* 1. *Reg.* 15. 4. *dixit ſe Regnum reliquiſſe in familia Davidis, ideo quod David rectum feciſſet in oculis Domini*. Sed alium adfers textum 3. *Reg.* 11. 13.: *Tribum unam dabo filio tuo, propter David ſervum meum, & Jeruſalem quam elegi*; ex quo ſic diſſeris: *Si propter Davidem idem ſit, ac per interceſſionem David, fas erit quod propter Jeruſalem idem ſit, & per interceſſionem Jeruſalem*. Deus commemorando Davidem, vocat *ſervum* ſuum, commemorando Jeruſalem, eam dicit *electam* ſuam. Quod ergo Deus reſpiciebat, ne integrum Regnum a Salomone auferret, erat Davidis præſtita ſervitus, quamobrem præmiſerat *verſ.* 12.: *In diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum* (non tantum propter pactum), & loquendo de Jeruſalem, ratio erat ipſam elegiſſe ſedem Templi, ex qua electione ſingularis quædam reſultabat dignitas, apta movere Deum. Si *muri Jeruſalem non intercedunt*, ipſius tamen populus intercedit. Audiatur Chryſoſtomus *Homil.* 43. *in Geneſ.*, qui ad textum 4. *Reg. Protegam urbem hanc propter me, & David ſervum meum*, ait: *Quaſi diceret, propter meipſum faciam, & propter puerum meum David, qui ante hos annos e vita migravit: hic auctor erit ſalutis his, qui ſua ſe perdiderunt deſidia. Vidiſti miſericordiam Domini, quomodo eos, qui virtute pollent, toti multitudini opponit, & rependit*. Propterea teſtatus eſt Abrahamo, ſi decem juſti Sodomis fuiſſent, *Gen.* 18. 32., *non delebo propter decem*. Nec præpoſterum minus eſt reſponſum a te redditum *pag.* 416. ſententiæ *Pſ.* 131. 1.: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*. Quid refert velle hic ex originali textu non eſſe legendum *& omnis manſuetudinis ejus*, ſed *omnium afflictionum ejus*, dum ſeptuaginta Interpretes vertant *manſuetudinis*, & alias utrumque componi poſſet, dicendo: *Memento Domine David, & omnium afflictionum ejus, quas tulit tanta manſuetudine?* In illo Pſalmo oratio fit ad Deum, ut reminiſcatur manſuetudinis, & afflictionis David: hic autem ubi *pactum*? Signum ergo, afflictiones David potuiſſe Deum ad miſericordiam flectere, & intercedere.

59. Proſequeris, Jeremiam dicere, ex ore *Fratris*: *Si Moyſes, & Samuel orare incipient coram me, anima mea non eſt ad populum iſtum. Jerem.* 15. 1. Reſpondes *pag.* 417., Deum non dicere *ſi orare incipient*, ſed *ſi ſiſterent ſe coram facie mea*. Vulgata noſtra cum D. Hieronymo legit: *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me*, non autem *ſi ſtarent*, aut *ſtetiſſent*, & quilibet puer rudimentis grammaticalibus imbutus te docere poterit, quod *ſteterit*, non ſignificat *ſi ſtaret*, ſed *ſi ſtabit*. Attamen ſubjicis, *hoc eſſe perſpicuum in Ezechiele cap.* 14. 14.: *Et ſi eſſent tres viri iſti in medio illius* (populi), *ipſi juſtitia ſua liberarent tantum animas ſuas*. Non ait Ezechiel *ſi eſſent*, ſed *ſi fuerint*: quem texum ſupra numero I. expendi. Attendamus quæ iterum dicis, nimium enim elegantia ſunt: *Si ex his quæ Jeremias dicit, ſequitur Moyſen, & Samuelem ſiſtere ſe ante faciem Dei velut interceſſores, quanquam demortuos, ſequitur pariter ex his quæ dicit Ezechiel, Noe, Danielem, & Job ſtetiſſe in medio populi Judaici. Noe, & Job jam vita functi erant, & Daniel Babylone erat. Ergo Moyſes, & Samuel non ſe ſiſtunt ante faciem Dei tanquam interceſſores, & ecce falſam dialecticam tuam, ineptum argumentum tuum*. Sic tu ſolitus ſtultum dicere, qui non conſentiat ſtultitiæ tuæ. At ſi ex his quæ Jeremias dicit non ſequatur, Moyſen, & Samuelem orare, ſed ſi in vivis eſſent orarent, ſequitur etiam ex his quæ Ezechiel

chiel dicit, Noe, Danielem, & Job non orare, ſed orarent, ſi in vivis eſſent, quod ex parte falſum eſt, quia Daniel tunc vivebat, & Babylone erat. Ergo inepta eſt Calvini dialectica, ſtultiſſimus tu, qui eam tenes. Præterea, juxta dicta tua, in utroque textu conditio apponitur, in primo dum dicitur ſi *ſe ſiſterent* Moyſes, & Samuel ante faciem meam, & in ſecundo ſi Daniel, Job, & Noe *eſſent* in medio illius populi. Porro ſi Daniel tunc vivens ſtetiſſet in medio illius populi, quamvis interceſſurus non fuiſſet niſi pro ſe, potens tamen fuiſſet id tentare etiam pro aliis, quapropter ſi Moyſes, & Samuel, Noe, & Job demortui ſtetiſſent coram facie Dei, & fuiſſent in medio illius populi, idonei fuiſſent interceſſores, dum Scriptura æqualiter loquatur de vivis, ac de defunctis. Addere, intelligendum eſſe ſi omnes in vivis eſſent, & in medio illius populi, commentum eſt a Calvino compoſitum.

60. Nedum ineptum te, ſed mendacem dicere poſſem, ex quo jactas ad explicationem textus Jeremiæ fautores habere Hieronymum, Theodoretum, Gregorium, Thomam, aliosque: quod omnino ubique falſum eſt. D. Hieronymus *in Jerem. cap. 15.* ait: *Si ſteterint in conſpectu meo, vel contra me; quorum uni dixit Deus dimitte me, & percutiam populum, tamen non exaudiam.* Super Ezechielem *cap. 14.* habet: *Si tres viri iſti, Noe, Daniel, & Job, quorum juſtitia Scripturarum vocibus prædicatur, pro terra peccatrice fuerint deprecati, non ſolum illam ſalvare non poterunt,* ubi ait *non poterunt*, non autem *non poſſent, ſi in vivis eſſent*. Quod vero de defunctis loquatur, aperte inferius indicat, inquiens: *Quod ſi Noe, & Daniel, & Job pariter congregati, & in uno loco poſiti, peccatricem terram non poſſunt ira Dei ſubtrahere, quid dicendum eſt de his, qui putant merito parentum, atque virtutibus, poſſe filios peccatores de gehenna ignibus liberari &c.* In Libro 1. contra Jovinianum, non ait ſi Daniel, Noe, & Job *viverent*, & *orarent*, ſed ſi hujuſmodi homines, quales fuerunt Noe, Job, & Daniel *fuerint in terra peccatrice, filios, & filias liberare non poſſe reſpondendum eſt*. Theodoretus *in cap. 15. Jeremiæ* non ait *ſi ſtarent*, ſed *ſi ſteterint*. Volens Deus Jeremiæ ſedare anxietatem, qui orando non exaudiebatur, ſic eum allocutus eſt: Ne triſteris Jeremia, quippe ſi coram me ſteterint Moyſes, & Samuel, non exaudiam. Ita Theodoretus. Ex quo ſequitur quidem Moyſen, & Samuelem non oraſſe ad Dominum, non autem orare non potuiſſe. D. Gregorius *Lib. 9. Moral. cap. 16.* idem aſſerit ac Theodoretus, & addit a Deo poſitum fuiſſe in exemplum Moyſen, & Samuelem, ut oſtenderet *quia ejus ira neque illi, ſi adſtarent*, orando, *obſiſterent, qui idcirco pro amicis intervenire citius poſſent, quia apud hunc intercedere & pro inimicis ſolerent*. D. Gregorio igitur perſuaſum erat, Samuelem, & Moyſen defunctos poſſe intercedere, quanquam in illo caſu non valuiſſent impetrare. Quod vero nec Daniel, nec Noe, nec Job eſſent in medio illius populi, dum primus Babylone, reliqui autem inter vivos non eſſent, nihil habet rationis virium, quippe Deo dicente, ſi Noe, Daniel, & Job ſteterint in medio ejus, non de ipſorum corporea præſentia loquebatur, ſed de mediatione eorum per orationes ſuas; ſicut cum Chriſtus dixit *Matth. 18. 20.*: *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*, profecto intelligenda non eſt perſonalis præſentia, ſed protectionis, & ſubſidii imminentia. Prolixior fui in hoc textu, ut notum fiat quam ineptæ, ac vaniſſimæ ſint jactantiæ tuæ. Ceterum, etſi darem prælaudatos textus eo ſenſu, quem ſibi fingit Calvinus, intelligendos eſſe, firmum ſemper, & efficax urgeret argumentum illud, quod ſi illi viverent, & orarent, intercedere poſſent, atque ideo quanquam defuncti, ſi orant, intercedunt. Jeremias, & Ezechiel primum affirmant, alterum non negant.

61. Pa-

61. Panigarola quoſdam affert textus ex Baruch, uno inter minores Prophetas, quos tu *pag. 417. ſententias* dicis *apocryphas, quia ex apocrypho libro depromptas, qui fabulas habet, & prophetiæ Jeremiæ oppoſita*. Quæ porro iſta? Nempe: *Baruch teſtatur Babylonia librum ſuum ſcripſiſſe, Baruch. 1. Jeremias teſtatur, Baruch non in Babyloniam, ſed in Ægyptum transmigratum fuiſſe, Jerem. 43. 6.* Hujuſmodi objecto te prodis hiſtoriæ valde jejunum. Nabuchodonoſor everſa Jeruſalem, & Templo combuſto, Sedeciam Regem in Babyloniam tranſtulit, filios ejus occidit, & Regem excæcavit: nonnulli autem ex Hebræis remanſerant in partibus Jeruſalem ſub Godolia, inter quos Jeremias, & Baruch; ſed iſti ſeditione facta, & Godolia occiſo, timentes iram Regis Babyloniæ, Jeremiam deprecati ſunt, qui Dominum conſuleret, an in Ægyptum potius, aut in aliam partem migrare deberent, ut ſalvi eſſent. Reſponſum fuit ne ingrederentur Ægyptum, quia in gladium incidiſſent, quem fugiebant, propterea illinc non diſcederent. Hęc leguntur *Jerem. cap. 42.* Non crediderunt Prophetæ, putantes non loqui ex Dei oraculo, ſed ex ſuggeſtione Baruch, ut omnes vel occiſi, vel captivi in Babyloniam traherentur; hinc collectis reliquiis populi, & Jeremiam, ac Baruch ſecum ducentes, in Ægyptum profecti ſunt: quod *Jerem. cap. 43. 6. 7.* legitur; ob quæ indignatus Deus, prænuntiavit Jeremiæ, in pœnam ſe miſſurum Nabuchodonoſor ad percutiendum Ægyptum: quod *verſ. 10.* ejuſdem *cap.* legitur. Atque ita factum eſt, ut narrat Joſephus *Antiquit. Judaic. Lib. 10. cap. 11.*: *Quinto enim poſt excidium Jeroſolymitanum anno, qui fuit regni ipſius Nabuchodonoſoris vigeſimus tertius, cum magnis copiis invaſit Caleſyriam, qua ſubacta, bellum geſſit contra Ammonitas, & Moabitas, & his quoque prædomitis, Ægyptum hoſtiliter eſt ingreſſus: occiſoque qui tunc regnabat, & alio Rege conſtituto, repertos ibi Judæos rurſus captivos Babylonem adduxit*, ut prædixerat Jeremias *cap. 46.* Inter iſtos autem translatus eſt Baruch, qui inibi librum ſcripſit, ſive jam ſcriptum ipſum legit Jeconiæ Regi Judæ, & ſuis omnibus, qui in captivitate erant. En diſſipatæ contrariæ tenebræ, quas opponebat Cairinus Prædicans.

62. Obmurmuras *pag. 418.*, *Baruch dicere a Judæis nummos miſſos fuiſſe Jeruſalem ad Sacerdotem Joakimum, ut oblationes fierent ſuper Altare Dei, Baruch. 7. Certum autem eſt eo tempore Altare Dei dirutum fuiſſe, nec Sacerdotes compertos fuiſſe in Jeruſalem*. Doctiſſimus Huetius Epiſcopus in Demonſtratione Evangelica *Prop. 4. cap. 14.* ſcribit, credibile non eſſe, Templum omnino dirutum fuiſſe, quin aliqui remanſiſſent lapides ad conſtructionem adſcititii Altaris, nec ſuperſtitem fuiſſe ullum Sacerdotem ad offerenda Sacrificia. In excidio Jeroſolymitano, & in tranſmigratione Hebræorum Babyloniam, plurimi a Nabuzardane relicti fuerunt ſub Godolia: quanquam autem occiſo Godolia potior pars populi, contra ſententiam Jeremiæ, in Ægyptum migrare voluerit, credibile tamen non eſt ita regionem illam depopulaſſe, ut nemo remanſerit; & probabile eſt ex Ægypto pleroſque reverſos fuiſſe Jeruſalem, inter quos Joakimum, atque ibi miniſterium exercuiſſe, ſecreto ſaltim, præſertim elapſo jam quinquennio, quo tempore Nabuchodonoſor benignior factus erat erga Hebręos. Inſuper advertis Picenine, *Baruch vocare Balthaſſarem Nabuchodonoſoris filium: & tamen Nabuchodonoſoris filius fuit Evilmerodachus, & Balthaſſar nepos dumtaxat erat Nabuchodonoſor, & regnum etiam adeptus eſt poſt Evilmerodachum*. Petrus Lanſelius reſpondet, Balthaſſarem primogenitum fuiſſe Nabucodonoſoris, præmortuum Patri, quamobrem regnum obtinuit Evilmerodachus; ſive ipſe Evilmerodachus, a Joſepho *Lib. 10. Antiq. Judaic. cap. 12.* dictus *Abilamarodachus*, idem fuit, quem Baruch Balthaſſarem nominat: nec novum eandem perſonam binominem

eſſe, & dici, dum poſtremus Balthaſſar, in cujus interitu Medi, & Perſę regno potiti ſunt, a Babyloniis appellaretur *Naboandel*, juxta Joſephum. Tametſi vero Balthaſſar hic, de quo Baruch, nepos, non filius Nabuchodonoſoris fuiſſet, non idcirco apocryphus habendus eſſet liber Baruch: ſecus hujuſmodi quoque eſſet liber Danielis, qui *Cap. 5. v. 2.* Nabuchodonoſorem vocat hujus Balthaſſaris patrem. Diſce Picenine a D. Hieronymo *in cap. 5. Danielis*, morem eſſe Scripturæ, filios etiam dici ipſos nepotes, ac poſteros: *Quod autem Balthaſſaris patrem Nabuchodonoſor vocet, non facit errorem ſcientibus Sancta Scriptura conſuetudinem, qua patres omnes proavi, & majores vocantur.*

63. Panigarola *Lect. 5.* non ex eo probat *Librum Baruch eſſe canonicum, quod ſcriba fuerit Jeremia*, ut ipſi imponis, ſed ex quo Baruch ſcriba fuerit Jeremiæ, infert, ejus prophetiam acceptam fuiſſe cum illa Jeremiæ: quod ex D. Auguſtino oſtendit *Lib. 8. de Civit. Dei cap. 33.*, ex Clemente Alexandrino *Pedagogia cap. 10.*, & ex Synodo *VI. Act. S.* Reſpondes, *ab antiquis interdum citari ſub prophetia nomine, libros apocryphos ipſi Panigarola. D. Ambroſius prophetiam vocat, ſeu divinam revelationem Lib. 4. Eſdra, qui apocryphus eſt ipſis adverſariis.* Illatum bene, juxta ſophiſticam artem tuam! Antiqui aliquem apocryphum librum prophetiæ nomine referebant, ergo liber Baruch eſt apocryphus. Si D. Ambroſius *de bono mortis cap. 10. & 11.* Librum Eſdræ 4. profert tanquam *Scripturam*, non tamen ut *divinam*, aut revelatam teſtatur hunc proferre, ad oſtendendum Gentilibus, animæ immortalitatem quam in ſua philoſophia mirantur, ex libris noſtris fuiſſe deſumptam: *Sed Eſdra uſus ſum ſcriptis, ut cognoſcant Gentiles, ea qua in philoſophia libris mirantur, translata de noſtris.* Porro ſi Ambroſius Libri 4. Eſdræ auctoritatem, etſi liber ille Eccleſiaſticus tantum eſſet, non canonicus, apud Gentes recipiendam eſſe non dubitabat, quare adverſus Proteſtantes Panigarola non poterit ex libro Baruch argumentum deſumere, etſi liber iſte non canonicus eſset, ſed mere Eccleſiaſticus? Patres non allegabant librum Baruch ea ratione, qua Ambroſius 4. Eſdræ, ſed illum proferebant ſub nomine Jeremiæ, quaſi iſtius appendix. Videatur Clemens Alexandrinus *Lib. 1. Pedagog. cap. 10.*, D. Cyprianus *Lib. 2. Teſtimon. adverſus Judæos*, D. Hilarius *Lib. 4. de Trinit.*, D. Auguſtinus *Lib. 18. de Civit. Dei cap.* 33. Ergo canonicum illum habebant, non minus ac reliqua Jeremiæ, deſumentes exinde textus tanquam ex libro canonico, & divino, quemadmodum ipſo uſi ſunt D. Baſilius *Lib. 4. cont. Eunomium*, D. Joannes Chryſoſtomus *Orat. quod Chriſtus ſit Deus*, & D. Ambroſius *Lib. 1. de fide ad Gratianum*, ſub nomine Baruch. Tanquam ſacer liber commendatur ab Euſebio *Lib. demonſtr. Evang. cap. 20.*, a D. Cyrillo Jeroſolymitano, qui nominatim illum recenſet inter libros canonicos *Catecheſ. 4. illuminat.*, a D. Cyrillo Alexandrino *Lib. 10. contra Julianum.* Theodoretus autem qui commentariis illum ornavit, *cap. 11.* ipſum vocat *Scripturam divinam*. Sed præ omnibus tanquam canonicum hunc commendat ipſe Daniel, qui *cap. 9.* exſcripſit ex *cap. 1. & 2.* Baruch plures ſententias. Quamobrem ex prælaudatis, aliiſque momentis firmiſſimis, Synodi Florentina, & Tridentina in canonem ſacrorum librorum hunc retulerunt ſub nomine Baruch, non auctoritatem canonicam quam non haberet libro tribuentes, ut de more mentiris, ſed in canonem referentes ſub nomine Baruch librum illum, qui ſub Jeremiæ nomine ferebatur, vel proponendo tanquam canonicum librum, qui, etſi antea erat, ſolemniter tamen propoſitus non erat univerſæ Eccleſiæ ut legitime canonicus.

64. Canum *Lib. 2. de locis Theolog. cap. 10.* adfers *pag.* 418., quaſi Auctor iſte oculatiſſimus librum Baruch non recipi tanquam Canonicum

ab

Digitized by Google

ab Auguſtino, Damaſceno, Innocentio I., neque a Synodis Laodicena, & Carthaginenſi III. affirmet, cum ſibi è contra hæc objiciat, ut videre eſt *cap.* 9., ubi mentem ſuam aperiens, ait: *Baruch a Canone Sanctarum Scripturarum eximere, non ſolum temerarium, ſed etiam erroneum eſt. Erroneum vero hic appello (quoniam varia, & ambigua eſt hujus nominis ſignificatio) id quod hæreſi proximum, hereſim non audeo vocare.* Vocat ergo Canus ſi non hæreſim, proxime tamen, e Canone Scripturarum librum illum expungere, inde ſubdit: *Fateamur ergo, ne in doctrina Eccleſia graviter erremus, librum Baruch, quem illa a multis annorum centuriis legit, inter canonicos eſſe cenſendum. Nec enim viro cuique pio perſuaderi poteſt, Deum paſſum fuiſſe, ut populus Chriſtianus in re tam gravi deluderetur.* Cap. autem 10. ſibi opponit Lutheri, & Proteſtantium objecta contra librum Baruch, quorum primum idipſum eſt a te commemoratum, deinde cap. 11. reſolvit: *Ad primum argumentum tametſi reſpondere poſſumus, non omnes libros canonicos eſſe ſimul ab Eccleſia univerſa receptos, quo fieri potuiſſe, ut quem priora Concilia minime recepiſſent, eum poſteriora confirmarent, reſpondemus tamen (idque verius) Baruch Prophetiam tanquam partem Jeremiæ fuiſſe a veteribus computatam*: quod probat ex Auguſtino, aliiſque Patribus, quorum ſupra habita fuit quorundam mentio. O perfida Picenini fides, quæ tam celebri Auctori, Cano ſcilicet, aſſerit, quæ ipſe gravi cenſura proſcribit! Si *D. Hieronymus* (ut garris) *omnem adimit difficultatatem in præfatione Jeremiæ, & Baruch, non eſſe ſcilicet in Hebræo Canone*, aſſerit tamen in verſione ſeptuaginta reperiri, quod forte Hebræus Codex diſperſus, ſola Græca verſio ad nos pervenerit; enimvero ſi in Hebræo codice recenſitus non fuiſſet, a ſeptuaginta non fuiſſet traductus: quæ ſatis ſint ad ea, quæ opponebas, atque quanta ſit hujus Prophetiæ legitima auctoritas tandem cognoſcas. Subdere poſſem Calvini teſtimonium, qui textum Baruch adſerens, ſic librum commendat *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 8.: *Veriſſime ſimul, ac ſanctiſſime ſcriptum eſt (a quocunque tandem ſit), quod ab incerto auctore ſcriptum, Propheta Baruch tribuitur.* Si Calvinus hujus libri auctoritatem acceptat, & commendat, id ſane poterat etiam Panigarola.

65. Quanquam ſacrum eſſe librum hunc minime conſentias, dignari te tamen ex ſumma benignitate velle jactas *pag.* 418., deprompsis a Panigarola textibus ex Baruch occurrere, quod a te fieri ſubdis, *ne rumor fiat, librum negari ex inopia reſpondendi auctoritati*. Idcirco poſtulas: *Quid profert ille ex libro ſui Baruch? Domine omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuorum Iſrael. Baruch* 3. 4. Attendamus Cairini oraculi reſponſum. Primum eſt, quod *Panigarola intelligens pro hac oratione mortuorum Iſrael, orationes Sanctorum triumphantium, quæ pro peccatoribus militantibus fiunt, ſibi contradicit, & contra propria peccat principia. Sancti ſui, qui pro ipſo orant, & ipſe invocat, in Cælo ſunt: illi mortui Iſraelis erant in Limbo, juxta Eccleſiæ ſuæ doctrinam. Sancti ſui homines ſunt in Canonem adſcripti, mortui illi Iſraelis peccatores erant depravati, ut conſtat ex ſubſequentibus verbis, ab Adverſario ex myſterio neglectis? Et filiorum ipſorum, qui peccaverunt (juxta Originale peccant) ante te. Ergo mortui illi Iſraelis Baruch ſunt peccatores vivi, ſed in peccatis mortui.* Modo ego: Juxta Panigarolæ principia, non ſoli Sancti qui in Cælis jam extant, ſed qui in Purgatorio detinentur, orant, & invocantur, & juxta ejus principia Sancti etiam in Limbo orare poterant; immo per iſtorum orationes credit Meſſiæ adventum acceleratum. Non igitur ſibimet contradicit, dum aſſerit Sanctos qui ſecundum Baruch orabant, eſſe mortuos Iſraelis. Ad hæc. Cum Panigarola, vel Catholicus quiſque

Digitized by Google

orando ad Deum Sanctos invocat, non limitat invocationes ſuas ad eos tantum, qui in Canonem relati ſunt, ſed ad interceſſionem omnium, qui in Cælo ſunt, & ad interceſſionem etiam Purgantium, quanquam quinam ſint ſignate neſciat; quamobrem more tuo falſum ſupponis, dum putes, eos qui ſunt in Canone dumtaxat a Panigarola exorari. Equidem neſciens ſignanter, qui mortuorum ſint vere Sancti, illis tantum ſingillatim orationes ſuas dirigit, & cultum, qui Sancti ab Eccleſia ſunt pronuntiati. Panigarola itaque neque in hoc ſibi repugnat, neque principiis ſuis, quemadmodum ſycophanta glorioſe mentiris. Quid porro reliquum? Nempe: *Mortui Iſraelis, peccatores erant vivi, quod ex ſubſequentibus eodem cap. 3. verſ. 4. colligitur, ideſt filiorum ipſorum, qui peccant ante te.* Afferatur quæſo textus, quomodo ipſum legit Adeodatus in Bibliis ſuiis, quibus juraſti: *Domine omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationes mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccaverunt* (non dicit *peccant*) *ante te, & non audierunt vocem Domini Dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala.* Conſideret lector num Baruch Deum oret ut orationes peccatorum exaudiat, an juſtorum; num vivorum, an etiam mortuorum. Supponit enim propter afflictiones illius populi demortuos jam juſtos Deum orare, nimirum veteres illorum Patres, dicens: *Audi nunc orationes mortuorum Iſrael.* Supponit etiam vivos orare, filios nempe ipſorum qui peccaverunt, quorum pœnam filii ferebant: *Et filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala;* propterea ſubdit: *Noli meminiſſe iniquitatum patrum noſtrorum.* Juſti igitur vivi, & mortui orabant, qui ut exaudirentur, Baruch Deum rogabat: ſecus abſurdiſſima petitio fuiſſet, quæ implorarēt exaudiri a Deo orationes peccatorum, & ipſorum filiorum, qui *peccant.* Veritatem hanc vidit ille etiam cæcus, cujus oculos Chriſtus aperuit *Joann. 9. 31.*: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit, ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Et ſane peccator dum peccat non meretur audiri, ſed puniri. Quod vero *mortuorum* nomen (quæ eſt altera reſponſio tua) *aliquando intelligi valeat pro vivis in extremam miſeriam lapſis*, non inficior, ſicut *verſ. 11.* non contendo ita intelligi a Baruch, ubi univerſo Iſraeli ait: *Coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum deſcendentibus in infernum.* Verum quis non videt, *mortuorum* nomen hic non ſumi in proprio ſenſu? cum ſermo ſit ad univerſum Iſraelem, qui naturali morte totus non perierat, ſed morte civili; quod evidens fit ex his quæ ſequuntur. Ibi autem ſermo eſt *mortuorum Iſrael*, non *Iſrael mortui.*

66. Gratioſum magis eſt reſponſum alterum eidem Baruch ſententiæ a te redditum *pag. 419.*, nimirum: *Si Deus exoretur ut Sanctos audiat, ecce jam in promptu nova Theologia. Oportet in terris orare pro iis, qui pro nobis orant in Cælis: oportet pro interceſſoribus intercedere, atque ita ad Dominum nos per Sanctos accedere, ad Sanctos per Dominum, & Sanctos audiri per interceſſionem viatorum.* Plaudis autem hic, & totis clamas præcordiis: *Miſer Panigarola! quo ſe vertat ignorat.* Deplumata mox crocitare ceſſabis Cornix Cairina. Quæſo te. Deum Patrem æternum orans (quoniam ſecundum te omnis oratio Patri dirigenda eſt) ut te audiat per merita Jeſu Chriſti, num interceſſorem te conſtituis interceſſoris tui, mediatorem mediatoris tui? Si ratio tua valeat, affirmare teneor, quia ad Dominum accedis per Jeſum Chriſtum, quando Chriſtum oras pro te interpellare. Accedis autem ad Jeſum Chriſtum per Dominum, dum oras Dominum qui te audiat per Jeſu Chriſti merita. Ita, ſi potens ſit ſermo tuus, Chriſtus Jeſus exaudietur per tua, Picenine, merita. Cum autem ad Deum oras, qui orationes viventium Sanctorum audiat, num ad

Do-

Dominum per Sanctos, & ad Sanctos accedis per Dominum? Serio animadverte idipſum eſſe, hoc ſolo diſcrimine de Sanctis defunctis, & Sanctis viventibus. Ceſſa igitur Chriſtum ipſum, & Sanctos vivos orare, ſi putes orationem tuam de ſe valere ad interceſſionem, aut abſtine Patrem æternum exorare, ſi tibi perſuadeas, ad exauditionem ſufficere interceſſionem Jeſu Chriſti, ſive Sanctorum viventium. Frugi tandem eſto Picenine, & fatere, dum a nobis exoratur Deus, qui ſive mortuorum, ſive viventium Sanctorum orationes exaudiat, idem eſſe, ac ſi dicamus: Domine, certo ſcio preces meas dignas non eſſe quæ valeant exaudiri, ſed audi tu ſaltem orationes mortuorum, vel viventium Sanctorum, qui pro me ad te intercedunt. Ita oras tu, dum Patrem oras, qui te exaudiat per Jeſu Chriſti merita. Ita & nos oramus, & unico mediatore ad Patrem accedimus, qui eſt Chriſtus Jeſus; dum ſive nos oremus, ſive Sancti mortui, vel vivi pro nobis orent, & intercedant, omnes ad Patrem accedunt, eodem mediatore Jeſu Chriſto, cujus meritis innituntur orationes, ſive noſtræ, ſive Sanctorum viventium, vel defunctorum.

§. IX.

Propugnatur textus Libri 2. Machabæorum, & alter D. Lucæ Evangeliſtæ.

67. POſt textum Baruch, a Panigarola propoſitum audis textum ex *Lib.* 2. Machabęorum, in confirmationem orationum quæ a Sanctis mortuis fiunt; quamobrem *pag.* 420. ais, jam te oſtendiſſe hunc librum eſſe apocryphum: ſed & ego contra non ita eſſe oſtendi *Tom. II. Part. 1. Art. 11. §. 7. a num. 62. ad 69.* Nihilominus audiamus te iterum, recitato prius textu, ubi de Onia mortuo cum ſermo ſit, dicitur viſum fuiſſe *manus protendentem orare pro omni populo Judæorum*. Et *verſ.* 14. de Jeremia eadem Onias pronuntiat: *Hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei*. Factum referatur. Judas Machabęus pugnaturus adverſus Nicanorem, totum ſe Deo committens, hortabatur populum in ipſum fidenter ſperare. Interea viſionem vidit, quam & narravit, Oniam nempe ſummum jam Sacerdotem manus protendentem ad Deum orare pro omni populo Judęorum, deinde & virum alium circa illum, ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine; de quo cum quæreret, reſpondentem Oniam audivit: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate. In hac viſione vidit Judas duos Sanctos Teſtamenti veteris mortuos, qui Deum pro vivis orabant. Reſpondes: *Orabant non pro particulari perſona, ſed pro populo, pro univerſa Eccleſia: quod non negatur*. Bone Deus! Quare ſupra tam pertinaciter negabas, contra textus Jeremię, Ezechielis, & Baruch, quod Moyſes, Samuel, Noe, Job, & mortui Iſrael, valerent pro populo Deum orare, quia mortui, dum in præſens concedas Oniam, ac Jeremiam jam defunctos orare generatim ſaltem pro populo, & ſancta civitate? Onias, & Jeremias orant abſque injuria mediationis Chriſti, quæ ſane pro ipſis etiam operabatur: orant pariter Sancti etiam mortui, ſaltim in genere, vivi vero Sancti pro ſingularibus etiam perſonis, quin Chriſti mediationem timeant offendere; quare autem ſi Sancti noſtri mortui pro ſingulari perſona intercederent, illam offenderent? Si Onias, & Jeremias orationes fundebant pro populo, cur non item pro privato aliquo? In ſtatu quo detinebantur, attenta naturali ipſorum cognitione, præſertim ut tu opinaris, tam privata ſingulorum negotia ignorabant, quam communia populi, & publica illius ſanctę civitatis: quomodo igitur orabant? Cogimur dicere, una, vel alia ratione, ex his quas ſupra Auguſtinus indica-

Digitized by Google

dicavit, a Deo ipſis manifeſtata fuiſſe mala illius populi, ob quæ orabant ad Dominum. Quis autem tibi revelavit, non ipſos a Deo de Judæ Machabæi rebus, & factis fuiſſe edoctos, ſicut & aliorum ſingulatim, pro quibus ſignanter orarent, ſi factum evincit oppoſitum? Judas orans, Oniam vidit qui verba fecit, indicato Jeremia, qui & ipſe preces fundebat. Hoc ſane indicium eſt, Oniam quodammodo cognoviſſe ipſius Judæ neceſſitatem. Jeremias autem Judæ dedit gladium aureum, dicens: *Accipe ſanctum gladium, munus a Deo, in quo dejicies adverſarios populi mei Iſrael*; ex quo qui cæcus non ſit, videt Jeremiam perfecte conſcium fuiſſe de his quæ contigerant populo, & ipſi Judæ. Ais, *Judam Machabæum vidiſſe Oniam, & Jeremiam orantes pro populo, nec eos invocaſſe, vel adoraſſe*. Credibile ne quod Judas, ſuſcepto gladio, gratias non ageret Deo ſimul, & Jeremiæ qui illum detulerat, nec apud iſtum inſtaret, ut orationibus ſuis incunctanter opitularetur ſibi, & populo, neque ullum obſequii, & cultus ſignum ipſi præſtaret, vere religioſum, non tantum civile? Tacere autem Picenine omnino debebas quæ ſubdis, nempe: *Fas igitur e Limbo evaſiſſe ambos illos viros, ut Deo ſe præſentarent, & orarent pro populo*; blaſphemia quippe eſt contra Dei immenſitatem, quaſi preſens non eſſet Oniæ, & Jeremiæ ſtantibus in Limbo. Non audis Davidem Deo dicentem *Pſ.* 138. 8.: *Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in Infernum, ades?* Jam video, quod de Sanctis impudenter muſſitabas, non dubites de Deo etiam ſacrilege pronuntiare, & quemadmodum de illis dicebas, *aures non habere tam extenſas, quibus preces eorum exaudiant, qui in terris habitant*, ſic de Deo crocitare non timeas, preces eorum qui in Limbo ſunt non audire, niſi illinc exeant, & coram ipſo conſiſtant.

68. Cum argutiolis tuis oleum, & operam perdere deprehendas, *paucis* te expedire eniteris, quibus tamen erras plurimum. In ſumma ais, *inutiles eſſe omnes veteris Teſtamenti textus*, quia *quæſtio eſt an Sancti tanquam interceſſores ſint invocandi. Sanctorum interceſſio fundamentum in eo habet, quod Sancti ſint in Cælo. Sancti veteris Teſtamenti in Cælo non erant, ſed in Limbo: quod fatetur Panigarola. Ergo Sancti veteris Teſtamenti non intercedebant pro populo, nec interceſſores erant.* Veteres Patriarchæ invocabantur. Quanquam autem invocatio directe in ipſos non referretur, invocabatur tamen Deus, & exorabatur, ut per merita Abraham, Iſaac, & Jacob, propitius fieret. Et re vera plerumque teſtatus eſt flagella ſuſpendere propter iſtos ſervos ſuos: quæ tota ratio eſt, quæ movet defunctos jam Sanctos implorare, cum neceſſe non ſit in Cælo eſſe beatos, ſed quod ſint Deo dilecti, quales erant veteris legis Sancti, amici Dei. Subdis iterum, *Calvinum Sanctorum negare invocationem, inter cetera, quia ipſi noſtra neſciant. Panigarola ea ſcire affirmat, quia hæc per Verbum in Deo vident, tanquam in ſpeculo. Sancti in veteri Teſtamento non Verbum, non faciem Dei intuebantur. Non ergo noſtra videre poterant, non ergo orabant.* Non meminiſti, vel meminiſſe non vis, quæ Panigarola ſcribit *Lect.* 13. *pag.* 244., Sanctos videre noſtra, aut per Angelicam revelationem, aut in Verbo; quamobrem Sancti in Limbo, quæ non videbant in Verbo, ſcire poterant Angelorum miniſterio, ſive a Deo immediate revelante. D. Auguſtinus indubitatum ſibi eſſe aſſerebat, Sanctos imploratos nobis opitulari; quomodo tamen id fieret, obſcurum ſibi, & incertum eſſe. Memento etiam, quemadmodum Sancti veteris Teſtamenti, etſi divina viſione carentes, orabant pro populo ſecundum te generatim, ſic etiam Sancti viventes pro nobis certe orare poſſunt, etſi non fruantur Deo; & ita pariter Sancti mortui orare poſſunt pro nobis, & conſcii fieri de neceſſitatibus noſtris. His memoratis, facile evaneſcent figmenta tua in hac re, tam enucleate, tam per-

perſpicue inſinuata, quod eam caperent lapides ipſi, ſi caperent. Recolantur ſupra dicta num. 53. cum Hugone Grotio, qui cum ex noſtris non ſit, magnopere urget, & torquet pertinaciam tuam.

69. Sed inſtas *pag. 421.: Si Frater intendat demonſtrare Sanctorum invocationem, iſtam probet ex novo Teſtamento*. Panigarola textum unum affert depromptum ex Divo Luca 20. 36., ubi Chriſtus teſtatur, quod Beati erunt ſicut Angeli: *Æquales enim Angelis ſunt*; & ex D. Matthæo 22.30.: *Erunt ſicut Angeli Dei in Cælo*. Si Angeli centies in Scripturis dicuntur pro nobis orare, Beati non idem facient? Facile ab his te expedis, *redarguendo Panigarolam*, vel Typographum, quod erratum ſit in allegatione; deinde ſubjicis, *in hoc textu Sanctorum haberi invocationem, non magis quam Deorum Sinarum, & Japonia*: quæ una eſt ex innumeris ſcurrilitatibus tuis; inſuper autem petis, *ubi centum illa ſint Scriptura loca, qua de Angelorum invocatione tractant*? In hoc textu magnopere non hæreo, cum jam tot alii Sanctorum invocationi faventes, ex novo Teſtamento jam a me relati ſint. Dico tamen, cum audiat Panigarola, Chriſtum aſſerere Beatos Angelis ſimiles futuros eſſe in immortalitate: *Neque nubent, neque nubentur*, ex hoc inferre hujuſmodi futuros eſſe in cognitione, dilectione, & procuratione noſtra. Certum eſt Angelos, notitiam de rebus noſtris habentes, in auxilium noſtrum occurrere, & diligentes nos nobis adeſſe, deferentes Altiſſimo preces noſtras. Ad id confirmandum, præter textus jam a me citatos, adferri poſſunt quotquot de cuſtodia, & præſidio loquuntur quæ præſtant Angeli privatis Perſonis, Urbibus, ac Provinciis: horum autem centena tibi, Picenine, occurrent, dum & ipſe Diabolus unum habuit, quem Chriſto propoſuit, *Matth. 4. 6.* Hujuſmodi cuſtodia, ſi nobis cavet a periculis corporis, potiſſimum vero ab illis animæ; & hæc non erit quædam interceſſionis ſpecies? Si Chriſtus, ut aſſeris, pro nobis intercedit, exhibendo Deo paſſionem ſuam, quodammodo dici poterit, Angelum, exhibendo miniſterium ſuum erga nos Deo, pro nobis intercedere, & ſupplicare. Veruntamen (ſi poſſibile ſit) ut tandem taceas, interroga ex tuis Grotium (*Vot. pro pace Ecclesiaſt.*), & audies, poſt probatum, opinionem Hebræis communem fuiſſe, Sanctos mortuos pro vivis orare, de novo Teſtamento eum ſic diſſerentem: *Multum autem ponderis ad hanc ſententiam adjecit divina Apocalypſis, Joanni patefaciens, & per eum nobis, Martyres ante tempus reſurrectionis univerſalis cum Chriſto regnare: non poſſunt enim regnare ſine aliqua rerum notitia; & oſtendunt præcedentia, viſum hoc referri ad tempora poſt Conſtantinum, quibus temporibus Martyres apertius quam ante honorati ſunt, non a Chriſtianis tantum, ſed & ab ipſo Deo, per ſanationes qua apud loca eorum honoribus deſtinata quotidie contingebant. At quomodo ad Martyres ea notitia pervenit, tantis intervallis disjunctos? ajunt quidam. Id vero non difficile comprehenſu eſt; nam & Prophetis, in hac craſſa molle agentibus, ſimilia evenere. Vidit Eliſeus quid abſens faceret Giezi. Vidit apud Chaldaos Ezechiel quid in Templo Jeroſolymitano ageretur. Praterea Angeli* (hoc ad rem) *adſtant piis cœtibus, & preces noſtras Deo commendant: quod non a Chriſtianis tantum, ſed & ab Judais firme ſemper creditum alibi oſtendimus. Videbit jam credo non abreptus prajudiciis lector, quanto aquius ſit credi aliquam rerum noſtrarum ad Martyres notitiam pervenire, quam non pervenire.*

70. Sed iterum gannis *pag. 421.*, *Panigarolam male arguere ab Angelis ad Sanctos. Angelos mittit Deus in terram, ut ſint cuſtodes noſtri. Sancti nihil amplius habent de his agere qua in terris ſunt. Non ipſi, ut Fratres fingunt, Patroni Provinciarum, tutelares Urbium Dei*. Sancti nihil amplius pro ſe curant eorum quæ ſunt in terris, non ita tamen pro nobis.

Quod

Quot ex ipſis a Deo miſſi fuerunt mirabilibus viſionibus, in bonum noſtrum? D. Auguſtinus nonnullas refert *de cura pro mortuis cap.* 17., & plurimas narrant Hiſtoriæ. Quot beneficia per ipſos accepta? D. Auguſtinus longam iſtorum ſeriem refert, præſertim *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8., ſua ætate impetratorum: quæ indicia ſunt Sanctos aliquam gerere curam, & quidquam agere in terris. Sancti non ſunt Dii *tutelares* Urbium, & Provinciarum, ſicut nec Angeli: & tamen habemus (*Dan.* 10.) Angelum Principem Perſarum, alterum Græciæ, & Michaelem Protectorem Danielis! Nec Sancti, nec Angeli ſunt tutelares Dii, ſed Angelorum, & Sanctorum Deus, Urbium, & Provinciarum Deus eſt: & quanquam plurimi ſint Sancti, unus tamen Deus, apud quem illi intercedunt, & commendant clientes ſuos. Rogamus autem quemlibet Sanctum indiſcriminatim in quacunque neceſſitate, & aliquando ad unum potius, quam ad alterum accedimus, quia quemadmodum hic in terris non omnes gratiæ omnibus impartiuntur, ita credimus in Cælis evenire: quod ex D. Auguſtino traditum habemus *Ep.* 137., ſive 78.: *Sicut enim dicit Apoſtolus* 1. *Cor.* 12., *non omnes Sancti habent dona curationum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique ſicut vult*; & hæc ſcribebat plebi ſuæ Hipponæ, quæ dolebat quod ad interceſſionem ſuorum Martyrum a Deo non fierent miracula illa, quę aliunde fieri deferebantur, præſertim Mediolani ad memorias SS. Gervaſii, & Protaſii. Quod ſi, ut ais, *id non pertineat ad eorum Beatitudinem* eſſentialem, ſicut nec ad illam Angelorum, cum *Beati ſint, quin hæc ipſis exhibeantur officia, quemadmodum erunt cum finis adveniet Urbium, & Provinciarum, hominesque a terra tollentur, qui ipſos invocent*, pertinet tamen ad eorum Beatitudinem accidentalem quod invocentur, ac de nobis curam gerant, ut conſocii ſimus ipſorum gloriæ. Erit gaudium in Cælo (ait Chriſtus *Luca* 15. 17.) ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quemadmodum damnatis gravior erit accidentalis triſtitia, ſocios augeri in pœnis eorum. Propterea dives (*Luca* 16. 28.) Abraham rogabat, ut ageret, ne fratres ſui *veniant in hunc locum tormentorum.* Hæc perverſa tua ſophiſmata in id ultimo tendunt, quod neque Deus, neque Chriſtus de ſalute noſtra ſibi complaceat, atque ideo non debeat invocari, coli, ſanctificari, ſiquidem Deus infinite beatior eſt Sanctis, etſi non invocetur, & talis erit per immenſam æternitatem, ceſſantibus hiſce officiis, dum Provinciæ, & Urbes ceſſabunt, nec homo in terra erit, qui ipſum invocet, & ſacrificia offerat. Enimvero perſpicue videmus, quod argutiolæ tuæ, vaferrime ſophiſta, tandem id conficiunt: Si Sancti, quia beati quin invocentur, non ſunt invocandi, neque invocandus erit Deus, & Chriſtus. Sic ſenſim veſtigia Cairini Prædicantis ſequentes ad Atheiſmum declinant.

§. X.

Antiquitas cultus, & Invocationis Sanctorum.

71. HÆreſes tuas putido ore non ceſſas effundere, dum *pag.* 422. muſſitas: *Frater antiquam oſtentare vult Sanctorum invocationem, ad aucupandam ipſi fidem. Contendit eam probare nonnullis Patrum ſententiis, & aggreditur fulminando Calvinum, quod dicat, uſum invocationis Sanctorum in Eccleſia Dei non incepiſſe niſi a Divo Gregorio uſque nunc.* Ita pronuntias, tibi inde plaudens iniquis ſatyris adverſus Panigarolam, noſque Catholicos, Sanctos invocantes; etenim ſubdis: *Ætate D. Gregorii, ſexto ſcilicet ſeculo, non tot litaniæ erant, non tot hymni, tot preces, quæ in præſens fiunt Sanctis, innominato Jeſu Chriſto.* Nemo valet tam inique mentiri, quam tu mendaciſſime homo, ſiquidem Litaniæ in uſu erant ante D. Gregorium; hinc

hinc in Aurelianenſi Synodo ſub Hormiſda D. Gregorii prædeceſſore *Can.* 9. legitur: *Rogationes, & Litanias ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum triduanum jejunium in Dominica Aſcenſionis Solemnitate ſolvatur; per quod triduum ſervi, & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat: quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.* Ecce Rogationes, Litanias, jejunium, ciborum abſtinentiam. Idem habetur in Synodo Gerundenſi *Cap.* 3. Rogationes ſtatum, & formam ſuam agnoſcunt a Divo Mamerto Viennenſi Epiſcopo, contra Gothorum invaſiones Seculo V., & ut refert Sidonius *Lib.* 5. *Ep.* 14., ante Mamertum erant in uſu: *Erant quidem prius (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vagæ, tepentes, infrequenteſque, atque (ſic dixerim) oſcitabundæ ſupplicationes.* Videantur, præter Baronium, Maurini Monachi ſuper Sacramentarium D. Gregorii *pag.* 394. *Tom.* 3. *Op.*, & Pater Saillius in Theſauro *Litan. pag.* 372. Quomodo ætate D. Gregorii non erant, ſi ipſemet in invaſione barbarica eas recitare mandat, velut ſupplicationes in Eccleſia jam antiquitus frequentatas? *Lib.* 11. *Ep.* 52. *vel* 45.: *Itaque hortor, fratres cariſſimi, ut omni hebdomada, quarta, & ſexta feria Litaniam inexcuſabiliter indicatis, & contra barbaricæ crudelitatis incurſus ſuperna protectionis auxilium imploretis.* Et *Lib.* 11. *Ep.* 2.: *Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B. Joannis Baptiſtæ. Litania virorum ab Eccleſia B. Martyris Marcelli. Litania Monachorum ab Eccleſia Martyrum Joannis, & Pauli. Litania ancillarum Dei ab Eccleſia beatorum Martyrum Coſmæ, & Damiani. Litania fœminarum conjugatarum ab Eccleſia Beati primi Martyris Stephani. Litania viduarum ab Eccleſia B. Martyris Vitalis. Litania pauperum, & infantium ab Eccleſia B. Martyris Cæciliæ.* In his Litaniis invocari Sanctos qui dubitare valet, niſi ſit Picenino ſimilis? Si Eccleſiæ erectæ erant in Sanctorum memoriam, quis negare valet, fideles conveniſſe ad eorum invocandam opem? Litaniæ quæ tunc recitabantur ſunt in Antiphonario Gregoriano *tom.* 3. *edit. Mon. S. Mauri fol.* 690., ubi hæc leguntur: *Salvator Mundi, ſalva nos omnes. Sancta Dei genitrix ſemper Virgo Maria, ora pro nobis. Precibus quoque Apoſtolorum, Martyrumque omnium, & Confeſſorum, atque Sanctarum Virginum ſuppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, boniſque omnibus, nunc, & ſemper perfrui mereamur.* Vanum puto longius detineri in his quæ Tyronibus infimis nota ſunt. Attamen, ut dictorum meorum veritas tibi conſtet, ſcias Picenine, ut Hincmarus ſcribit, D. Remigium, dum baptiſmo Clodoveum tinxit, Litanias recitaſſe, & Sanctos invocaſſe: quod ſane non feciſſet, niſi uſitata, univerſalis & antiqua conſuetudo id præſcripſiſſet.

72. Hymni vero, quomodo Divi Gregorii temporibus non extabant, ſi horum plerique, quibus utitur Romana Eccleſia, ab ipſo editi fuerunt, & leguntur in fine Antiphonarii *tom.* 3.? Primus poſt Hilarium, qui hymnos compoſuit, fuit D. Ambroſius, ut notat Sigebertus. Prudentius plures edidit in laudem D. Cypriani, D. Laurentii, Hippolyti, Agnetis, aliorumque Martyrum, quorum invocat patrocinium: ille autem ſeculo IV. florebat. Nodus tuus eſt, *noſtras Litanias, Hymnos, & preces, referri ad Sanctos, innominato Jeſu Chriſto:* ſed juſte te conqueri judicarem, ſi hujuſmodi probares abſurdum. Litaniæ ab Eccleſia permiſſæ, ſunt Sanctorum una, & Virginis altera. Hymni, quotquot in Sanctorum laudes canimus, a Deo exordiuntur, & finem habent in laudem, & gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis. Preces pariter ita incipiunt, ita deſinunt. Unde ergo habes Hymnos, Litanias, & preces, in quibus nulla ſit Jeſu Chriſti mentio? *In Breviario Romano*, ais; ſed in eo forte a te compoſito, ſiquidem illud quo Eccleſia Romana utitur, non habet niſi duas prælaudatas Litanias: in quibus ſi dicas, nullam Jeſu Chriſti mentionem

fieri, qui litteras utcunque ſciat, rotunde mentiri te aſſeret, quemadmodum de Calvino dixi. In Triumpho *pag.* 282. Semery carpens, quod dixerit *Pater noſter* non loqui *de Chriſto*, nec *de Spiritu Sancto*, atque idcirco te condemnaturum hujus orationis Auctorem, animadvertiſti, ibi *Pater* non ſumi in ſignificato *perſonali*, ſed *eſſentiali*. Porro autem, ſi aliquam ex noſtris precibus invenias, in qua nominetur *Deus*, aut *Pater*, hæc nomina ſumis in ſignificato *perſonali*, non *eſſentiali*, prętendens Sanctorum invocatione a nobis excludi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

72. Subdis *pag.* 422., P. Coſterum pronuntiaſſe *cap. de vener. Sanctorum*, *Chriſtum nunquam a nobis exorandum ut pro nobis oret, quemadmodum Sanctos deprecamur, ſed quod nobis communicet gratiam, & cæleſtia bona*. Ita nimirum Jeſum obſecramus: & tu Calviniſta ad culpam id refers? Quis te unquam capiet? Dudum accuſabas nos omnia Sanctis tribuere, nihil Jeſu Chriſto: modo autem criminaris nimium ipſi tribuere, quia non ut pro nobis oret, ſed quod gratias ſuas nobis communicet ipſum deprecamur. Enimvero numquam dicimus *Jeſu Chriſte ora*, vel *intercede pro nobis*, bene vero *miſerere nobis*, diſtinguentes Chriſtum poteſtate, & auctoritate mediatorem, a Sanctis mediatoribus tantum interceſſionis, & orationis. Neque hoc eſt adimere, ſed dignitatem ſuam in Chriſto agnoſcere. Chriſtus Patrem orat, non quemadmodum ſervus Dominum, ſed ut Filius Patrem ſuum, quo quanquam ut homo minor ſit, quatenus tamen Deus ipſi æqualis eſt, & conſubſtantialis, cujus omnia Patris ſunt: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt. Joann.* 11. 10. Et hac ratione Chriſtus dum nobiſcum verſaretur, Patrem orabat, dum eadem poteſtas remittendi peccata, & benefaciendi, quæ eſt in Patre, eſt etiam in Filio. Porro, juxta doctrinam tuam, orantes Patrem, Filium oramus; ergo Chriſtum orantes, qui Dei Filius eſt verus, & naturalis, eadem oratione Patrem oramus. Si vero orantes Patrem minime dicemus *Pater ora*, *intercede pro nobis*, ſed *parce nobis*, *exaudi nos*, *miſerere nobis*, idem dicendum erit Chriſtum orantes: aliter autem loqui, eſt de Arianiſmo ſuſpectum fieri. Utique D. Paulus *Rom.* 8. 34. inquit, quod Chriſtus *eſt ad dexteram Patris*, *& interpellat pro nobis*; ſed hoc intelligi debet de interpellatione auctoritativa noſtri advocati, qui ſimul ſedet in throno, & ad dexteram Patris, ut ſcribebat D. Paulus ad *Hebręos* 4. 16.: *Adeamus nos cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus*. Chriſtus intercedit velut qui ſalutem largiatur, non qui impetret: *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum*, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, *Hebr.* 7. 25. *Chriſtus Jeſus* (D. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 36.) *intercedit nunc quoque, ut homo, pro mea ſalute, quoniam cum eo corpore eſt quod aſſumpſit... eodem modo advocatum quoque habemus Jeſum, non in noſtra cauſa ſe ſe ad Patris pedes advolventem, ſerviliqꝫ modo abjicientem: neque enim Patris eſt hoc expoſcere, aut Filii pati, nec de Deo cogitare, pium, atque æquum eſt*. Et D. Gregorius *Lib.* 22. *Moral. cap.* 13., vel 17.: *Unigenito Filio pro homine interpellare, eſt apud coæternum Patrem ſe hominem demonſtrare, eique pro humana natura rogaſſe, eſt eandem naturam ſuſcepiſſe. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, ſed miſeratione*. Ecce quamobrem Chriſto non dicamus *ora*, nec *intercede pro nobis*, ſed *miſerere nobis*.

74. Aliam ceteris ſimilem, inſipidam ſcilicet, interrogationem facis *pag.* 422.: *Scire vellem*, inquis, *an D. Gregorii temporibus tot Ave Maria recitarentur*? Quærere debebas an Divi Gregorii temporibus invocaretur, & coleretur Virgo, non quot repetitis ſalutationibus invocaretur; parum quippe refert quod ipſa invocationis methodus tantam non habeat antiquitatem, dummodo vetuſtiſſima ſit invo-

Digitized by Google

invocatio, & cultus. Fridericus Sphanemius tuæ ſectæ homo *Tom.* 2. *Lib.* 7. *miſcellan. ſacra antiquit. part.* 4. *num.* 8. ſcribit, fundata jam a principio Eccleſia, inſtitutas fuiſſe a Paſtoribus formulas quaſdam precum, ſtationes, & confeſſiones, hymnos, pſalmos, & gratiarum actiones, *variantia inter ſe licet, ſed conſona quo ad rerum ſummam, atque inde nata ſucceſſivis variationibus additamentis*, Liturgiæ, aliæque preces *pro moribus ſequentis ætatis*. Porro etſi *Ave Maria* uſum non obtinuerit D. Gregorii temporibus, dummodo concedatur uſum jam inoleviſſe de invocanda Virgine, quod in Sacramentario ejuſdem Sancti Pontificis habemus, quid tum profeciſſes Picenine adverſus Virginem, adverſus nos, qui ſi dicimus *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, ſalutationem dicimus a Gabriele enuntiatam ex Dei miſſione *Luc.* 1.18.? quid ergo eam repetere prohibemur? Neque enim propterea prætendimus *Angelicum obire munus, cum peccatores ſimus, neque annuntiare ipſi Incarnationem Verbi*, ſed præſidium nobis procurare illius, tam gratam ipſi reiterantes ſalutationem, per quam adeo exaltata fuit. Nunquid Picenine, cum pſalmos cantes, & prophetias, præſumis Prophetæ perſonam induere, eaque prænuntiare, quæ pluſquam mille ſeptingentis ab hinc annis impleta fuerunt? Profecto de te id fateri teneris, ſi calumniam adverſum nos tueri velis, nempe, dicentes *Ave Maria*, audere nos Angelico uti miniſterio, & annuntiare jam perfectam Incarnationem. Diſplicent tibi quæ ſubduntur: *Benedicta tu in mulieribus*; attamen & hoc Angelus dixit, & Eliſabeth reiteravit *Lucæ* 1. 42., addito: *Benedictus fructus ventris tui*! Porro ſi Eliſabeth id voce reiteravit, & Evangelium ſcripto commendat, quid Hæretice faſtidis, hanc laudem a nobis ſæpiſſime dici? Faſtidis ab Eccleſia ſuperadditum: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis noſtræ*. Sed omnium ſeculorum conſenſu Virgo poteſt invocari, ut pro nobis dignetur intercedere, quemadmodum jam oſtendimus.

75. Offendunt etiam te *pag.* 425. tot repetitæ ſalutationes *Ave Maria*, & plures quam *Pater noſter*, atque quod ita frequentius Mariam, quam Deum alloquamur. Verum ſi iſta te offendunt, offendent etiam tot repetitę voces *Sanctus*, quas die, ac nocte, nullam ſumentia requiem, cantabant 4. illa Animalia in Apocalypſi 4.8. A temporibus uſque Irenęi *Lib.* 5. *cap.* 9. didicimus, Virginem fuiſſe *Hevę advocatam*, & per ipſam ſalutem obtinuiſſe *genus humanum*: idcirco tam frequenter ipſam alloquimur, mente tamen ſemper, & corde intenti in Jeſum Chriſtum, cujus myſteria, paſſionem, & mortem fide devota contemplamur. Nec ceſſas interrogare, *an Divi Gregorii temporibus mos eſſet circuire vias, murmurando preces indevote? Qui rationabilis cultus eſt iſte? In veteri Eccleſia oratio erat converſatio fidelium cum Deo. Superſtitione, facta eſt converſatio hominum cum hominibus*. Si intelligas de Proceſſionum uſu, a temporibus uſque D. Auguſtini duas comperio adornatas cum reliquiis Stephani, unam a Projecto, quam comitabatur *magna multitudinis concurſus, & occurſus*, in qua per interceſſionem Sancti Martyris lego cæcæ mulieri viſum reſtitutum; alteram a Lucillo Epiſcopo, *populo præcedente, atque ſequente*, in qua fiſtula repente ſanata eſt: utraque a D. Auguſtino narratur *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. Julianus Apoſtata reſponſa Daphnęi Apollinis fruſtra ſciſcitatus, admonitus autem ſilentii cauſam eſſe quod prope poſitum eſſet ſepulcrum Sancti Babylæ, juſſit illinc deportari reliquias Sancti Martyris: quo cognito a Chriſtianis Antiochiæ, catervatim venerunt homines, mulieres, pueri, ſenes, & Pſalmos canentes, ſacrum depoſitum in urbem ſuam tranſtulerunt. Hæc ſane Proceſſio fuit a Socrate relata *Lib.* 3. *hiſt. cap.* 18., & a Sozomeno *Lib.* 5. *hiſt. cap.* 19. Theodoſii Imperatoris nutu, Meletii oſſa Antiochiam tranſlata fuerunt prope ſepulcrum Sancti Babylæ, & per univer-

ſam viam *Pſalmorum cantibus per ſingula loca alternatim exceptum honorifice, Antiochiam uſque deductum fuit* (verba ſunt Sozomeni *Lib. 7. hiſt. cap. 10.*), & iſtæ ſane ſupplicationes fuerunt juxta ritum Romanæ Eccleſiæ. Ad hæc. Theodoſius Magnus, antequam Eugenio Tyranno bellum indiceret, ut refert Ruſinus *Lib. 2. hiſt. cap. 33.*, *circumibat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca, ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat*. Theodoſius junior ſupplicationem inſtituit a Nicephoro deſcriptam *Lib. 14. hiſt. cap. 3.* hoc modo: *Litania inſtituta eſt: ſupplicantes proceſſere, laudibus Deum vexere, atque una concors Eccleſia civitas tota, & ipſe medius Theodoſius hymnis canendis praiit, habitu privato incedens. Minime vero eum opinio fefellit: ſtatim enim Cælum aerem turbidum ſerenitate commutavit, & frumenti non mediocrem inopiam, quadam frugum copia, & ubertas eſt conſecuta*. Poſtrema hæc facta nobis exhibent Proceſſionum uſum ante D. Gregorii tempora, Litaniarum, & invocationis Martyrum, ſicut miracula a Deo patrata mediis iſtis. Mos vero iſte quod D. Gregorii ætate retentus fuerit, ſupra oſtendimus num. 61. In Antiphonario Gregoriano *Tomo 3. Operum pag. 690. editionis novæ* præſcribuntur preces canendæ in hujuſmodi ſupplicationibus, per quas miſericors Deus dignatus eſt a peſte Romam liberare: quo manifeſta fit ignorantia Picenine tua, dum petis, an ætate D. Gregorii orandi *mos eſſet per vias, murmurando preces*.

76. Circa abuſus, irrepſerunt ſemper. Proteſtantium conventicula hac prærogativa unice gaudent, abuſionum ſcilicet immunitate: hæc ſola immaculata ſunt, & quaſi tot in terra Paradiſi. Fauſtus Manichæus æque ac tu Chriſtianos de abuſibus carpebat, apud D. Auguſtinum *Lib. 20. cap. 4.*: *Sacrificia eorum vertiſtis in agapes, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus*; cui tamen S. Doctor *cap. 21.*: *Aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus … alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum*. In ipſas ſupplicationes devotionis tepor invaſerat ante etiam D. Gregorii tempora: quem Mamertus correxit, ut cum Sidonio ſupra dicebamus *Lib. 5. Epiſt. 14.*: *Erant quidem prius (quod ſalva fidei pace ſit dictum) vaga, tepentes, infrequenteſque, atque (ſic dixerim) oſcitabunda ſupplicationes*. Quid plura? A D. Pauli uſque temporibus in Eccleſiam Corinthiorum abuſus irrepſerant; poſt Dominicam quippe Cœnam Agapum convivia fiebant, ubi a divitibus lautę parabantur menſæ, pauperes vero tanquam fratres recipiebantur, ſed multi divites nolebant commenſales habere pauperes, hinc alii vinis madebant, alii fame peribant: quamobrem querelæ, ſchiſmata, contentiones multæ erant, a D. Paulo *1. ad Cor. cap. 11. verſ. 18. 21. 22.* ſic deſcriptæ: *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo … Unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum. Et alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo*. Quid Jacobe cenſor diceres, ſi in Eccleſiis noſtris poſt ſacram Synaxim lautæ pararentur divitibus menſæ, quarum cauſa contentiones, et jurgia ſequerentur, dum adeo offenderis, ſi accideret ſupplicationes aliquando per vias fieri indevote? Hoc tamen malum ob oculos D. Pauli verſabatur illa ætate, qua Chriſtiani primo religionis ardore fervebant. Ah diſce ſanctum ritum a defectu infirmorum diſcernere, nec illum reprehende, ſi iſti minus rite eo abutantur, & cum Divo Hieronymo adverſus Vigilantium confitere: *Paucorum culpa non præjudicat religioni, qui & abſque vigiliis poſſunt errare* (loquitur de malis in vigiliis ad memorias Martyrum, *vel in ſuis, vel in alienis domibus. Apoſtolorum fidem Judæ proditio non deſtruxit*.

77. Panigarola ait: *Quanquam*

San-

Digitized by Google

Sanctorum invocatio ortum habuiſſet in ſeculo D. Gregorii, nongentis ab hinc annis, antiquior nihilominus foret, quam Genevini uſus, nudiuſtertius introducti. Non valet tibi hìc circuire, eadem reſarciendo mendacia jam a nobis diſperſa, quia res enimvero ita ſe habet. Romana Eccleſia, & ejus fides, a temporibus uſque Apoſtolorum *Rom.* 1. 8. commendata fuit a D. Paulo, per Orbem univerſum ex fama inſignis; contra, Eccleſia Genevæ, quæ nunc eſt, nonniſi a Calvino ſuam agnoſcit originem: antea vero & ipſa erat inter Eccleſias, quæ Romanæ obediunt, & abuſus quos nunc retinet non habuit ſemper. ſed noviter editi ſunt. Apud Catharos, Petrum Bruſium, & Henricum Toloſanum, apud Claudium Dorinenſem, Conſtantinum Copronymum, & Iconoclaſtas, apud Mahometem, & ſimiles peſtes apoſtatas, hæreticos, quos Eccleſia tales habuit, & proſcripſit, Picenine, comperies uſus Genevæ tuæ erga Sanctos. Si autem vetuſtiora prætenderes revolvere ſecula, revolve, ſed cave a D. Hieronymo; ſecus fremere ipſum ira accenſum audies adverſus Apologiam hanc tuam, leonino ore illo, quo Vigilantium terrebat: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro altero exaudienda oratio... Si Apoſtoli, & Martyres in corpore conſtituti poſſunt pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent, eſse ſoliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, atque triumphos? Unus homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum impetrat a Deo veniam, & Stephanus imitator Domini ſui, & primus Martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniam deprecatur: & poſtquam cum Chriſto eſse cœperint non valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſexaginta ſex ſibi dicit in navi animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſse cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro his, qui in toto Orbe ad ſuum Evangelium crediderunt, mutire non poterit, meliorque erit Vigilantius Canis vivus, quam ille Leo mortuus?*

Hæc omnia adverſum te a me jam dicta ſuerunt, hæc Genevæ tuæ ſacrilegos uſus damnant, qui Hieronymi ætate in Eccleſia Chriſti non erant. Si ad Tertulliani ſeculum aſcendamus, Divus ipſe Hieronymus teſtis erit, *Scorpiacum* ejus ab illo editum fuiſſe propter *Cainitarum* hæreſim, quam, cum jam ſepulta eſſet, Vigilantius denuo extumulavit. Jam jam Apoſtolorum attigimus tempora, nec apparet, Genevinos uſus erga Sanctos a vetuſta Eccleſia præmeditatos fuiſſe, immo ab ipſis abhorruiſſe ſemper, & tanquam impios abuſus, & ſacrilegas hæreſes exprobraſſe. Tempus illud quod ab Apoſtolis ad Tertullianum fluxit ſi Picenine reſpicias, neſcio an momenta certa ibi valeas inveſtigare, quo mores Genevæ tuæ commendes. Ego equidem ab Irenæo, & Origene talia habeo, quæ ſatis probant ritus Romanæ Eccleſiæ; & ex Teſtamento veteri jam vidimus uſum accedendi ad Deum per Patriarcharum, qui jam deceſſerunt, merita, pium, ac utilem habitum fuiſſe. Ritus alicujus Eccleſiæ non ſtatim probantur ab Apoſtolis non deſcendiſſe, ex eo quod de illis nil ſcriptum ab ipſis ſit, ſed ſecula revolvere fas eſt ſingula, quæ poſt ipſos tranſierunt, & in unoquoque quid receptum fuerit conſiderare: quod tu detrectas facere, cum videas non conferre. Sanctorum invocatio, & cultus opponi doctrinæ Apoſtolorum, & Eccleſiæ tunc ſane probabitur, cum ſtatim ac hujuſmodi uſus, & religio viſa ſunt introduci, ab Eccleſia cum Auctoribus ſuis illico proſcripta fuiſſe demonſtrentur: quod de Auctoribus, vel Reformatoribus rituum modernæ Genevæ factum fuiſſe ſupra oſtendebam; niſi abſurdiſſimum hoc potius velimus aſſerere, primævam Eccleſiam ſcilicet erraſſe, dum primo Sanctorum invocationem cœpit docere, & exercere, illis proſcriptis quotquot eam impugnabant, & ſic a principio in apoſtaſia lapſam perpetuo perſeveraſſe: quod ſui compos nemo dicere audebit, niſi Piceninus ſit, vel ei ſimilis. Errat

itaque

itaque Genevenſis Eccleſia, & iſta meretrix, & adultera facta eſt.

78. Attamen *pag.* 423. omnino videre vis, qua ratione *Frater Sanctorum invocationi tribuat antiquitatis prærogativam*, ipſumque redarguis, quod ex Origene ſuper Job hanc adoptet ſententiam: *O beate Job, ora pro nobis;* unde clamitas: *Origenis non eſt liber ille; verus autem Origenes creaturarum cultui maxime adverſatur.* Sed ſint, necne, Origenis commentaria illa ſuper Job, vetuſti ſaltim Auctoris erunt, quæ valeant Sanctorum invocationem vetuſtiſſimam aſſerere: quod eſt Panigarolæ intentum. Sed de legitimi Origenis mente quæramus. Homiliæ ſuper Joſue illius ſunt, & tamen *Hom.* 16. legitur: *Ego ſic arbitror, quod omnes illi, qui dormierunt ante nos Patres, pugnent nobiſcum, & adjuvent nos orationibus ſuis.* Homiliæ ſuper Cantica ſunt veri Origenis: & ſi Rivetus cum Dallæo id neget, D. tamen Hieronymus, iſtis ſane incomparabiliter doctior, *Epiſt.* 41. nunc 65. *ad Pammach. & Oceanum*, eas ipſi aſſerit, inquiens: *Non mihi nocebit, ſi dixero: Origenes, quum in ceteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit.* Addo Caſſiodori teſtimonium *divin. lect. cap.* 5., ubi aſſerit, Rufinum Origenis commentaria ſuper Canticum interpretaſſe ad illa uſque verba: *Capite vulpes parvulas exterminantes vineas.* Momenta alia videri poſſunt apud Huetium *Lib.* 3. *Origenariorum ſect.* 3. *num.* 7. Origenes igitur ibi *Hom.* 3. ſic habet: *Sed & omnes Sancti, qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos qui in hoc Mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & juvare eos precibus ſuis, atque interventu ſuo apud Deum, non erit inconveniens. Scriptum namque eſt in Machabæorum libris ita: Hic eſt Jeremias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo. Sed & ad Apoſtolos hoc dici non videtur alienum: per hos enim omnis Eccleſia Dei, vel anima quærens Deum introducitur ad domum vini.* Textus hic adeo perſpicuus eſt ipſorum etiam ſectariorum oculis, quod mirum non ſit, ſi Rivetus, Dallæus, aliique Proteſtantes, artem omnem, incaſſum licet, adhibeant, ut hujuſmodi librum a legitimis Origenis fœtibus ſurripiant. Tametſi vero tanti Auctoris non eſſet, inficiari nequit ſcriptoris eſſe D. Hieronymo antiquioris: quod ad cauſam noſtram ſufficeret. Videatur etiam *Hom.* 1. *in Ezech.*, & *Lib.* 8. *contra Celſum*, cum aliis textibus relatis ſupra num. 7. Martialis Epiſtolæ ſuppoſititiæ habeantur, dummodo admittantur non nudiuſtertius ſcriptæ, in quibus cum ad Burdigalenſem Eccleſiam ſcribitur ut Eccleſiam ædificet in honorem Sancti Stephani, ut ibi invocetur, jam conſtat de invocationis, & cultus Sanctorum antiquitate: quod eſt Panigarolæ intentum. Divus *Martialis* fuerit, necne, coævus Apoſtolis, meum non eſt hic definire, neque tu Picenine tantam certe habes ſupellectilem, quo id valeas conficere.

79. Res ſit de D. Cypriano, qui, ut num. 8. retulimus, *Epiſt.* 57. ſcribens ad Cornelium Summum Pontificem, ita concludit: *Et ſi quis noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Deum noſtra dilectio* (ſupponit defunctorum dilectionem erga vivos perſeverare); *pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.* Hic Cyprianus tenet mortuos pro vivis deprecari: Apologiæ tamen *pag.* 425. prætendis, *ex Cypriani verbis tantum inferri poſſe, mortuos pro fratribus orare, & pro Eccleſia.* Veruntamen dum Cyprianus Cornelio ſcriberet *qui prior noſtrum*, profecto intendebat quod oratio fieret, nedum generatim pro omnibus, ſed alternatim pro ſingulis: Cyprianus pro Cornelio, Cornelius pro Cypriano, & pro fratribus, ac ſororibus, de quibus inquiebat *perſeveret noſtra dilectio.* Cum vero defuncti pro Eccleſia orent, cur non facient pro privatis præſertim, quos domeſticos, & amicos habuerint? Reſpondes, *Divum*

Cypria-

Cyprianum non loqui de defuncto, nec eum invocari, ſed dicere, qui prior moreretur, oraret pro fratribus. Hoc ad rem non facit. Sanctus Pater ſupponit mortuos pro vivis orare, poſt mortem dilectionem erga vivos retinere, & potentes eſſe ad impetrandum: et *hoc ad rem non facit?* Si certum habet D. Cyprianus, mortuos orare, & impetrare poſſe pro viventibus, quare perſuaſus non erat, mortuos invocari poſſe? fratres autem, & ſorores conſcii mentis Cypriani, & Cornelii, nempe poſt mortem pro ſe exoraturos, quare orationibus eorum ſe ſe commendare non poterant? Jam audio cauſam: *Quia*, ais, *mortui non audiunt preces vivorum.* Jam exſufflavimus hanc ineptiam: quodque invocari poſſent, facto ſuo D. Auguſtinus demonſtrat, qui *Lib. 1. de Baptiſ. cont. Donat. cap. 1.* D. Cyprianum invocabat: *Adjuvet nos orationibus ſuis, in iſtius carnis mortalitate tanquam in caliginoſa nube laborantes.* Tu vero audebis dicere, primis tribus ſeculis mentionem nullam factam fuiſſe de invocatione Sanctorum, cum alias ab iſtis ſeculis hujuſmodi uſus certa teſtimonia acceperimus? Nec recoquere valet, D. Cyprianum in expoſitione *Pater noſter* de unius Dei cultu loqui, cum jam reſponſum fuerit *num.* 8.; ſicut etiam de ſolo Deo loqui debebat in oratione ab ipſo facta, dum propter unum Deum, & fidem Jeſu Chriſti ſanguinem daturus erat.

80. Confugis *pag.* 425. ad quemdam *Pereſium Epiſcopum Pontificium de divin. tradit. part. 3. conſider. 7.*, quem fateri prætendis, *Sanctorum invocationem non reperiri niſi in libris, quos ſcribere cœpit Baſilius, ſcilicet ann.* 360. *Melius hoc, quam Prophetarum, Apoſtolorum, veterum Patrum extorquere libros, ut prodant quæ nolunt, quemadmodum Panigarola facit.* Etſi Pereſius hæc diceret, jam adverſum te obtinuiſſem Sanctorum invocationem ante D. Gregorium uſum habuiſſe; & re vera Fridericus etiam Sphanemius concedit *Tom. 1. par. 2. Hiſt. Chriſt. ſec. IV. §. 8. num. 7.*, Sanctorum invocationem ſeculo IV. incepiſſe: immo Magdeburgenſes *Cent. 3. cap. 4. pag.* 58. eam repetunt a ſeculo III., & Origenis temporibus: *Videas in Doctorum hujus ſeculi ſcriptis non obſcura veſtigia invocationis Sanctorum; habes enim formulam apud Origenem: O beate Job, ora pro nobis.* Et *pag.* 52. affirmant, Origenem credidiſſe Angelos eſſe invocandos: *Angelos enim invocandos putavit Origenes.* Quid ergo Picenine tibi tot implere paginas, ut novam eam oſtenderes, & *Commentum Romæ, vel Fratrum*, ſi conſectarii ipſi tui tam longe ortam eſſe fateantur, & illo ſeculo, quo ſecundum te Roma non imperabat, quaſi Domina Chriſtiani Orbis? Porro ſi Sanctorum invocatio quarto emerſit ſeculo, ex ſcriptis Baſilii, Nyſſeni, Nazianzeni, & Chryſoſtomi, ut ſibi fingit Sphanemius, hæc autem ſi nova ſuperſtitio fuit, vero cultui oppoſita, & doctrinæ primorum ſeculorum, Patres errarunt eam proponendo, gravius vero fideles eam ſequendo, ſubſequentia vero ſecula hujuſmodi cultui adhærentia ignorantię tenebris caligaverunt. Poſſibile, inter tot Patres, doctrina, & ſanctitate illuſtres, hujus ſuperſtitionis mala ſemina nullum retexiſſe, aut retecta divellere neminem attendiſſe, nec unus inter tot inventus ſit, qui reclamaret, ut Proteſtantes faciunt, hunc cultum ſanæ doctrinæ contrarium eſſe, Apoſtolorum dictatis, ac antiquiſſimorum Patrum placitis, quinimmo omnes incumberent ad ejus inſtaurationem, & decorem? Sed ut de Pereſio dicamus, iniquum falſarium Picenine te prodis, cum Pereſius, Patrum, & Apoſtolorum teſtimoniis propoſitis uſque ad Synodum Nicænam II., ſic loquatur „ Vidiſti, Chriſtiane Lector,
„ circa Sanctorum invocationem, &
„ interceſſionem unanimem Patrum
„ conſenſum cum Eccleſiis ſuis Orien-
„ tis, & Occidentis, ab ipſis ferme
„ Apoſtolis uſque ad Caroli Magni
„ tempora: ſiquidem in hujus ævo
„ celebratum fuit Concilium illud Ni-
„ cænum II., a quo tempore, ſi re-

„ ſte

„ ctæ computabis, anni 750. effluxe„ rant, quos non alia de cauſa ob „ oculos tuos poſui, niſi ut videas, „ adverſarios, blaſphemo ore, idolo„ mania criminari non nos, ſed San„ ctos nunc cum Deo regnantes, „ quoniam iſtos ſequimur in hoc dog„ mate, ſicut in aliis præſentis Ec„ cleſiæ. A temporibus Cornelii Mar„ tyris commendatam vides in ſcri„ ptis Patrum Sanctorum interceſſio„ nem, & a tempore D. Baſilii ipſo„ rum invocationem, nec apparet i„ ſtos primos fuiſſe docentes hęc dog„ mata „ *ſed quaſi jam vetuſtate quadam firmata ipſa recenſuiſſe, & exemplis commendaſſe. Nulli tamen dubium quin de divino magiſterio deſcenderit, quod univerſalis Eccleſia Martyrum, & Sanctorum Doctorum circa hoc docebat.* Hæc Pereſius Pontificius Epiſcopus. Reliqua etiam legamus, quæ inde ſubdit. Refert, quod Cornelius Papa, facta tranſlatione Corporum Sanctorum Petri & Pauli, in relatione quam de ipſa edidit, ſcribit: *Orantes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut intercedentibus ſuis Sanctis Apoſtolis, maculas veſtrorum peccatorum purget, & in ſua vos conſervet.. voluntate perſeverantes vos reddat &c.* Declarat quid orationes Sanctorum proſint, dicens, „ ſolum Chriſtum poſſe primam gra„ tiam nobis mereri, ideſt remiſſio„ nem peccatorum, orationes autem „ Sanctorum tantum valere ad tollen„ das peccatorum reliquias, impedi„ menta, & occaſiones. Inſuper ex Euſebio *Lib. 6. hiſt. Cap. 4.* narrat, „ quod quædam virgo nomine Pota„ miæna ſub Severo Martyrium paſ„ ſa, poſt tres dies apparens cuidam „ Baſilidi, qui ejus honeſtatem prę„ ſervaverat, cui & poſt mortem a „ Deo retributionem impetraturam „ promiſerat, dixit „ *ſe gratiam a Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe &c.* Quare Baſilides ſtrenue Martyrium ſuſtinuit. Ecce illius interceſſione Martyrium Pagano impetratum. Poſſem proferre etiam Conſtantini edictum per univerſum Orbem promulgatum in honorem Principis Apoſtolorum. Legantur reliqua documenta præclariſſima apud Pereſium de vetuſtate invocationis, & cultus Sanctorum.

81. Suſcipis *pag. 425.: Frater profert Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Hieronymum in morte Paulæ, quin paginam indicet.* Nimium, bone vir, paginam etiam velle indicatam! Jam video, lineam ipſam te ſciſcitaturum. Nimium enimvero. Si editio diverſa ſit, pagina non cohærebit. Ita mihi accidit: ſæpe paginam auctorum indicas, præſertim Panigarolæ; qui autem apud me ſunt libri, cum in editione a tuis differant, diligentia tua nihil proficio: ſi una tantum eſſet editio, tunc, ad fugiendum laborem, prætendere poſſes indicium paginæ. Parco moleſtiæ tuæ, dum videas cauſam tuam peſſum ire. Poſtulas, *an Sanctorum invocationem docerent, qui putabant mortuos vivorum facta non cognoſcere?* indeque contendis probare, Patres a Panigarola relatos, inter quos Ambroſium, & Auguſtinum, in hac opinione fuiſſe. Jam ad hęc ſatius dixi; attamen patiar te audire, ea tolerantia quam tu non habes. D. Ambroſius de obitu Satyri fratris ſui ajebat: *Si ſcires quæ nunc ſint Italiæ mala ab hoſte propinquo, heu quæ ſuſpiria, qui dolor tuus eſſet!* Dicere & ego poſſem: *Ubi hæc dicit?* Sed jam indicavi. Iterum muſſitas, Divum Hieronymum, circa finem Epitaphii Nepotiani ſui, dicere: *Teneamus mente, quem non poſſumus corpore, nec deſinamus loqui, quem non poſſumus alloqui.* Inde exclamat: *O felix Nepotiane, qui iſta non vides, iſta non audis!* Inſuper: *Abſurdum videbitur quidquid dicturus ſum, quia ille non audit.* Et D. Auguſtinus *cap. 13. de cura pro mortuis* ait: *Si animæ defunctorum viventium rebus intereſſent &c. nunquam me deſereret pia mater mea: quæ dum in vivis erat, me ſequebatur terra, ac mari.* Et poſt: *Si non interſunt parentes, quinam ex aliis mortuis ſcient quæ vel agimus, vel patimur?* Et eodem loco: *Defunctorum ſpiritus ſunt in loco, in quo non vident quæ fiunt, vel quæ in hac vita homi-*

homi-

hominibus contingant. Ita D. *Chryſoſtomus Hom.* 18. *in Epiſt. ad Rom.*: *Ad quem refugies? Quem implorabis auxiliatorem? Abrahamum? Sed non audiet. Num Virgines illas? Sed neque ipſa dabunt de oleo ſuo. Gregorius ipſe Nazianzenus, qui videtur auctor invocationis Sanctorum, in Oratione funebri de Sorore Gorgonia ipſam alloquitur, incertus utrum exaudiat: Si aliquem reſpectum habeas, ſi anima ſancta rerum ſcientia donantur, excipe allocutionem noſtram.* Et in *prima Oratione in Julianum exclamat*: *Audi grandis anima Conſtantii, ſi tamen ſenſum quempiam habes.* Faſtidioſam retuli cantilenam tuam, ut quiſque capiat quo uſque excedat ignorantia tua, non minori pollens perfidia. Parum hic ſiſtamus, memores eorum quæ num. 50. & 51. diximus cum D. Auguſtino, nempe defunctorum animas, attenta eorum conditione, et ſtatu connaturali, viventium facta neſcire, niſi dignetur Deus ipſis revelare, variis autem multiſque modis Deum hanc ipſis notitiam communicare: quod præſertim de Sanctis, & Martyribus verificatur, *de cura pro mort. cap.* 16. Quanquam vero fateatur, hanc quæſtionem captum ſuum vincere, pro certo tamen aſſerit, quod Martyres divina virtute *vivorum rebus interſunt.* Quo poſito, facile ad objecta tua fit ſatis. D. Ambroſius incertus erat an frater Satyrus inter Beatos receptus eſſet; idcirco eum alloquebatur, quaſi neſciret quæ hic eveniunt. Loquens tamen de Sanctis, qui ſint exorandi, abſolute dixit hæc ſcire, *Lib. de Viduis cap.* 9.: *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, Martyres obſecrandi... iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri præſulis ſpeculatores vita, actuumque noſtrorum: non erubeſcamus eos interceſſores noſtra infirmitatis adhibere, qui & ipſi infirmitatem corporis, etiam cum viverent, cognoſcebant.*

82. D. Hieronymus Nepotianum jam mortuum conſiderabat, & longe a converſatione vivorum quam antea habuerat; hinc merito dicebat: *Non videt, non audit*, & quod ipſum alloqui non poterat, ideſt ſicut prius, dum in vivis ageret. De Sanctis autem aliter loquitur. In *Epiſt.* 22. alias 25. *ad Paulam ſuper obitu Blaſillæ*, quam beatam jam eſſe ſibi ſuadebat, hæc habet: *Loquitur illa & alia multa, qua tædeo, & pro te Dominum rogat, mihique, ut de ejus mente ſecurus ſim, veniam impetrat peccatorum.* In *Epiſt.* 53. alias 29. *ad Theodoram Viduam*, loquens de conjuge ejus, quem in Cælis ſupponebat, ait: *Jam ſecurus, & victor te aſpicit de excelſo, & favet laboranti, & juxta ſe locum præparat, eodem amore, & eadem charitate &c.* Videatur adverſus Vigilantium textu a me allato num. 77., & te pudeat Picenine adverſus Sanctos auſum fuiſſe appellare illum, qui præ ceteris contra Vigilantium pro cultu, & invocatione Sanctorum acriter, ac ſtrenue pugnavit. Ad textum D. Auguſtini peſſime propoſitum jam dixi, & quo ad præſens attinet, dico animas defunctorum intereſſe vivorum rebus, quibuſdam perſuaſum fuiſſe ex eorum viſionibus. S. Doctor, poſtquam docuerat in Dei providentiam hæc eſſe refundenda, non in naturales cauſas, ſubdit: *Si rebus viventium* naturaliter *intereſſent anima mortuorum, & ipſa nos, quando eas videmus, alloquerentur in ſomniis, ut de aliis taceam, me ipſum pia mater nulla nocte deſereret, qua terra, marique ſecuta eſt, ut mecum viveret*: & certiſſimum eſt nec etiam Parentes defunctos naturaliter cognoſcere, & intereſſe vivorum neceſſitatibus; ſed cur Picenine taces quæ Sanctus Doctor infra ſubdit *Cap.* 15.? *Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hic agatur, ſed dum hic agitur, poſtea vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt. Poſſunt & ab Angelis, qui rebus qua aguntur hic præſto ſunt.... Poſſunt etiam ſpiritus mortuorum aliqua, qua hic aguntur, qua neceſſarium eſt eos noſſe, & quos neceſſarium eſt ea noſſe, non ſolum præterita, vel præſentia, verum etiam futura, ſpiritu Dei revelante, cognoſcere.* Quare a te iſta diſſimu-

ſimulantur? Quare & ea taces, quę *Cap.* 16. idem S. Doctor ſcribit de Martyribus, qui a nobis invocantur?

83. Quod attinet ad Chryſoſtomum, nunquam hercle ipſum legiſti, quippe cognoviſſes non ibi de vivis ſermonem habere, quaſi nihil a mortuis valeant exſpectare, ſed de nobis loquitur poſt obitum noſtrum, dicens, niſi hinc nobiſcum detulerimus charitatis opera, & Chriſtum hìc in terris cibaverimus, nec adjutorium ab Abraham, nec a Virginibus oleum ſperare poterimus. Ecce verba illius: *Si hìc verbo tantum obſtupefactus es, quando illo abieris, multoque his graviora audieris, videriſque tormenta immedicabilia, quid dices? Ad quem refugies? Quem implorabis auxiliatorem, ac auditorem? Abrahamum? Sed non audiet. Virgines illas? Sed neque ipſa tibi de oleo ſuo dabunt.* Cur, vir fidelis, & verax, non legiſti apud Chryſoſtomum *Hom. 45. de Sancto Meletio, Hom. de Sanctis Bernice, Proſdoce, & Domnina*, & alibi, ubi vere didiciſſes an Chryſoſtomus judicet Sanctos nullam de nobis curam gerere, vel potius ſumma charitate bona noſtra promovere? Nazianzenus ita loquitur, non quaſi dubitantis, ſed aſſeverantis affectu. Dum Gorgoniæ dicit: *Si quidquam reſpectus habes, ſi Sanctorum anima rerum notitia donantur*, non dubitat ſanctas animas hujuſmodi gratia privari, quinimmo ſupponit. In allocutione tamen ad Conſtantium utique dubitanter loqui aſſentior, dum ait: *Si tamen aliquem ſenſum habes*; ſiquidem Nazianzenus Conſtantium non implorabat ut Sanctum, ſed orationem ſuam in ipſum convertebat, quem non audire ſuſpicari poterat, quia quam Deus Sanctis impartitur gratiam, exaudiendi preces noſtras, non omnibus defunctis elargitur. Paucis poteram a technis tuis me expedire, ſed gratioſe tecum agere volui, ſingulis ſatisfaciendo. Enimvero Patres illi, crederent, necne, Sanctos res noſtras exploratas habere, certiſſime credebant Deum noſtra cuncta intueri, ſicut preces eorum cognoſcere, qui Sanctos orant, & invocant. Deus autem, cum gratum habeat, ad ædificandam fidem Chriſti, per Sanctorum merita interpellari, & gratias impartiri, Sanctorum preces exaudit, quas ſemper exhibent pro devotis ſuis: quę eſt doctrina D. Auguſtini *de cura pro mortuis cap. 16.*, cujus verba ſupra retulimus num. 50.

84. Cum dictum ſit, Nazianzenum, alioſque, ad defunctos ſermones ſuos convertiſſe, argumentum hinc Picenine ſuſcipis, tum in Apolog. *pag.* 426., tum in Triumph. *pag.* 265., nimirum, *Sermones illos, quos Patres ad defunctos convertebant, nonniſi apoſtrophes eſſe, & figuras rethoricas. Alloquebantur interdum defunctorum animas, ſed & ad res ipſas inanimes perorabant, ut memoratus Nazianzenus* in Oratione Paſchatis: *O magnum, & ſanctum Paſcha, expurgatio totius Mundi, tecum loquor quaſi quid animatum; & ſic oratores iſti, converſionibus ſuis, & exclamationibus rethoricis, auctores fuerunt invocationis Sanctorum.* Nemo enimvero alterum poteſt invocare, niſi ad ipſum converſus a quo auxilium petit, & per conſequens media apoſtrophe. Invocantes Deum, Chriſtum, & Sanctos vivos, apoſtrophes facimus ad Deum, ad Chriſtum, ad Sanctos vivos. Quod ſi allocutiones Sanctorum Patrum idcirco invocationes non erant, cum apoſtrophes eſſent ad Sanctos defunctos, quæ erga res inanimes etiam adhibentur; neque ad Deum, Chriſtum, & Sanctos vivos fieri poterunt invocationes, cum abſque apoſtrophe nequeant invocari, quemadmodum invocantur etiam res inanimes. Ad Deum convertimur, opem petentes, & miſerationem; ad Chriſtum convertimur ut mediatorem, ad Sanctos vivos, ut pro nobis orent. Porro ſi prælaudati Patres alloquuntur per apoſtrophes ad Sanctos, qui jam deceſſerunt, eos deprecantes, obſecranteſque, ne apud Deum cauſas noſtras deferant, nobis etiam promittentes illorum operam, & tutelam; quomodo vales aſſerere, Patrum oratio-

tiones ad Sanctos meras eſſe apoſtrophes, & exclamationes rethoricas? Si *apoſtrophes faciebant Paſchati, Soli, Lunæ, draconibus, & montibus, quæ certe non invocabant*, ergo ne ejuſdem rationis erant quæcunque ab ipſis fiebant apoſtrophæ? Quis non videt perverſiſſimam eſſe hanc illationem, a ſola Picenini dialectica conflatam?

85. Quod a Panigarola, & Segneri hanc veritatem prædicatam audias, Apolog. 426. ipſos carpis, inquiens, *Suſanna duos iſtos ſenes eſſe, hanc accuſantes fidem violaſſe Deo, myſtico Joakimo, Sanctis tribuendo cultum ipſi debitum*. Vere Lutherus, & Calvinus Suſannæ improbi calumniatores ſunt, non Panigarola, & Segneri, Eccleſiam nempe criminantes adulteram, eo quod invocet Sanctos. Libri autem, quos, quia tibi adverſos, rejicis, ſi Patrum non ſint, quorum nomina uſque ad hæc poſtrema ſecula retinuerunt, auctorem tamen illis coætaneum, quicunque ſit, agnoſcunt, vel ſaltim parum remotum ab eorum ætate: quare idonei ſunt teſtes. Hinc liber, in quo Virgo invocatur, ſi non ſit D. Athanaſii, auctoris tamen eſt, ut ipſe fateris, Seculi VI. Si vero Chryſoſtomi non ſit *Hom. 66.* ad populum Antiochenum, parem tamen illi habet vetuſtatem, & ſic de ceteris. Chryſoſtomi tamen negari nequit *Hom. 26. in 2. ad Cor.*, in qua Sanctus ille Pater Imperatorem deſcribit ad ſepulcrum Apoſtolorum proſtratum, & exorantem. Liturgia etiam ejus nomine inſcripta ſua habenda eſt, & inepta ſunt momenta, quæ, ut Chryſoſtomo eam neget, Rivetus adducit: immo ſupra, tu ipse illam citaſti. In ista invocantur D. Nicolaus, Apoſtoli, & Martyres, qui tanquam legati exorantur pro fidelibus intercedere apud Deum. Sermo etiam ille *de Sanctis*, ſicut & alter, in quo auditores ſuos auctor hortatur invocare S. Stephanum, a P. Semery citati, ſint, ut tibi placet, Divi Auguſtini illegitimi fœtus, parum refert, cum jam oſtenderim a vero Auguſtino aſſeri Sanctos Martyres nominari, qui precibus ſuis juvarent, ut patet ex *Lib. 20. contra Fauſtum cap. 21.*, nec tantum nominari ad menſam, ſed exorari, & invocari, non equidem ut Deos, ipſis offerendo ſacrificia; quod & nos pariter fatemur, quia Sacerdos: *Deo, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoriam ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum*. Quod vero D. Auguſtinus *Lib. 22. de Civitate Dei cap. 10.* aſſerat, *Martyres nominari quidem apud menſam, non invocari*, notare diligentius Picenine debebas quæ invocatio ſit, quam ibi Sanctis negat, cum ſubdat: *Deo quippe, non ipſis ſacrificat*. Martyribus igitur invocationem illam negabat, qua invocatur ille, cui ſacrificatur, quemadmodum Dæmones volebant invocari, ideſt invocationem negabat Deo propriam, non vero interceſſionis. Immo in *cap. 8.* ejuſdem libri plurima refert miracula, a Deo patrata ad Martyrum memorias ex eorum interceſſione; & *cap. 9.* ait, miracula illa facta eſſe a Deo per ſe ipſum, ſive per miniſtros ſuos, aut per ſpiritus, aut per orationes Martyrum: *Ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus, fiant*. Hęc Auguſtinus: & tu irrides miracula, & Sanctos negas orare, & impetrare? S. Doctor *cap. 10.* item aſſerit, Martyribus Templa non ædificari ut Diis, ſed memorias ut defunctis hominibus, quorum ſpiritus vivunt apud Deum: & Altaria erigi, non ut ipſis ſacrificetur, ſed Deo: & hoc Sacrificium eſſe Chriſti Corpus. Quare autem non vis Templa in Martyrum memorias, non vis Altaria, non Sacrificium quod ſit Corpus Chriſti, nec quod Deo offeratur in memoriam Martyrum? Hæc porro quæ a D. Auguſtino præſcribuntur, a nobis cuncta fiunt, a te vero nulla. Quis igitur vetuſtatem ſequitur, qui uſus Eccleſiæ antiquæ accommodantur, tui, an noſtri? Tandem in Triumpho *pag. 264.* cogeris fateri, *ab Eccleſia veteri creditum fuiſſe iſtos pro viatoribus orare*, quod prius

us negaveras; attamen *non ſequi, quod ergo viatores ipſos invocarent*. Credebant fideles illorum temporum, Sanctos pro ipſis orare, & Deum eorum preces exaudire: porro autem in ſuis neceſſitatibus, nec ipſos invocabant, nec auxilium ab ipſis preſtolabantur? Optime ſequitur, Eccleſiam antiquam crediliſſe Sanctos orare, ergo Sanctos ipſa deprecabatur, & implorabat. Addo, etſi Sancti orationes noſtras non audirent, invocandi adhuc eſſent, quia audit Dominus, cui placet a nobis ipſos exorari, & gratias per eorum merita nobis elargiri. Fateris, *tribus primis ſeculis annuatim Martyrum memorias celebrari conſueviſſe, & dies illorum obitus, natales ipſorum dies fuiſſe nuncupatos. Quod perſpicuum omnino eſt, non tantum apud Tertullianum Lib. de coron. militis cap. 3., & Cyprianum Epiſt. 34., ſed et apud Origenem Homil. 3. in diverſ.* Negas tamen *invocari conſueviſſe, & cultum religioſum ipſis tributum fuiſſe, ſed tantum civilem &c.* Quæſo te, qui ritus eſſet anniverſariæ commemorationis, & natalis diei? Quomodo non invocabantur Martyres, qui pro vivis orare credebantur? Origenes, & Cyprianus teſtantur conſueviſſe ipſos invocári, & obſecrari: et adhuc id negas credere? Aſſerunt, memorias Martyrum, tanquam dies feſtos, anniverſaria pompa celebrari, qui certe profani ritus non erant, ſed religioſi: Pſeudoreformati autem nec horum veſtigium habere patiuntur: hoc ergo eſt Eccleſiam reformare, et ad vetuſtos mores revocare?

86. P. Semery ex D. Gregorio Nazianzeno *Orat.* 18. hoc factum refert „ Cyprianus, adhuc gentilis, ar-
„ te Dæmonis virginem péllicit ad li-
„ bidinem, Juſtinam nomine; quæ B.
„ Virginem implorando, & honeſtatem
„ ſuam tuetur, & Cyprianus ad De-
„ um convertitur. „ Nazianzeni verba ſunt: *Virginemque Mariam ſupplex obſecrans, ut periclitanti virgini ſuppetias ferret ... dum procus virginis nuptias ambit, a Chriſto ipſe deſpondetur... Virgo ſuperat, Dæmon ſuperatur.* Factum hoc, quod Seculo III. Virginis invocationem ratam faceret, quamvis a Nazianzeno ſummæ fidei Doctore narratum ſit, verſutiam omnem a Dallæo hauſtam adhibes, quo nulla ipſi fides præſtetur; quare inquis, *Nazianzeni orationes abſurdiſſima continere. Orat. 22. narratur, ſeptem fratrum Machabæorum Matrem ſanguinem illuſtrium filiorum ſuorum excepiſſe, & eorum reliquias adoraſſe, quod ab illius hiſtoriæ ſcriptore Joſepho Hebræo non dicitur: cultus nunquam a Judæis receptus, quorum nemini licebat nec ipſum cadaver tangere.* Quibus inique omnibus Nazianzeni Orationibus fides, & auctoritas elevatur. Reſpondere poſſem, hæc a Nazianzeno ample dicta fuiſſe, quæ illius inclytæ Matris magnanimitatem auditoribus ſuis fortius ſuaderent. Sed qui legerit *Lib. 2. Machab. cap. 7.* quæ magnanima illa Mater, Spiritu Dei fervens, dixit, atquæ egit, quamvis non ibi legatur ſanguinem collegiſſe, & filiorum adoraſſe reliquias, a vero abeſſe non reputabit, in æſtu illo zeli non intentaſſe quæque etiam ſcripto non referuntur. Subdis, *Auctorem illius hiſtoriæ Cyprianum fingere incantatorem, poſſeſſum a Dæmone, Juſtinæ amaſium, per ipſam converſum, cum aliis circumſtantiis, quæ repugnant his quę tradit Pontius Diaconus, nec conveniunt Cypriano Carthaginenſi.* Quis Cyprianum illum Carthaginis Epiſcopum eſſe dixit? Billius, & Pamelius hunc, de quo Gregorius narrat, alium fuiſſe autumant a celebri Epiſcopo ſcriptore, & Martyre, qui paſſus eſt ſub Gallieno, ille vero ſub Claudio, vel Diocletiano. Ita etiam ex parte Baronius in Martyrologio *ad diem 26. Septembris*. Secundo, cum ipſo Niceta *in Scholiis ad Orat. 18. Nazianz.*, reſpondetur, veriſimile eſſe, Cyprianum, de quo Nazianzenus, Epiſcopum illum fuiſſe, & Martyrem Carthaginenſem, ante converſionem ſuam Juſtinæ amatorem, quanquam Pontius Diaconus in ejus vita id prætereierit. Utcunque ſit, etſi Nazianzenus ex æquivocatione nominis unum Cyprianum pro altero

deſi-

deſignaſſet, hac eadem æquivocatione ipſe laboras Apolog. *pag.* 40. uno Georgio pro altero accepto, Epiſcopo pro milite, Ariano pro Catholico. Quod autem Nazianzenus erraverit in hiſtoria Cypriani cum Juſtina, idcirco ipſum erraſſe contendis circa invocationem Virginis; & ego contendam in reliquis te defeciſſe, cum circa Georgios defeceris. Nazianzenus, aut, ut tu ais, illius narrationis auctor, aſſerit ætate ſua celebrari ſacrum feſtum in honorem D. Cypriani, & ad ejus cineres miracula fieri, Dæmones fugari, infirmos ſanari, futura prænuntiari. Auctor invocat D. Cyprianum: *At ut nos e Cælo benignus aſpicias, ſermones noſtros, ac vitam gubernes, ſacrumque hunc gregem paſcentem adjuves*: & hæc hallucinatio erit? Reſpondes, auctorem id narrare non ſecundum ea *quæ in uſu erant temporibus utriuſque Cypriani, ſed juxta ſui ſeculi praxim*. At narrator in *Orat.* 18. eſt ipſe Gregorius Nazianzenus, qui floruit uno vix ſeculo poſt martyrium utriuſque Cypriani: neque credibile tum Eccleſiæ uſus fuiſſe immutatos, & irrepſiſſe ſuperſtitioſos cultus, adeo Deo odibiles, ut tu ais, nec unus eſſet qui eos deteſtaretur, aut calamo perſtringeret. Si autem auctor iſte non ſit Nazianzenus, profeſatur qui ſit, quando vixit, quoniam ad uſum ſui ſeculi loquitur. Illius auctoris calamitas eſt, narraſſe de invocatione Virginis, quam antiquitus adhibitam nolles concedere; quamobrem auctor nuperus efficitur.

87. In Triumpho *pag.* 266. hariolaris, *a Jeſuita validum non poſſe argumentum proponi, quod Virgo ante Epheſinam Synodum invocari conſueverit; quemlibet autem cultum ipſi præſtitum poſteriorem eſſe*. Epheſina Synodus non id certe mandat, cum nullus habeatur Canon de Maria Virgine, præter quod appellanda ſit *Deipara*. Neque id tunc novum, cujus fides antea vigebat; etenim cum Anaſtaſius Presbyter partium Neſtorii in diſputatione Conſtantinopoli habita primus pronuntiaverit has voces: *Nemo Mariam Deiparam vocet*, Evagrius refert *Lib.* 1. *hiſt. cap.* 2. populum offenſum fuiſſe, & hanc reputaſſe blaſphemiam. Antea igitur *Deipara* vere credebatur. Unica ratio, qua tibi ſuadere valeas, invocationem, & cultum Virginis exordium habuiſſe a Synodo Epheſina, illa eſſe poteſt, nempe ab hac Synodo præſcriptum fuiſſe dicendam eſſe *Deiparam*. Atqui, ut oſtendi, *Deipara* credebatur etiam ante præfatam Synodum; ergo jampridem invocabatur, & colebatur. Utque invocatio, & cultus Virginis ex tunc præclarior haberi cœpit, etſi a Neſtorio ejus maternitas impugnaretur, quemadmodum fides, & notitia Sanctiſſimæ Trinitatis præſtantior facta eſt, Ario in eam blaſphemante. Verum nec a Nicæna I. fides Trinitatis inſtituta fuit, nec ab Epheſina Virginis invocatio: a vero quippe alienum omnino eſt, fidem immutatam fuiſſe, nemine reclamante. Immo tum invocatio, & cultus Virginis longe, lateque adauctus ſit Seculo IV. & V., evidens fit Chriſtianos priorum ſeculorum crediſſe, Virginem poſſe, ac deberi pie, & religioſe coli, atque invocari. Epheſi Templum erat Deo erectum in ejus honorem, & Mariana Eccleſia dicebatur: *Sancta Synodus in Eccleſia, quæ vocatur Mariana, congregata eſt*. Ita D. Cyrillus *Tom.* 4. *Apolog. ad Theodoſ.* In iſta habita fuit Epheſina Synodus, & erat Eccleſia major illius urbis, jampridem, non tunc erecta: quod ſane evidenter probat Virgini ſacrum cultum antea Epheſi exhibitum fuiſſe. Ad hæc. In ejus honorem feſti dies celebrabantur, ut conſtat ex Homilia Procli Ciziceni, Conſtantinopoli habita in majori Eccleſiæ, dum illam ſedem Neſtorius profanabat: *Virginea panegyris, frequenſque, ac celebris hic conventus feſta hac luce, linguam ad laudem provocat .... Ecce enim & terra, & mare Virginem honorant .... Sacra Virgo Maria in unum nos cogit &c.* Ergo aut univerſa Eccleſia à vetuſta apoſtataverat fide, ſuperſtitionem, & idololatriam ſequuta, quod

quod iniquum eſt dicere, aut cultus erga Virginem in uſu erat, & primis ſeculis vigebat.

88. Ad confirmandum aſſertum tuum, in Triumpho *pag. 267.* teſtem exhibes apud te ſummæ auctoritatis, non vetuſtum ſcriptorem, ſed *F. Paulum Sarpi*, ſive *Petrum Suavem*, in hiſtoria, vel melius *Satyra* adverſus Synodum Tridentinam *Lib. 2. pag. 186.* Auctor iſte Proteſtantibus acceptus eſt valde, atque hic quomodo Virginis cultus gradatim creverit ob oculos diſponere contendit, quem ab Epheſina Synodo originem nimirum habuiſſe tradit. Fr. Pauli auctoritas in hujuſmodi rebus, comparata firmiſſimis, graviſſimiſque vetuſtatis teſtimoniis, nihilum pendet. Eandem auctoritatem, & pondus habent quæ ſubdis, *non legi* ſcilicet, *Potamianam Alexandrinam virginem, etſi a pluribus impudicis procis ſolicitatam, Virginem invocaſſe, neque Theophilam, quanquam ab ipſo Diocletiano tentatam, invocaſſe Jeſum vice Mariæ*; quippe ſi non legitur, a Potamiena Virginem invocatam fuiſſe, legitur tamen Baſilidi promiſiſſe, ſe poſt mortem Jeſum rogaturam pro converſione ejus, quod & fecit, *Euſeb. Lib. 6. hiſt. cap. 5.* Credebatur igitur Sanctos pro vivis orare; qui ſi orabant, quare invocari poſſe non credebatur? Si autem de Martyribus, cur non ita de Virgine? Neque hoc argumentum eſt negativum, quale tuum, de cujus ineptæ argumentationis genere videantur quæ Domnus Fontaninus ſcribit in ſua Diſſertatione *de Corona ferrea Longobardorum pag. 68. 60.* Theophila Jeſum invocavit, & Angelum habuit viſibilem ſui cuſtodem, qui perterritos retrocedere fecit quotquot impudico corde ad ipſam veniebant: quod prodigium ſi de noſtris Virginibus diceretur, a te tanquam fabula rideretur. Videatur Baronius *ad ann. 301. num. 33. 34. 35.* Continere poteras in Triumph. *pag. 268.* voces illas, nempe, *imprimis illis tribus ſeculis Tertulliani, Arnobii, Origenis, Cypriani, Chriſtianos a Gentilibus non fuiſſe reprehenſos quod Martyres vel colerent, vel invocarent, ſed unum tantum hominem crucifixum; quarto autem, & quinto ſeculo culpatos inde fuiſſe*: etenim his jam dictum. Nunc addo, nihil id conficere, quemadmodum nihil ad ſuadendum haberet virium, ſi diceretur priſcæ illius ætatis Chriſtianis imputatum non fuiſſe, quod plures colerent Deos, atque ideo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres Perſonas non crediciſſe diſtinctas, ſiquidem Gentiles, capere non valentes tres Perſonas unum eſſe Deum, profecto repugnaſſent ab illis plures coli Deos, non minus quam ſi Martyribus cultum exhibuiſſent. Quemadmodum igitur primis tribus illis Chriſtianæ religionis ſeculis, ne Paganis anſam præberent eos diffamandi plurium Deorum cultores, Perſonarum Trinitatem ipſis occultabant, ita perſecutionum temporibus Virginis, & Sanctorum venerationem palam proferre abſtinebant; quam poſtea, ceſſatis perſecutionibus, Julianus Apoſtata, & Manichæi obtrectarunt, ut ſupra oſtenſum fuit.

89. Bene habes igitur in Triumpho *pag. 268.*, quod nempe *falſum ſit Calvinum dixiſſe, illorum ſeculorum Patres omnem operam, quantum in ſe erat, adhibuiſſe, ut Sanctorum cultum tollerent*. Si autem Patres illi hunc cultum non evulgarunt, neque ipſum damnaſſe proferas. Addo inſuper, neque a poſteriorum ſeculorum Patribus reprobatum fuiſſe, dum, ut ipſe ais, ſive *Frater Paulus Sarpi* cultus antea ſoli Chriſto exhibitus *ſenſim cœpit Matri etiam attribui, & quilibet cultus ipſi redditus a Epheſina Synodo poſterior eſt*. Quis igitur hunc tollere intentavit? Iconomachi hanc ſibi provinciam ſumpſerunt, ſed Eccleſia ipſos terruit in Nicæna II. Alii etiam id auſi ſunt, ab Eccleſia tamen ſemper proſcripti. Eccleſia igitur nunquam Sanctorum cultui contradixit, quamvis Picenine non invenias ab univerſa Eccleſia ſemper frequentatum fuiſſe. Si autem iſta non contradixit, qua fronte Calvinus *Lib. 3. Inſt. cap.* 20.

20. §. 22. hunc cultum impium appellat? Eccleſia ne ſemper permiſit, vel ſuſtinuit impietatem? Impium voco, quod Eccleſia, & pientiſſimi fideles proſcripſerunt, & abominati ſunt, qui non cultum Virgini, & Sanctis exhiberi, ſed denegari condemnarunt. Impius itaque non eſt Virginis, & Sanctorum cultor, ſed deſertor. Sanctorum ergo, & Virginis cultum commendemus D. Auguſtini verbis *de verb. Apoſt. ſerm. 10. cap. 2.*, nunc *ſerm. 176.* de parvulorum Baptiſmo: *Nemo vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit. Hoc a majorum fide accepit. Hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit*. Tres conſuetudinum ſpecies S. Doctor diſcernit *Epiſt. 118. cap. 5.*, nunc *Epiſt. 54. ad Januarium*; aliæ quas *divina Scriptura praſcribit auctoritas*, aliæ quas *toto Orbe ſervat Eccleſia*, aliæ quæ *per loca, & regiones variantur*. De primis: *Non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus*. De ſecundis: *De quibus diſputare quin ita faciendum ſit, inſolentiſſima inſania eſt*. De ultimis: *Id faciendum eſſe, quod in qualibet Provincia, neque contra fidem, neque contra bonos mores ſervari ſolitum eſt*. Porro cum jam probatum fuerit, uſum invocandi, & honorandi Virginem, & Sanctos, firmum habere in Scripturis fundamentum: *Non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus*. Inſuper, cum ipſi accedat praxis toto Orbe ab Eccleſia ſervata, quæ omnibus ſeculis id habuit, & tenuit, nec unquam legatur vetitum fuiſſe, ſed contra proſcriptos eſſe quotquot intentarunt id prohibere, vel impedire: *De hoc diſputare quin ita faciendum ſit, inſolentiſſima inſania eſt*; eo vel magis, quod Calvinus, objecto ſibi Sanctos vivos invocari poſſe abſque injuria mediatoris Chriſti, quare non item Sanctos defunctos? nihil ultra valet reſpondere *Lib. 3. Inſt. cap. 20. §. 27.*, quam: *Tametſi fideles ultro citroque preces apud Deum pro fratribus offerunt, hoc nihil unica Chriſti interceſſioni derogare oſtendimus, quia omnes ſimul ea ſubnixi, tam ſe, quam alios Deo commendant*. Porro ſi & nos faremur, preces, ſive quas nos ad Sanctos, ſive iſti pro nobis ad Deum fundunt, cunctas fieri Chriſti interceſſione ſubnixas, quid Picenine mala verba ſuſurras?

90. Ad integram hujus quæſtionis conſummationem recurrant Græci, & Latini Patres, qui calculis ſuis inanes omnes adverſariorum ſcrupulos, vanoſque metus reſolvant. Vetuſti Patres alieni adeo erant, quod Martyribus, Sanctiſque exhibitus honor excellentiam Chriſti mediatoris offenderet, quin potius ex eo cultu, quem Imperatores, & Reges ad Martyrum memorias proſtrati ipſiſmet deferebant, quæ Chriſti potentia eſſet, & veram ejus divinitatem commendandam aſſumebant. Ex Græcis Chryſoſtomus in libro *quod Chriſtus ſit Deus*, inter varias quas affert rationes adverſus Gentiles pro divinitate, & potentia Chriſti, & veritate ſuæ Religionis, una eſt cultus præſtitus nedum ipſius monumento juxta Iſaiæ vaticinium *Cap. 11. 10.*; *Et erit requies ejus honor*, ſed ipſis etiam diſcipulorum ejus memoriis: *Non in ipſo tantum, ſed in diſcipulis ejus hoc contigit. Nam.... qui innumera patiebantur, dum vivebant, ubi defuncti ſunt, Regibus ipſis erant magis venerabiles; etiam Roma, qua Urbium eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad ſepulcra Piſcatoris currunt & Reges, & Præſides, & Milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, ſiantque Piſcatorum oſtiarii Reges*. Hoc argumento Theodoretus oſtendit Chriſti divinitatem Græcis idololatris, in opere *de curatione Graecarum affectionum Lib. 8.*, ubi de Martyribus loquitur, de quo in ſequenti Articulo redibit ſermo. Ex Latinis unus pro omnibus ſatis eſt Auguſtinus. Scribens Madaurenſibus Idololatris (*Ep. 231. jam 42.*), eoſque admonens ut deinceps abſtineant illudere Chriſto, & Chriſtianæ religioni, inter cetera hoc ipſis argumentum pro-

proponit. Videte (ait) Idolorum templa jam diruta, & ſimulacra contrita, ipſos autem Imperatores, qui ad ea tuenda adeo decertabant, nunc, mutato conſilio, *contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legeſque vertiſſe, & Imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Et *in Pſal.* 34.: *Oſtendatur mihi Roma in honore tanto Templum Romuli, in quanto ibi oſtendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, niſi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Chriſtiani, non Petriani.* Hæc erat Græcorum, & Latinorum Patrum ſententia; ex honore Apoſtolis præſtito, contra Idololatras Chriſti potentiam magnificabant: Proteſtantes autem timent diſcipulorum honore magiſtri gloriam minuere? Sed non ſola vetus Eccleſia Græca, ſed ipſa ſchiſmatica eadem lingua loquitur. Teſtes ſint duo ipſius Patriarchæ; quorum unus eſt Jeremias, qui interrogatus de nonnullis articulis ſuæ fidei a Proteſtantibus Germaniæ, ad articulum de Sanctis in ſua reſponſione hæc habet: *Mediatores facimus omnes Sanctos, in primis autem, & excellenter ante alios omnes, ipſam Dei Genitricem, & Virginem Mariam Matrem Dei: cum ea autem, & Angelorum, & Sanctorum Templis, donariis, ſolatiis, ſacris imaginibus, ſcbetice, hoc eſt reſpectu ad aliud, non lautretice hoc eſt proprio Dei cultu, honorem offerimus, illiſque advolvimur: nam & hæc mediatio quædam eſt, cum Angeli, aliique Sancti, atque adeo non minus ipſa Mundi Domina, pro quibus orabit*, id eſt pro illis qui digni ſunt, & capaces. Deinde explicans modum, quo Orientalis Eccleſia Sanctos, & Virginem deprecatur, inquit: *Et Dominam quidem noſtram hoc modo: Sanctiſſima Domina noſtra Dei Mater, intercede pro nobis peccatoribus: Sanctos vero Angelos: Orate pro nobis &c. Omnes Sanctos oramus, ut intercedant pro nobis peccatoribus.* Ita Jeremias in *Cenſura Eccleſ. Orient. cap.* 21. Alter eſt Gabriel Alexandrinus *Epiſt. ad Clem. VIII.*, qui ita ſcribit: *Deum Altiſſimum rogamus, ut Eccleſia ſit unica, Catholica, & Apoſtolica, ſine diviſione, & ſeparatione, precibus Sanctiſſimæ Dominæ Mariæ ſemper Virginis, & optimorum Patrum noſtrorum Apoſtolorum &c.* Nunc quod præſto eſt conſenſus Eccleſiæ Græcæ, Romanæ licet inimicæ, quid amplius inquirendum reſtat ad conſenſum univerſalis Eccleſiæ?

ARTICULUS XV.

De Sanctorum Reliquiis.

§. I.

De Eccleſia veteris Teſtamenti.

1. NEque tentaſſe ſatis tibi videbatur a Templis, et Altaribus Sanctos expellere, quod cogitas etiam Apolog. Art. XII., Triumph. Cap. 26. eorum cineres exturbare, & honores, quibus eorum memoriæ, & ſepulcra excoluntur, pro conatu tuo ſubvertere; jamque, Apologiæ *pag.* 418. ſacrilegus ſcurra in ſcenam te reducis, ſic ludens: *Roma Apoſtolorum Petri, & Pauli cineres veneratur, quod ab ipſis nulla exeant voces, neque ipſam redarguant, ut illorum ſcripta faciunt.* Non Romana Eccleſia Apoſtolicæ indignationis rea facta eſt, ſed errabundus Proteſtantium grex, qui falſo reformationis prætextu, e gremio deſiluit illius Matris Eccleſiæ, quam Petrus, & Paulus proprio ſanguine fœcundarunt, & doctrinis ſuis Catholicæ religionis culmen inſtituerunt. Sed de his ſatis dictum Tom. I. de ſignis veræ Eccleſiæ, præſertim Cap. IX. De Reliquiis etiam nonnulla indicavi Tom. I. Cap. II. §. 5. Quod tamen ad præſens attinet, hic attendamus. Pater Segneri ſacris Reliquiis cultum, & venerationem exhiberi ſupponit, juxta perpetuam Eccleſiæ praxim, a Synodo Nicæna II. commendatam, quod Picenine negas, inſtructus a Marcione, a Manichæis, Juliano Apoſtata, Vigilantio, Iconomachis,

chis, monſtra omnia, a quibus non ſola recens Roma, ſed vetuſtiſſima Eccleſia, tum Græca, tum Latina, maxime abhorruit, ſicut et integra prima ſecula, non præſentia tantum quæ dicis depravata, ea proſcripſerunt, recepto Reliquiarum cultu tanquam religioſo, ac pio, & ſacrilega, ac deteſtabili habita ſemper earum profanatione.

2. Hanc veritatem Apolog. *pag.* 418. aggrederis ſtatim ignorantiæ armis, interrogationum ſcilicet globis, petens: *Si Reliquiarum uſus omnibus ſeculis creditus fuit, quare in veteri Teſtamento non reſervabant fideles partem aliquam calvariæ Jacob, pallii Eliæ, oſſium Eliſei? Quare ad collum non geſtabant ſanctas illas Reliquias?* In veteri Teſtamento non legitur adoratam Trinitatem, neque alium quam unum Deum ab ipſis agnitum fuiſſe; audientes autem Chriſtum de ſe aſſerere Filium Dei eſſe, blaſphemum dixerunt, tuleruntque lapides, ut jacerent in eum, *Joan.* 10. 31. 36. Si Picenine tuum *quare* locum habeat, excuſationem iſti habere poterant, dicentes, *quare* ſi Filius apud Deum erat, non id docuit Moyſes in ſcriptis ſuis? *Quare* Abraham, Iſaac, & Jacob non hunc agnoverunt, & adorarunt? Quod *antiqui vetuſtæ legis non habuerint Reliquiarum uſum*, probat tunc temporum hujuſmodi ritum, & diſciplinam non invaluiſſe. Quod autem tunc non invaluerit utpote illicitus, & ſacrilegus, oſtendi debet, nempe ab antiquis illis proſcriptum fuiſſe, & reprobatum. Si Reliquiarum veneratio non licet, quare proſcripta nunquam legitur, nec apparet ab antiquitate damnatus quiſpiam, qui eas honorifice tractaverit, bene vero qui contumelioſe cum illis egerit? Inquirendum non eſt an Hebræi in veteri Teſtamento Reliquias de facto venerati ſint, ſed num id potuerint, quin ipſis a Deo vetitum fuerit. Lego, quamvis Hebræi *oſſa Joſeph non fregerint, ut pendentia ad collum ex eis deferrent fragmenta*, ex Ægypto tamen demigrantes ſecum reverenter, & honorifice detuliſſe, *Exod.* 13. 19. Et ſi *Dominus viſitavit oſſa ejus, Eccleſiaſtici* 49. 19., quidquam ſancti in ipſis inhæret venerandum. Hebræi, quanquam pollutum haberent cadavera tangere, ſecum tamen deferebant: nonne hoc ſignum erat ſacri quidpiam in ipſis agnoſcere? Tactu oſſium Eliſei mortuus revixit, 4. *Reg.* 13. 21., & mortuum prophetavit corpus ejus, *Eccli.* 48. 16. Quis porro tam bardus, qui nullius honoris digna reputet oſſa illa, quæ a Deo electa fuerunt inſtrumenta digna tanti miraculi? Si Jordanis aquæ Eliæ pallio obſequium præſtiterunt, 4. *Reg.* 2. 14., quare Eliſei buſto ſacer honor non debetur? Repetamus quæ de Vigilantio D. Hieronymus ajebat *Epiſt.* 37. vel 53. ad *Riparium: Quomodo Eliſeus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſraelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Joſeph, & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt? Joſeph quoque, qui in typo præceſſit Domini Salvatoris, ſceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron oſſa portavit?* Apud Hebræos communiter cadavera immunda erant, & qui hæc tangebat polluebatur, cum a Deo vetitum eſſet ea tangere, *Levit.* 18. 8., *Num.* 10. 11., *Deuter.* 14. 8. Hæc tamen lex erga ſanctorum virorum cadavera remittebatur, erga ipſa quadam veneratione indulta, & reverentia. Enimvero ſi lignea virga, quæ Aaroni inſtrumentum mortuum fuerat ad facienda prodigia, repoſita fuit in *Sancta Sanctorum*, & in ipſa Arca cum libro legis venerabatur, quis audebit dicere, Sancti cadaver, vivum jam inſtrumentum, immo animatum Spiritus Sancti Templum, cum aliis confundendum eſſe, nullo habito reſpectu, nulla ipſi adhibita veneratione?

3. Sanctorum Reliquiæ venerationе, ac honore a nobis dignæ reputari poſſunt, cum a Deo, ſive factis, ſive

ſive verbis honoribus inſignitæ videntur; ſiquidem honor eſt teſtificatio alienæ excellentiæ, juxta D. Thomam 2. 2. *qu.* 103. *ar.* 1. Perſpicua autem quædam habemus in veteri Teſtamento argumenta a Deo exhibita in Sanctorum Reliquiis, dum viſitare eas dignatus eſt benedictionibus ſuper vivos, ut ad oſſa Joſeph fecit : aut per ea patrando miracula, quæ ſunt ſigilla quædam voluntatis ſuæ, quemadmodum fecit per oſſa Eliſei; quibus honorum teſtificationibus ſuaderi poſſumus, Deo placere Sanctorum Reliquias a nobis honorari. Quod ſi, ut Grotius advertit (*annot. ad art.* 20. *conſult. Caſſand.*), *in hac re hominibus Deus ipſe praivit, Reliquias Sanctorum honorando*, qui tibi Picenine ſcrupulus erit exemplum Dei imitari? Quando regia veſte indutum, & equo ſuo inſidentem, Aſſuerus Mardochæum per urbem miſit, præcone clamante : *Hoc honore condignus eſt quemcunque Rex voluerit honorare*, nonne idem erat ac ſubditis notum facere, hanc eſſe regiam voluntatem, quod ab omnibus honoraretur? Quare autem honoris ſigna, quibus in exuviis eorum Sanctos Deus commendavit, divinæ voces non erunt, nobis denuntiantes mereri illos a nobis honorari? Sanctorum cadavera ea ſane ſunt, *quibus, tanquam organis, & vaſis ad omnia bona opera Sanctus uſus eſt Spiritus*. Id aſſerit D. Auguſtinus *Lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 13. D. Paulus 1. *Cor.* 6. 19. de ipſis ait : *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti?* & ad *Philipp.* 3. 21.: *Reformabit corpus humilitatis noſtra, configuratum corpori claritatis ſua*. Hæc autem organa, vaſa, templa, quæ Dei tabernacula fuerunt, & ad ſummum illum honorem in reſurrectione ſervantur, non ſunt honorifice tractanda? Arca Teſtamenti, quod ſuper eam Dei gloria manifeſtabatur, in Sanctuario ſervabatur, & a manu tangi, ab oculo videri, quę ſacra non eſſent, haud temerarium, quam ſacrilegum erat : minus autem ſancta corpora reputanda erunt, quę non quaſi inanimes Arcæ, ſed vivæ, & operibus ſanctis fœcundæ, Dei gloriam toties manifeſtarunt?

4. Quæ cum ad ingenium tuum iſta intelligas non cohærere, Apolog. *pag.* 428., & Triumph. *pag.* 285. ſic contendis: *Si Sanctorum corpora in lege veteri erant cultu, & veneratione digna, quare non oſcula ipſis data? Quare non colebantur? Quare ſub Altari non diſponebantur? Quare illico ſepeliebantur? Si Sanctus e vita migrabat, corpus tumulo recondebatur. Deus ipſe corpus Moyſis ſepelivit, ne Iſraelita ipſius Reliquias ſuperſtitioſe colerent, ut notavit Chryſoſtomus Hom.* 5. *in Matth. Cadaver oſſa Eliſei tetigit, & vitam ſuſcepit, quin Iſraelitarum quiſpiam e monumento illorum oſſium compagem unquam extraheret, & adoraret*, 4. *Reg.* 131. 21. *Joſias Rex ſuper altare Idoli cetera combuſſit oſſa, qua in ſepulcris repererat, intacto tamen tumulo illius Propheta, qui hanc ultionem Jeroboamo Regi pranuntiavit. Dimittite eum (ait pius ille Rex de ſepulcro Propheta Dei.* 4. *Reg. cap.* 23. *verſ.* 16. 17. 18.), *nemo commoveat oſſa ejus. Hoc docet Sanctorum corpora in pace relicta fuiſſe in monumentis*. Ex tot exemplis, nullum ad rem facit; ad ſummum autem probant, Iſraelitas non conſueviſſe Prophetarum oſſa e ſepulcris extrahere, non vero quod in honore apud ipſos non eſſent, & venerabilia. Hęc eſt rei ſumma controvertenda; quamobrem peto ex te, dum aſſeris in veteri lege Prophetarum corpora ſepeliri, vel concedis præter ſepulturæ officium poſſe alium honorem tribui, vel negas. Si concedas, nihil jurgii inter nos remanet. Si neges, prius reſponde his quæ dixi. Interea tibi reſpondeo, Deum ipſum Moyſis corpus ſepeliiſſe, *Deuter.* 34. 6. Hoc autem manifeſtum eſt ſignum, voluiſſe ipſum honorare, quod honore dignum reputabat. Sepelivit, inquis, ſed *in abſcondito loco, ne adoraretur*. Ergo apud Hebræos Sanctorum corpora honore, & cultu digna habebantur; ſed prævidente Deo, quod exceſſiſſent, adorantes illud

velut

velut Numen, non tanquam corpus veri amici Dei, ut hoc ſcandalum impediret, in abſcondito ipſum ſepelivit. Ita Chryſoſtomus ſupra citatus: *Si enim, quia per illum fuerant de ſolo Ægypto liberati, relicto Deo, tantummodo Moyſen requirebant, ipſius eſſe prorſus cuncta illa beneficia credentes, hunc ſi introductorem quoque in terram promiſſionis habuiſſent, in qua non illi impietatis prærupta cecidiſſent? Ut igitur omnis hujuſmodi amputaretur occaſio, ipſum quoque ejus eſt occultatum ſepulcrum.* Nimium ad Idola proclivis erat ille populus, qui tanquam Deum vitulum adoraverat, & ſerpentem etiam coluit; hinc quanto magis timendum, ne, derelicto Deo, Moyſen ſibi Deum conſtitueret, cujus opera, poſt tot prodigia, ex Ægypto liber evaſerat, tot pericula in deſerto declinaverat, quem noverat ab ipſo Deo conſtitutum Deum Pharaonis? Sapienter ergo proviſum, quod morte præventus Moyſes, populum illum in terram promiſſionis non introduceret, & ſepulcrum ejus occultum omnibus eſſet, ſicut quod ejus virga lateret, & ſerpens æneus comminueretur. Inter Chriſtianos hæc non urget periculi ratio, qui Sanctos quidem colunt, ſed non ut Deos, tantumve ut ſervos Dei, & amicos, ſicque Deum in Sanctis, & in eorum Reliquiis colunt; contra vero de Iſraelitis juſta timoris ratio inſtabat, quod relicto Deo, Moyſen ut Deum adorarent. Auditum ne unquam, a Catholico adorari Sanctum, vel ejus Reliquias tanquam Deum, nempe pro Sancto Deum dereliquiſse, niſi quatenus ex livido ore Vigilantii, Gentilium, Manichæorum hæc conficta fuere, atque in præſens calumniantur Proteſtantes, qui Idololatras eſse nos volunt? *Nos* (repetam cum D. Hieronymo *Ep.* 37. ſive 13. *ad Riparium*) *non dico Martyrum Reliquias, ſed ne Solem quidem, & Lunam: non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur & in præſenti ſeculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſerviamus creaturæ potius, quam creatori... Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum cujus ſunt Martyres adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait Matth.* 10.40.: *Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Si qui Regi debetur honor Miniſtro exhiberetur, regiæ majeſtati injuria fieret, neutiquam vero ſi quæ Miniſtri propria ſunt ipſi tribuantur obſequia, dum ſic in Miniſtro Rex honoretur, ad quem omnis honoratio Miniſtri refertur. Ais, *neminem Eliſei oſſa e ſepulcro ſuſtuliſſe, & Joſiam Regem præcepiſſe ne commoverentur.* Sed hoc etiam factum in teſtificationem obſequii, dum combuſtis reliquis oſſibus, quæ in ceteris ſepulcris jacebant, monitus, in illo ſepulcro Prophetæ oſsa ſervari, ſolicitus ne quidpiam paterentur injuriæ, clamabat 4. *Regum* 23. 18.: *Dimittite eum, nemo commoveat oſſa ejus.* Quod ſi non legitur *a Joſia præſtitus ullus ſingularis obſequii actus*, præſtare tamen inculpate poterat, immo religioſe, quin Deum offenderet. Diſcere tandem Picenine debes, diſciplinam, & ritum a dogmate diſcernere. Quod actu Prophetæ alicujus Reliquiæ honorentur, res eſt ritus, & diſciplinæ, quę forte in veteri lege non exercebatur: verum an licitum, ac religioſum ſit eas venerari, res eſt dogmatis; quamobrem ſi quidquam probare contendas, oſtendere debes, in veteri lege ſuperſtitioſum, atque idololatricum reapſe habitum fuiſse Reliquias venerari. Morem, ac ritum tunc non inoleviſse D. Baſilius ſupponit *Hom. in Pſalm.* 115.: *Pro legis Judaicæ ritu, ſi qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi; contra mors ſi cuipiam irrogatur pro Chriſti nomine, pretioſa cenſentur Reliquia Sanctorum ejus. In priori lege dicebatur Sacerdotibus, & Nazaræis illud: Non contaminabitur ſuper ullo mortuo, & ſi quis tetigerit cadaver, immundus erit; nunc e diverſo Martyris oſſa quiſquis attigerit, ob gratiam corpori inſidentem ſit quadantenus ſanctificationis particeps.*

5. Factum Joſiæ, Eliſei oſſa dimittentis, conſiderans P. Semery, ait, *non ita ſe geſſiſſe Reformatos, qui ubicunque Sanctorum oſſa ad manus habuerunt, ubi audacia furere permittebantur, omnia combuſſerunt*. Triumph. *pag.* 285. ais, *hujuſmodi eſſe verba calumnia, & Jeſuitam unum exemplum debuiſſe proferre, ſi fidem ſibi aliquam mereri volebat*. Quomodo Picenine audes tam manifeſtam negare veritatem, in hiſtoriis ubique latam? Primus Henrici VIII. furor quo ſe vertit? Nonne adverſus Sanctorum oſſa? Neque de illis tantum loquor D. Thomę Cantuarienſis, cujus altare ſubvertit, ſepulcrum exterminavit, & barbarie inaudita, in judicium vocavit mortuum, rebellis ſententia, ac pœna in ipſum pronuntiata; hinc forte metuens ne ejus oſſa, ut de truncato Baptiſtæ capitè dicitur, effręni ſuæ averſarentur libidini, impie combuſſit: non de hoc uno, ſed de D. Albano loquor Angliæ Protomartyre, de Edmundo Rege a Paganis pro fide occiſo ann. 871. Quære ex hiſtoriis, quomodo Templa in iſtorum memorias Deo ſacra, quomodo illorum ſepulcra, illorum oſſa tractata? Bis martyrium paſſi ſunt, prima vice a Paganis dum viverent, altera vero jam mortui ab inſania Henrici, tanto impietatis exceſſu, quod pius, ac doctus vir, caſu præſens, Ricardus Illiardus, apud Sanderum *Lib.* 1. *de Schiſ. Anglic. pag.* 188., non abſque effuſis lacrymis hæc narrare valens, ſic fatur: *Si una mecum lector adfuiſſes, ac vidiſſes Templorum profanationes, Altarium everſiones, donariorum, ſeu oblationum direptiones, venerabilium Reliquiarum, ac Imaginum indigniſſimos cum blaſphemiis contemptus, ac violationes, non tibi (credo) temperaſſes a lacrymis, a luctu, a ſingultu; cum ea vidiſſes a Chriſtianis viris fieri, qua a barbaris Tyrannis, ac Chriſti juratis hoſtibus nulla in hiſtoria perpetrata leguntur &c.* Calviniſtæ Scoti temerario auſu non dubitarunt ob oculos Mariæ Lotharingiæ Reginæ Scotiæ invadere S. Ægidii depoſitum, quod Edemburgum devota pompa ferebatur, percuſſis portitoribus, eoque profanato, Varillas *Hiſtor. hæreſ. Lib.* 28. *ad ann.* 1568. In invaſione a Calviniſtis facta urbis Lugduni, & Cæſaroduni *ann.* 1562., S. Irenæi oſſa in publicam plateam projecerunt, & calvariam ejus ſacrilegis onerarunt ludibriis, *in vita S. Irenæi præfixa Operibus ejuſdem edit. Monach. S. Mauri*, nec D. Martini oſſibus pepercerunt. Videatur Spondanus *ann.* 1562. *num.* 11., ubi cuncta refert horrenda flagitia in Galliis a Calviniſtis intentata adverſus Sanctorum Reliquias. En non unum, ſed plura jam probata facinora adverſus Sanctorum oſſa, Sanctorum, qui *vere Sancti* ex primis ſeculis, a pſeudoreformatis tamen combuſta, profanata, diſperſa, ut de tot reliquis taceam. Enimvero non ita primęvæ ætatis Chriſtiani. Non iſti in ignem Martyrum Reliquias comburendas projiciebant, ſed venerabundi eorum cineres colligebant, & devoto conflictu oſſa eorum ab igne ſuffurabantur, quemadmodum Smyrnæi erga D. Polycarpi oſſa fecerunt, *Euſeb. hiſt. Lib.* 5. *cap.* 3. Angliæ Regina Maria regnante, ex Parlamenti edicto extumulatis oſſibus uxoris Petri Martyris, Buceri, Pauli Fagii, hæreticalium peſtium, combuſta fuerunt, ſive in ſterquilinium projecta: quod Sanderus refert *Lib.* 2. *de Schiſm. Angliæ. pag.* 333. Verum quid inde? Num & iſti Sancti forte erant, pares D. Albano, D. Edmundo, D. Irenæo, D. Martino, aliiſque primorum ſeculorum, quorum oſſa concremata fuerunt? Maria Regina, facto illo, æmulata eſt pium Joſiam Regem, qui profana oſſa ignibus damnavit, præſervatis illis Prophetæ Dei. Poſt quæ detur mihi adverſarios ſic alloqui. Si hiſtorias revolvo, Euſebium audio narrantem, ab idololatris D. Polycarpi oſſa in ignem conjecta, a Chriſtianis vero reverenter extracta. A Theodoreto *Lib.* 3. *hiſt. cap.* 7., & a Rufino *Lib.* 2. *cap.* 7. audio, Paganos flammis addixiſſe D. Joannis Baptiſtæ oſſa, quorum tamen ſuperſtites Reliquias

devoti

devoti quidam Monachi ſolicite collegerunt. Ergo qui impius, qui idololatra? Nos Catholici, qui cum priſcis Chriſtianis ſacras Reliquias veneramur, exſecrantes Paganorum impia facinora, aut vos Proteſtantes, qui toties, iſtorum inſtar, ea combuſſiſtis ſacrilega imitatione, eorum flagitia commendantes? Dubium hoc mihi ſolvite, ut inſtanter peto. Interea non vos pigeat Theodoretum audire *Lib. 8. de curandis Græcorum affect.*, ubi poſt probatam potentiam, & divinitatem Chriſti, ex magnificentia, qua Confeſſores ſuos decoravit, nedum in Cælis quo ad animas, ſed in terris etiam quo ad eorum corpora, quæ non in ſepulcris deſerta manent, ſed: *Civitates, Oppida, Paganique conventus hac inter ſe ſortito partiti ſunt, laborantibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos conſiteri non ceſſant, ac locorum præſides venerantur, quorum precibus, & interventu apud Deum utentes, per eos demum divina munera conſequuntur*, ad Græcos idololatras converſus, ſic eos aggreditur: *Vos autem Græci homines, nec hac quidem adducunt, ut Deum regem Martyrum laudetis. Sed cum deriſu damnatis eum, qui a cunctis late mortalibus eis honor defertur, abominandum ſcelus admittere vos putantes, ſi ad eorum buſta propius accedatis.* Itaque latus ubique gentium Theodoreti ſeculo, qui quarti finis erat, Reliquiarum bonor, quem ſoli idololatræ deribebant, abominandum ſcelus rati committere, ſi propius accederent religioſa pietate adSanctorum memorias. Animadvertite ſerio an hæc exprobratio vos tangat. Non capio quid Picenine indicare velis Triumph. *pag.* 280., inquiens: *Comburenda quaſi deſtinabantur Caroli V. oſſa, ſicut teſtamentum ejus, quod conſcriptum eſſet juxta Proteſtantium principia.* Scio non defuiſſe, qui tentaverit hujus Imperatoris famæ in extremis detrahere, & alibi quædam dixi ipſum vindicando. Lectorem ad *Zenoearum* mitto, qui ejus vitam & mortem quam minutiſſime deſcribit, & ad Spondanum *ad ann.* 1558. *num.* 9. Erras, inquiens, quod oſſa Caroli V. prope comburenda deſtinarentur. Calviniſtæ in expugnatione Aureliæ, poſt omnes enormiſſimos inſultus Deo, Virgini, & Sanctis intentatos, poſt ſacrorum locorum profanationes, exterminarunt monumenta Ludovici XI., Principum Longevillæ, aliaque, partim diſpergendo, partim comburendo eorum oſſa. Ibi Franciſci II., biennio ante defuncti, comperto corde, ipſum incinerarunt, & ferociori barbarie contra Joannem Franciſci I. avum ſævierunt, quod ab illis populis Sanctus haberetur, integro adhuc ejus cadavere dilaniato. Videatur Spondanus *ad ann.* 1562. *num.* 11.

§. II.

De primæva Chriſti Eccleſia, & ejus cultu erga ſanctas Reliquias.

6. A Veteri ad novum Teſtamentum tranſis, probaturus, primævam Eccleſiam Reliquias non honoraſſe, & Apolog. *pag.* 429. muſſitas, *viros timoratos ſepeliiſſe Stephanum (Act. 8.) Martyrem glorioſiſſimum. Si viri iſti pii fidem Jeſuitarum habebant, quare aliquam Reliquiam non reſervabant tanti Martyris Jeſu Chriſti? Quare in ſepulcro recondebant corpus? In antiqua Eccleſia ſepeliebantur Martyrum corpora.* Si viri timorati curaverunt Stephanum, & nos poſſumus illorum qui ſanctitatis fama decedunt corpora ſepelire, nec ea dilaniare, nec dilacerare. Vellem tandem aliquando, quod caperes cauſæ ſtatum, & diſtingueres inter diſciplinam, & dogma. E Martyrum cadaveribus oſſium fragmenta diſcerpere, in thecis reponere, ſuper Altaria adoranda publice, ac viſibiliter collocare, fidelibus oſculanda exhibere, in ſupplicationibus deferre, res ſunt diſciplinæ, & ritus: quæ ſi Apoſtolorum ætate in uſu non erant, nec ſubſequentibus etiam nonnullis ſeculis, id accidit, quod primi fidei præcones potiſſimum attendebant promulgare nomen,

&

& gloriam nominis Jeſu: neque gentilium perſecutiones hujuſmodi ſolemnes pompas fieri permittebant. Fideles tamen illi licitum, ac pium reputabant honorare corpora Martyrum, quorum & deriſores deteſtabantur. Modicum poſt Apoſtolos, Smyrnenſes reverenter exceperunt Reliquias corporis S. Polycarpi, decenti loco ipſis repoſitis, feſtum deinde proteſtantes ſe celebraturos. Tantum obſequii exhibebant his qui pro Chriſto martyrium paſſi eſſent, quod Hebræi, & Pagani dubitarunt adoraturos omnino fore D. Polycarpi Reliquias, ſi intactæ remanſiſſent, quocirca Judicem hortati ſunt, ut igni conſumendas traderet. Si primi illi Chriſtiani fidem tuam Picenine habuiſſent, nihil plane ſimile ſuſpicandum erat, nec a flammis arripere reſidua corporis S. Polycarpi curaſſent, nec decenter collocare, nec feſtum celebrare cogitaſſent, immo ipſi potius in rogum conjeciſſent, aut in flumina, vel in ventos diſperſiſſent.

7. In exordiis Eccleſiæ perſecutionibus afflictæ, Martyrum corpora in occultiſſimis locis a fidelibus ſepeliebantur, ad quæ ſecreto conveniebant oraturi: quamobrem loca illa *Confeſſiones* appellari conſueverunt, quaſi Confeſſorum nominis Chriſti receptacula. Sedatis perſecutionibus, ſub Altaribus collocari cœperunt; unde Divus Hieronymus Vigilantium objurgans, ſcribit: *Male fecit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificia, & tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria. Et non ſolum unius urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum.* Seculo igitur D. Hieronymi toto Orbe erectę erant Baſilicę in memoriam Martyrum ſuper eorum tumulos, & ipſi Epiſcopi Sacrificium ibi offerebant, non quod Altare Martyri, ſed de Reliquiis Martyris Deo erectum erat: *Non aram fecimus Stephano, ſed de Reliquiis Stephani aram Deo.* Ita Divus Auguſtinus a Grotio citatus (*Rivetiani Apologet. diſcuſſ.*), digno qui legatur; etſi quippe ex noſtris non ſit, victus tamen veritatis efficacia, vetuſtatem fatetur hujus cultus, quem probat ex D. Ambroſio, D. Auguſtino, aliiſque vetuſtis teſtimoniis. Eodem IV. Seculo, attentis gratiis quas Deus impertiebatur Martyrum memorias viſitantibus, fideles deſiderare cœperunt ipſorum oſſium particulas, & ad collum pendentes habere, in itinere deferre, & publice eas venerari. Prima e tumulo effoſſa fuerunt Sancti Protomartyris Stephani, quę per diverſas Africę partes delata, miracula plurima per ea facere Deus ſibi complacuit: hæc narrat D. Auguſtinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap.* 8. Martialis Paganus miraculoſe converſus, podagrici duo ſanati ſunt, & Sanctimonialis, tum alii quinque Martyres, ad vitam revocati. D. Auguſtinus Quintilliano commendans Gallam, & Simpliciolam, matrem, & filiam, concludit: *Portant ſane Reliquias beatiſſimi, ac glorioſiſſimi Martyris Stephani, quas non ignorat ſanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.* Supponebat igitur Auguſtinus perſuaſum, & jam communem apud omnes eſſe uſum venerandi Martyrum corpora, in particulas etiam deciſa, & in thecis repoſita.

8. Antiquam Proteſtantium cantilenam recantas, ſcilicet, *Seculo illo, IV. nempe, hujuſmodi ſuperſtitionis fumum primo exhalaſſe, proceſſu autem temporis maximam Chriſtianitatis partem excæcaſſe, & in idololatriam eam præcipitem traxiſſe. Ceterum tribus primis prioribus ſeculis, una fidelium cura erat Martyrum corpora ſepelire, & mœſti erant ſi a Tyrannorum feritate hoc officium reddere impediebantur, ut refert Euſeb. Lib. 5. hiſt. cap. 1. Immo eodem IV. Seculo Antonius, qui diem extremum obiit ann. 358., ſuis demandabat, ut refert D. Athanaſius (in vita Antonii), ne corpus ſuum in Ægyptum transferrent. Corpora Patriarcharum, & Prophetarum uſque in ho-*

dier-

diernum diem ſunt in monumentis ſuis, ipſum Domini corpus in monumento poſitum fuit, ideoque dicebat ille: Sepelite (meum cadaver). *terra tegite; nemo, præter vos, ſciat ſepulcri locum. Quibus verbis oſtendebat, qui defunctorum corpora, etiam Sanctorum, non ſepeliebant, peccare.* D. Antonius Ægyptiorum conſuetudinem reprobabat, qui ſoliti erant piorum hominum, & Martyrum cadavera non ſub terra condere, ſed in domibus ſuper quædam ſtrata ſervare: *Ideo maxime*, ita D. Athanaſius, *quod Ægyptii ſoleant piorum hominum defunctorum corpora, maximeque Sanctorum Martyrum, funerare quidem, & linteis involvere, nec tamen ſub terra occultare, ſed lectulis ſuperponere, & apud ſe ſe intus ſervare.* Humilitas Antonii hoc male habebat; & quemadmodum vivens honores declinaverat, ita & mortuus horreſcebat. Fortaſſis defunctorum corpora, etſi Sanctorum, non ſepelimus? Nunquid non terra tegimus, ſed, Ægyptiorum more, in lectulis domi retinemus? Oſtendere debebas damnatum, ſuperſtitionis cauſa, Martyrum viſitare memorias, & ipſorum oſſium particulas excipere, tametſi Deo placuerit per eos gratias, & beneficia nobis impartiri. Id in uſu erat eodem etiam ſeculo, quo Antonius obiit: & illorum temporum Epiſcopi id commendabant. Immo ne a vita D. Antonii declinem, quam D. Athanaſius ſcripſit, & apud te, ut video, maximæ auctoritatis, tametſi alibi de hoc Opere obloqui auſus ſis, comperio, cum ante obitum quaſi ex teſtamento quędam veſtimenta ſua aliquibus legaverit: *Qui autem accepere Beati Antonii utramque melotem, & detritum ab eo pallium, quaſi res magni pretii ambo illa cuſtodiunt, atque in illis Antonium conſpiciunt, iis quoque amicti ſe Antonii munera cum gaudio geſtare videntur.* Si tanti æſtimabantur detritæ Antonii veſtes, credibile, minoris habenda fuiſſe, vel os, vel aliam quamlibet corporis ejus particulam?

9. D. Hieronymus adverſus Vigilantium ſcribit: Si ſuperſtitio, & ſacrilegium ſit e loculis ſuis Prophetarum oſſa tollere, *ſacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi, non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos, in ſerico, & vaſe aureo portaverunt. Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt: ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populum examina, & in Chriſti laude una voce reſonarent.* Et tamen omnes iſti apud te, & Proteſtantium tuorum gregem, fatui, & ſacrilegi ſunt. Deus Luciano Presbytero locum, ubi conditum erat S. Stephani corpus, revelavit, *in Append. tom.* 7. *Oper. D. Auguſt. edit. Monach. S. Mauri.* Ipſe ſacra illa oſſa manifeſtavit, & glorificavit miraculis, ut refert D. Auguſtinus *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. D. Ambroſio revelavit Gervaſii, & Protaſii corpora, *D. Auguſt. Lib.* 9. *Confeſſ. cap.* 7. Portenta plurima edidit ad illorum ſalutem, qui ad hujuſmodi memorias devoti accedebant, quæ idem D. Auguſtinus narrat loco citato, & *Serm.* 39. *de diverſis*, ſive 286. Non igitur ſuperſtitioſa, ſacrilega, vel idololatrica erat Reliquiarum veneratio.

10. Ad hæc. Si Eccleſia Seculo IV., ſolemni, ac publico ritu Sanctorum Reliquias venerabatur, fas eſt dicere trium priorum Seculorum Eccleſiam aut id frequentaſſe, aut non illicitum, & ſuperſtitioſum id habuiſſe, ſecus in Eccleſia variatio facta eſſet, nedum in ritu, & diſciplina, quam in dogmate; ſiquidem ſi tribus primis ſeculis ea quæ pſeudoreformatorum eſt ſententia valuiſſet, nimirum, quodcunque cultus genus erga Sanctos, & eorum Reliquias idololatricum eſſe, & injurium Deo, IV. Seculo, in quo ſolemniter celebrari cœpit cultus iſte, Eccleſiæ illius ſeculi in Idololatriam incidiſſent, ſuperſtitioni adhæſiſſent, & Deum verum impie deſeru-

iſ-

iſſent; neque credibile, Seculo IV. irrepere potuiſſe cultum, qui prioribus ſeculis ſuperſtitioſus, & injurius Deo haberetur, & a Scripturis alienus, quin ullus Epiſcoporum, & Patrum, & tot Catholicorum tam impiæ novitati reſiſteret, priorum ſeculorum fidei omnino adverſę, maxime quod plurimi extabant Patres, qui Seculi III. faciem adſpexerant, & recens erat memoria eorum, quæ a majoribus ſuis voce & ſcripto acceperant, & Apoſtolica Traditio non poterat omnino defeciſſe. Gentilibus, & Manichæis utique reſpondebant, indicata diverſitate cultus, qui Deo, & qui Sanctis exhibebatur: *Nos autem* (ajebat D. Auguſtinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 10.*) *Martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus*. Idem repetit *Lib. 20. cont. Fauſtum cap. 21.* Vix Arius blaſphemare cœpit Filium Patre minorem, quamvis Scripturas depromeret, quod nihilominus, quia hoc erat contrarium fidei, & doctrinæ præcedentium ſeculorum, totum turbavit Orientem, & Occidentem, nec unquam Eccleſia, Concilia, & Patres ceſſarunt ipſi contradicere: quod ſeculo quolibet factum eſt, ſtatim ac novum aliquod dogma, vel nova fides, contraria fidei, & doctrinæ priorum ſeculorum, introducta fuit. At in cultum ſanctarum Reliquiarum omnes arrident, nemo contradicit. Immo quod Vigilantius oblatrare vix tentaverit, canem tacere fecit D. Hieronymus duriſſimo calamo, ut ipſi fatemini: quis autem Patrum Hieronymo ſe oppoſuit? Quis Vigilantii partes ſumpſit? D. Auguſtinus, qui circa leviora D. Hieronymo reſtitit, in hoc ſecum eſt, & encomiaſtes fit miraculorum, quæ Deus per Sanctorum Reliquias dignatus eſt perpetrare.

21. Chriſtus ipſe Reliquiarum fidem commendavit, ſive cum mulier, quę fluxum ſanguinis patiebatur, *Matth. 9. 20.*, magna fide acceſſit, ut tangeret veſtes ejus, ſive cum populus Geneſareth rogabat eum, *Matth. 14. 36.*, *ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent*; etenim illam, vel iſtos nedum non reprehendit quaſi ſuperſtitioſos, & idololatras, ſed laudavit fidem, & impartitus eſt ſanitatem: quibus conſtat quam ineptiſſime Proteſtantes ſubſannare nos, quod pio, ac religioſo cultu ſpinas coronæ Chriſti, lanceam, ſudarium, & crucem adoremus. Deus Reliquiarum uſum commendavit in perſona D. Pauli, cujus ſudariis, & ſemicinctiis ſuper infirmos poſitis, *Act. 19. 12.*: *Recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Profecto qui ſudaria illa tanta fide adhibebant, quadam pia, ac religioſa veneratione ea ſervabant, & reputabant aliter, ac ſudaria, quæ in uſu communiter erant: & Dæmones, e corporibus fugiendo, virtutem in ipſis, & ſacram quandam efficaciam ſentiebant. Deus pariter Reliquias commendavit, cum *Act. 5. 15.* poſitis per plateas infirmis, quo tranſiturus erat Petrus, ut prętereuntis umbra ſanarentur, ſequebatur effectus; hinc mendaciſſime, ac fallaciſſime Picenine ais, *negligentes admodum Evangeliſtas fuiſſe, nec verbum proferentes ſive de Reliquiarum uſu, ſive de honore vivorum erga illas*: ſiquidem mox recitata profecto ſcripta ſunt in Evangelio, vel in Actibus Apoſtolorum. Quotquot ſanitatem adipiſci ſperabant contactu veſtimentorum Chriſti, vel ſudariorum Apoſtoli, ſive ex ſola Petri umbra, ſuperſtitioſi ne, ſacrilegi, Deo injurioſi fuerunt, in ſpretum fiduciæ in unum Chriſtum habendæ? Non equidem, neque enim Deus miraculis id comprobaſſet: quare autem ſuperſtitioſi omnino nos erimus, ea facientes, quæ primi Chriſtiani faciebant? Dices, *illos vivorum Reliquiis feciſſe, quod nos mortuorum Reliquiis facimus*. Verum ſi Pauli ſudaria, & Petri umbra tantum poterant

dum

dum viverent, minus enimvero nunc poterunt eorum corpus, & veſtes, qui cum Chriſto regnant in Cælis? Quæ quæſo diverſitas inter veſtimenta Chriſti degentis in terris, & regnantis in Cælis? Inter ſudaria Pauli vivi, & Pauli mortui? Deus qui viventis Pauli corpus tanta virtute donavit, quæ in ipſa ſua ſudaria, & ſemicinctia redundabat, tum in umbram ipſam corporis Petri viventis, nequit iſtorum corpora mortua iiſdem gratiis implere? Fateris tandem, *Reliquias fuiſſe jam corpora, oſſa, & ſanguinem Martyrum. Sed præter iſta, hodie Reliquia ſunt induſia, ſandalia, laterna, pectines, capilli, quæque Sanctorum fuerant qui in terris non ſunt amplius, quorum iſta manſerunt. Hac omnia adverſariis Reliquia ſunt, Bellarmino, Pereſio, Vaſquezio. Ideoque proprie Reliquia dici nequeunt veſtimenta Pauli adhuc viventis*. Aut nomen hoc *Reliquia* te offendit, aut ejus efficacia. Si nomen, quatenus proprie *Reliquias* dici velis illas tantummodo, quæ de Sanctorum corporibus apud nos remanent, quanquam quæ ſemel alicujus fuerunt, & relinquuntur, ſive corpus, ſive veſtimenta, ſive quidpiam aliud ſint, Reliquiæ ipſius vere ſint, parum intereſt vel hoc ipſo nomine, vel alio quopiam appellare. Si autem efficacia offendat, peto quę apud te diverſitas interſit inter ſudaria, & ſemicinctia, ac induſia, ſandalia, & pectines? Porro ſi ſudaria, ſemicinctia, & umbra ipſa, quia Pauli, & Petri res erant, virtutem habebant ſanandi infirmos, abigendi Dęmones, quare non item induſia, & ſandalia, quod Sanctorum res fuerint? Nunquid quod fuerint olim, non in præſens ſint illorum amplius, in cauſa erit amiſſæ virtutis, quin Deus per illa dignetur amplius, eorum contactu, vel aſpectu, gratias, & prodigia facere, quæ fiebant, dum Sanctus ut propria habebat? Si pallium Eliæ portenta operabatur, cum jam non Eliæ, ſed Eliſei erat, atque oſſa Eliſei, quæ quidem fuerant, amplius tamen non erant Eliſei corpus, adhuc mortuum ad vitam revocarunt, quare ſudaria illa, quæ Pauli viventis erant, virtute non deficiebant, deſecere tamen, quod Pauli mortui res jam fuerint? Nonne Picenine cariſſime vides, quod ſcrutans ſcrutinio deficis, & dialectica tua ridiculoſum te facis?

12. Moleſte fers Triumph. *pag.* 287., quod Semery *veneretur, amplexetur, deoſculetur, atque etiam adoret* Sanctorum Reliquias, nec ceſſas garrire, *hunc eſſe cultum, qui Scripturis nequit defendi, & ego abominor*. Proinde ſuſcipis: *Si pallium haberem ab amico aliquo dilecto, & ſancto mihi donatum, in iſtud intuens, memoria memor eſſem ſanctitatis ejus, ad adificationem meam; aſt ſemel ac pallio illi religioſum cultum redderem, & adorarem, idololatra eſſem*. Scriptura tamen docet, illorum ſudariorum, & veſtimentorum contactus ſanaſſe infirmos, & abegiſſe Dæmones: credibile igitur eſt, fideles illos cognoſcentes beneficia, amplexus, & oſcula dediſſe pretioſis illis ipſorum ſalutis inſtrumentis, immo & veneratos fuiſſe. Si Cornelius *Act.* 10. 26. *procidens ad pedes Petri adoravit*, ſi Lycaonicæ turbæ *Act.* 14. 12. volebant adorare, & ſacrificare Barnabæ, & Paulo, quod claudum erexiſſent, & laboratum eſt valde ut deſiſterent, credibile ne aliqua venerationis conteſtatione non honoraſſe ſudaria illa, qui per ipſa ſanitatem acceperant? Utique Petrus, Barnabas, & Paulus *Act.* 10. 26., & *Act.* 14. 14. reſtiterunt, & hujuſmodi cultum ſibi prohibuerunt. Sed ita ſe oppoſuerunt, quod agnoſcerent tanquam Deos ſe illos accedere ſacrificiis adoraturos, quod Scriptura conceptis verbis narrat *Act.* 14. 10. 11.: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*; Barnabam *Jovem* dicebant, Paulum *Mercurium*, ſacrificare ipſis volentes victimas deſtinari ſolitas falſis illis Diis: *Vix ſedaverunt turbas, ne ſibi immolarent*. Diverſus omnino eſt cultus, quem Sanctis exhibemus, & ipſorum Reliquiis: etenim nec ſacrificia iitis offerimus, nec Deos ipſos cre-

credimus, nec ut Deorum Reliquias eorundem colimus, ſed credimus, & profitemur unum eſſe Deum adorandum: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* Ita D. Hieronymus ſæpe laudatus *Ep.* 37. ſive 54. ad *Riparium*. En cultus abſolutus ad Deum, & reſpectivus ad Sanctos, ut ſervorum honor referatur ad Dominum. Tu qui fateris, *ſi Deo dilecti, & amici Dei pallium haberes, in illud intuens, mente revolveres ejus ſanctitatem*, quid non Deus etiam in memoriam tuam caderet, qui dedit ſanctitatem? Qua cogitatione, quid pallium illud honorare non poſſes, meditando ea honoris conteſtatione Deum colere, qui Sanctum fecit illum, cujus pallium tenes? Cultus iſte idololatricus non eſſet, cum neque in pallio, neque in Sancto ſiſteret, ſed ultimo tenderet in Sanctum Sanctorum Deum: & religioſus eſſet, a religione imperatus, quæ unum Deum nobis adorandum proponit, diligendum, & honorandum ſuper omnia, poſt ipſum vero diligendos, & honorandos etiam Sanctos, tanquam amicos ejus. Si putas nullam dilectionis injuriam Deo inferre, cum Sanctum propter Deum diligis, quare metues Sanctum colere propter ipſum? *Honoramus Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.* Non equidem probo qui collo geſtat Sancti Reliquiam, cujus tamen virtutes non geſtat in corde. Propterea tamen non damno uſum, & cultum Reliquiarum. Quondam in uſu erat Evangeliorum librum ſubter caput infirmi reponi, & D. Auguſtinus, quanquam in corde poni vehementer optaret, ſubter caput tamen poni non reprehendebat, *Tract.* 7. *in cap.* 1. *Joan.*: *Cum caput tibi dolet, laudamus ſi Evangelium ad caput tibi poſueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hæc enim perducta eſt infirmitas hominum, & ita plangendi ſunt homines qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus quando videmus hominem in lectulo ſuo conſtitutum jactari febribus, & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi ut ſibi Evangelium ad caput poneret... Si ergo ad caput ponitur, ut quieſcat dolor capitis, ad cor non ponitur, ut ſanetur a peccatis? fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, ſanetur cor &c.* Ita Divus Auguſtinus, ita ſecum & ego.

13. Quantumvis adverſus Patrem Semery in vano Triumpho tuo *pag.* 289. garrire contendas, præclariſſima hujuſmodi cultus documenta ſunt litteræ Smyrnenſis Eccleſiæ, apud Euſebium *Lib.* 4. *hiſt. cap.* 15., de Martyrio S. Polycarpi Epiſcopi ſui, paſſi ſeculo II., cujus cineres ab illis fidelibus ſuſcepti, ac repoſiti fuerunt, tanquam omni gemma pretioſiores. Non in communi ſepulcro poſuerunt, ſed *ubi decebat*, & mentiris, ut ſoles, aſſerens *Polycratem, apud Euſebium Lib. 5. hiſt. cap. 24., in Aſia ſepultum eum tradere*, etenim Polycrates de ipſo narrat extinctum fuiſſe in Aſia inter ceteros: *In Aſia magna quædam lumina extincta ſunt.* Immo paulo poſt, de Polycarpo loquens, & de Thraſea Epiſcopo Eumenię, de hoc aſſerit: *Smyrnæ requieſcit*, de illo vero tantum; *Apud Smyrnam Epiſcopus, & Martyr fuit.* Et conſtituerunt Smyrnæi, quantum poſſibile ipſis futurum foret, anno quolibet convenire ad celebrandum omni apparatu lætitię *natalem ejus Martyrii diem*. Ais, *non conveniſſe cultum religioſum præſtituros D. Polycarpo; non ut deoſcularentur cineres, non ut infirmos ſuos deferrent, ad ſanitatem. Totum erat pro celebratione natalis diei, pro memoria martyrii illorum heroum, qui primi pugnaverant ad exemplum, & documentum poſterorum.* Et nos feſta Sanctorum celebramus, ad memoriam geſtorum, & ad excitandam vivorum imitationem; at diei illius natalis ſolemnitas, genus certe quoddam honoris erat, quod Martyri deferebatur, pro effuſione vitæ in confirmationem Chriſtianæ religionis, quæ hanc conteſtationem imperabat: nec porro ſacer cultus erat?

Qualis

Digitized by Google

Qualis ergo? Profanus? In eadem Epiſtola fertur, Hebræos per omne fas, & nefas contendiſse, ne Smyrnæi D. Polycarpi corpus haberent, cauſantes quod iſto habito, Chriſtum dereliquiſsent, & Polycarpum adoraſsent. Ergo honor, qui a primis illis Chriſtianis Martyribus exhibebatur, hujuſmodi erat, quod pro Diis haberi hoſtibus eorum ſuſpicionem faceret. Si ita eſset, quod illo ſeculo Martyrum corporibus nulla ratio cultus redderetur, ſed *in ſepulcris cum ceteris negligerentur*, nulla Hebræis criminandi cauſa ſuppetebat, quod, ſi dimitteretur cadaver illud, idolum ipſis paratum eſset. Si paſſioni D. Polycarpi præſens Picenine fuiſses, excuſſiſses e flammis ejus oſsa, ut poneres *ubi decebat*, ut memoriam ejus coleres? Minime quidem, cum id adverſum ſit dictatis pſeudo-Eccleſię tuæ: quinimmo ſi decenti loco cuſtodiri deprehendiſses, in flammas conjeciſses, vel in ventos ſparſiſses, quemadmodum ſacrilegis exemplis te docuerunt præceptores tui. Ergo in his factis plusquam civilis cultus apprehendi debet. N*on legitur* (inquis) *Smyrnaos deoſculatos fuiſse cineres D. Polycarpi.* Legitur tamen collegiſse illos tanquam omni gemma ſibi pretioſiores, quod tu unquam facere nec cogitaſses. *Non collegerunt* (inquis) *ut adorarent.* Ubi tamen *decebat* repoſuerunt, quod tu non feciſses, nec feſtum diem celebrare conſtituiſses. Si *non legitur infirmos deportaſse*, neque non deportaſse legitur: & ſi afferebantur infirmi, ut umbra Petri ſanarentur, ſi a languentibus D. Pauli ſudaria accipiebantur, poterant etiam deferri infirmi, ut contactu oſſium D. Polycarpi curarentur, quemadmodum contactu oſſium Eliſei, qui erat mortuus reſurrexit. Hic reſpondere Picenine, ſi tantum valeas, debes abſque calumniis, dicteriis, mendaciis.

14. Alterum hujuſmodi cultus, nec leve, documentum, eſt reverentia, qua Jeroſolymitana Eccleſia jamdiu a Seculo IV. D. Jacobi Cathedram proſequebatur, quod probat cultus Reliquiarum, & ſupellectilis Sanctorum antiquitatem. Legatur Euſebius *Lib.* 7. *hiſt. cap.* 14., quem refert P. Semery. Sed in Triumpho tuo *pag.* 289. ais, ipſum *id deſcribere fabuloſis circumſtantiis Euſebio affictis, cujus originale Græcum nihil refert cultum tangens, aut venerationem, & totum eſſe Interpretum commentum.* Sane ita dicendum. Reor ego tamen, & rationabilius, falſum, ac depravatum eſse tuum Græcum codicem, ſi Valeſianus textus accuratiſſimus cohæret cum illo Semery, neutiquam cum tuo. Euſebius igitur, juxta Valeſium, ſic habet *Lib.* 7. *cap.* 19. *Sane & Jacobi illius Cathedram, qui primus Jeroſolymorum Epiſcopus ab ipſo Servatore, & ab Apoſtolis eſt conſtitutus, & quem fratrem Domini cognominatum fuiſse divina teſtantur volumina, ad noſtra uſque tempora conſervatam, fratres illius Eccleſia jam inde a majoribus magna proſequuntur reverentia: ſatis præcipue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum noſtri temporis Chriſtiani viros Sanctos, ob ipſorum erga Deum amorem, debito ſemper honore venerati ſunt, & hactenus venerantur.* Ecce ligneam Cathedram in qua ſedit D. Jacobus, ad Euſebii uſque tempora, ideſt ad Seculum IV., magna ſemper reverentia habitam, & conſervatam; quod ſatis declarat, qualiter antiquiores, & moderni Chriſtiani debito honore viros Sanctos, ob ipſorum erga Deum amorem, proſequuti ſunt, & hactenus proſequuntur. Honor iſte Sanctorum ſupellectili, propter ipſorum erga Deum ardentem charitatem, præſtitus, non mere civilis, ſed ſacer erat, & religioſus. Aut ergo, ſi cultus qui Sanctis, ob ipſorum erga Deum amorem, exhibetur, idololatricus ſit, mentiri eum Proteſtantibus fas erit, ab exordiis ſuis Eccleſiam incepiſſe in Sanctis ſuis Idolis ſervire, aut omnino confitendum, ſuperſtitioſum non eſſe cultum qui Sanctis religioſe a nobis defertur.

15. Authenticum pariter hujuſmodi cultus documentum eſt perenne obſequium Chriſti Sepulcro exhibitum.

tum. Sacra illa marmora, olim divini corporis ejus contactu ſanctificata, devotiſſimus ſemper Chriſtianæ pietatis, & venerationis ſcopus habita ſunt, ſicut & omnium peregrinationum optatiſſima meta, impleto Iſaiæ oraculo 11. 10.: *Erit Sepulcrum ejus glorioſum*. Hìc ad officinam tuam confugis, mendacia ſcilicet compoſiturus, inquiens, *Sepulcri Chriſti venerationem nonniſi Conſtantini temporibus incepiſſe, ut refert Euſebius Lib. 3. de vita Conſtantini cap. 28.; præcedentibus autem ſeculis neminem veneratum fuiſſe*. Sed cum Euſebio ibidem *cap.* 26. proſequere, quod „ quidam impii, ad „ omnem illius Sepulcri, Chriſtiani „ nominis gloriæ, abolendam memo- „ riam, ex terra, & lapidibus im- „ menſam compactam molem, & quaſi „ non hæc ſufficeret, in ipſa mole „ nefandum Veneris ſimulacrum, cum „ altari, ad immunda victimarum ſa- „ crificia, ſuperſtruxerunt „. Porro ſi Chriſti Sepulcrum a primis illis Chriſtianis haberi non cœpiſſet velut venerabilis locus, & adorandus, quid tantopere laborare, ut in oblivionem caderet? Suaſi itaque late erant impii illi, in ſummo honore futurum. Etenim ſi Hebræi de Chriſtianis Smyrnæis certo ſibi ſuadebant, quod Divi Polycarpi Sepulcrum veneraturi eſſent, multo magis circa Sepulcrum Chriſti id credere movebantur. Hinc quemadmodum illi conſilium dederunt ut D. Polycarpi cadaver ignibus conſumeretur, ita iſti Chriſti ſepulcrum conati ſunt occultare, erecto ibi impudico illo ſimulacro, ut horrore perculſi, ab illius loci cultu abſtinerent. Vix tamen hoc novit Conſtantini pietas, quod, ut teſtatur Euſebius *ibidem cap.* 25.: *Beatiſſimum illum Dominicæ Reſurrectionis locum, qui eſt Jeroſolymis, illuſtrem, ac venerabilem cunctis mortalibus efficere, officii ſui eſſe exiſtimavit. Confeſtim igitur Oratorium ibidem extrui mandavit: non abſque Dei nutu eo inductus, ſed ipſo Servatore ejus animum incitante*. Si Dei nutu, & ipſo Servatore incitante, motus eſt Conſtantinus illuſtrem reddere mortalibus omnibus, ac venerabilem locum illum, ibique Templum conſtruere, indicium ſane eſt a Deo vetitum non eſſe, immo omnino volitum, Monumentum ſuum religioſe coli. Expedit hìc audire D. Hieronymum ad Marcellam *Epiſt.* 17., ſive 44.: *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur Sepulcrum Domini? Quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere in ſindone cernimus Salvatorem: & paululum ibi commorantes, rurſum videmus Angelum ſedere ad pedes ejus, & ad caput ſudarium convolutum. Cujus Sepulcri gloriam, multo antequam excideretur a Joſeph, ſcimus Iſaia vaticinio prophetatam, dicentis: Et erit requies ejus honor.; quod ſcilicet ſepultura Domini locus eſſet ab omnibus honorandus*. Conſidera Picenine an Divi Hieronymi ſententiæ conſonent garritus tui Triumph. *pag.* 291., nempe, *non glorioſum dici Chriſti Sepulcrum, quod adorandum eſſet honoris cultu*. Lege D. Hieronymum infra, ubi poſt relata Regii Pſaltis verba: *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*, ſubdit: *Et Martyrum ubique ſepulcra veneramur, & ſanctam favillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus* (en Sepulcrorum, & Reliquiarum oſcula), *& Monumentum, in quo Dominus conditus eſt, quidam exiſtimant negligendum?* A ſepulcris Martyrum, quæ ab omnibus hìc honorari ſupponuntur, argumentum ad majus ſumitur pro cultu Monumenti Servatoris. Deinde ſequitur: *Si nobis non credimus, credamus ſaltem Diabolo, & Angelis ejus, qui quotieſcunque ante illud de obſeſſis corporibus expelluntur, quaſi in conſpectu Tribunalis Chriſti ſtantes, contremiſcunt, rugiunt, & ſero dolent crucifixiſſe, quem timeant*.

16. Cogi nollem cum D. Hieronymo ad Diabolum te mittere, a quo diſcas qui debeatur honor Chriſti Monumento, memoriis, & Reliquiis Martyrum; omnia quippe hactenus dicta cum irrideas, ſuſurrantem

Apolog.

Apolog. *pag.* 419. ſic audio : *Si ita ſit , negligentes dici poſſunt Apoſtoli , non attendentes diligenter reponere Reliquias Jeſu Chriſti , Sancti Sanctorum , negligentiſſima Maria Magdalena , minus ſolicita in colligendis ſepuleralibus linteis , ſudario , clavis , lancea, aliiſque, quorum tanta eſt cura in Eccleſia Romana.* Eadem revolvis Triumph. *pag.* 270. Falleris tamen, falſo præjudicio reputans, Reliquiarum uſum vel eſſe, vel a nobis teneri velut medium ſaluti neceſſarium, quemadmodum Sacramenta : quamobrem quod nec Apoſtoli, nec Maria Magdalena illa procuraverint , neque a nobis recolenda eſſe contendis, dum alias licitum quidem , ac pium eſſe iſtorum uſum profiteamur , non autem indeclinabilem, & neceſſarium . Hinc perverſe iterum gannis , *miſerrimos fuiſſe primævos Chriſtianos feliciorum temporum, qui carebant Reliquiis illis , quæ modo ſunt pretioſiores theſauri.* Apoſtoli, Magdalena, aliique, qui præſentem Chriſtum habuerant , habebantque , vel ſaltim recenti ipſius memoria ſervebant , ad fidem eliciendam, pietatem , ac amorem erga ipſum , viſibilibus, & externis ſignis , quales ſunt Reliquiæ, non indigebant, ſicut nos, deſtituti jam, ac ſegnes, egemus . Primævi fideles illi nec Evangelia habebant , nec D. Pauli Epiſtolas, quæ apud nos ſunt omni theſauro pretioſiora : nec ideo miſeros ipſos dicemus , vel nobis infeliciores . Ironicæ vero ſcurrilitati tuæ morem gerens , ſi Reliquiæ ipſæ Chriſti nil juvent , & ad Idololatriam , uſu receptæ, diſponant , ſi nihil proſint ſanctorum , & familiarum proſperitati , non ad excutiendos Dæmones , non ad evitanda pericula , ſi medius iſtis ſuperſtitio ſit gratiam a Deo quamlibet ſperare ; male igitur ſe geſſit mulier illa Evangelica , quæ ex contactu veſtimentorum Chriſti curari confidit : Chriſtus ipſe male fidem ſuam commendavit , pejus vero dum miraculo confirmavit . Male D. Paulus permiſit ſudaria , & ſemicinctia ſua a fidelibus ſuſcipi , & ad languentes deferri : nec debuit Deus , tot curationibus , illuſtrare *ſcruta* illa *inutilia.* Deſides item fuerunt Apoſtoli , fidelibus permittentes erroneam hanc fidem, quin in ſcriptis ſuis monerent, Chriſti veſtimenta, lanceam , clavos , ſindonem Chriſti , ſudaria Pauli prodeſſe nihilum , & ludibria , ac figmenta eſſe miracula , quæ per iſta fiebant : incauti etiam fuerunt , Eccleſiæ poſt ipſos futuræ non præcaventes a periculo ſuperſtitioſi cultus , quod interea ſequentibus ſeculis accidit . In ſumma doctior es Picenine ipſo Chriſto : & ſane graviſſimum damnum primorum ſeculorum , & grande infortunium fuit , quod Picenine tunc non viveres , Doctor illuſtriſſime noſtræ hujus ætatis , ſiquidem funditus ſane tu extirpaſſes improba illa ſuperſtitionis zizania , male nata a ſudariis Pauli viventis, ſed inde ſerpenda in honorem, & cultum erga Reliquias, & monumenta Apoſtolorum, & Martyrum jam defunctorum. Conſtantinum adhortatus fuiſſes , ne incaſſum tot gazas impenderet , ut Chriſti Sepulcrum honoraret , Templum ipſi adeo magnificum erigens , quale Euſebius deſcribit *Lib.* 3. *de vita Conſtant. cap.* 31., & D. Ambroſium, & Auguſtinum certiores de ſua ignorantia feciſſes , dum Reliquiarum uſum commendarent , miracula narrarent , & quaſi res pretioſas , venerabileſque dono mitterent . At quid dicturus eſſes , ſi quæ dicturus eſſes jam vulgaverat Vigilantius , a D. Hieronymo , ut jam notum eſt , ſeveriſſime caſtigatus , qui nedum hujus ganeonis petulantiam , & infidelitatem coercebat , ſed veram, & Catholicam fidem , pietatemque ſcriptis celebrabat ? Sic in *Epiſt.* 53., ſive 37. ad *Riparium : Non tam illius infidelitatem, quæ omnibus patet , quam noſtram fidem aperuimus.* Eadem Pagani , eadem Manichæi ſuſurrabant , ſed Patres noſtri nec dignabantur illos audire , inhærentes Martyrum cultui , honoribus proſequentes eorum memorias , & Reliquias : quod & tecum feciſſent , ſi, quomodo in præſens facis , inſi-

pide ,

pide, ac ſtulte garrientem audiiſſent.

17. Ne tamen difficultatis fugam quærere videamur, reſpondeo, Apoſtolos Jeſu Chriſti non captaſſe Reliquias, Magdalenam, Petrum, Joannem non coegiſſe linteamina ſepulcralia, lanceam, clavos, neque ideo negligentes dicendos eſſe. Triſtitia mortis Chriſti, metus Judaici furoris, quemadmodum ab ipſo Chriſto paſſionis tempore eos ſeparabat, ita ipſos detinuit ab inquiſitione clavorum, & lanceæ, de quibus videri poſſunt quæ tractat Dominus Fontanini in Diſſertatione Coronæ ferreæ Longobardorum, quæ nunc a Lutheranis te doctioribus, & ſanioribus probata fuit, dum Lipſiç typis recudi curaverint. Gaudium reſurrectionis, Magdalenç, & Apoſtolorum animos ita occupavit, quod nec tempus, nec mentem habere permiſit de linteaminibus quçrere; illa enim quçrere Jeſum ſolicita erat, iſti vero admiratione attoniti, ac ſtupidi reſtiterunt: qui ſi toti erant intenti ut Jeſum redivivum viderent, quid mirum ſi nulla ipſos cura tenebat colligendi Reliquias? non attendit quippe ad imaginem, qui prototypum quærit. Cura tamen illa quæ ab Apoſtolis, & Magdalena aufugit, Providentiam Dei non fugit, quæ viſa eſt, quando Chriſtiano Orbi fortunatiſſima illa Redemptionis inſtrumenta, ab impietate infidelium olim occultata, dignata eſt miraculorum ſtipendio manifeſtare. Si ea credere Picenine nolis, quid intereſt, cum omnium ſeculorum ſecum deferant fidei teſtimonium? Velles, *Apoſtolos ſcriptis ſuis hunc Reliquiarum cultum quadantenus indicaſſe*. Quid ſcribere, quæ facta ab ipſis deſcripta late prædicabant? Videbant Pauli ſudaria, Chriſti veſtimenta miraculorum divina largitione ſtillare medicinam. hinc procul dubio ſibi ſuadebant, fideles pie, ac religioſe honoranda eſſe intellecturos, quæ Deus ad prodigia tam inſignia, tam grandia, ſibi inſtrumenta delegerat. Simul autem negligentia notandi eſſent Apoſtoli, ſi quando iſta venerari minime debuiſſent, de hoc monere fideles prætermiſiſſent; ſiquidem, cum ſi debitus eſſet, proponere, ut ais, & explicare Reliquiarum cultum tenerentur, ita, ajo, ſi indebitus, vetare, ac prohibere tenebantur, nec permittere homines ex pietate impios fieri, cum uno verbo poſſent omnem ſuperſtitionem impedire. Jam ſermo tuus ubique una ratione peccat, quia quod factum ab Evangeliſtis, vel dictum non ſit, ridicula, & latentiſſima arte tua immediate infers nec fieri poſſe, nec dici poſſe. Apoſtoli plura non fecerunt, quæ tunc fidei temporum œconomia non permittebat, poſt autem, quod fieri opportunum erat, facta ſunt: ſicut & plurima tunc facta ſunt, quia expediebant fieri, quæ temporum urgente viciſſitudine antiquata ceſſarunt. Res illo temporis erant, Jeſum Chriſtum per Orbem enuntiari, & Gentes omnes trahere ad hunc unum agnoſcendum, & adorandum. Si Apoſtoli Reliquiarum cultum, & Martyrum memorias frequentandas, colendaſque prædicaſſent, Chriſtiani nominis hoſtes inſultandi cauſam facile ſumpſiſſent, quaſi Chriſtiana religio ad mortuorum cultum homines impelleret, & ſola perſonarum differentia Idololatriam non everteret, ſed perverteret: quæ cum muſſitarent, quod Chriſtum coli viderent, quanto magis ſi non intellectum ab ipſis honorem Apoſtolis, Martyribus, eorumque corporibus, & Reliquiis deferri cognoviſſent? Id erat quod per inſaniam Fauſtus IV. Seculo improperabat, apud D. Auguſtinum *Lib. 20. cap. 4.: Sacrificia eorum vertiſtis in Agapes, idola in Martyres, quæ votis ſimilibus colitis*. Eo magis autem ſic a principio conviciari non deſtitiſſent; quare Apoſtolorum prudens œconomia fuit, hunc cultum diſſimulare, & ſilentio cuſtodire. At everſis Idolis, Chriſtianæ reipublicæ ſtatu compoſito, & Chriſti cultu, publico, ac ſolemni ritu ubique recepto, quod Apoſtolica tuba non cecinit, Cælum pronuntiavit, & viſionibus, ac prodigiis, partem

tem reliquam Chriſtiani cultus, publicam ſcilicet, ac ſolemnem Reliquiarum Chriſti, & Sanctorum venerationem, implere docuit, non quod neceſſaria eſset, ſed pia admodum, atque utilis, ad fidelium devotionem fovendam, tum maxime quod miraculis cernerent commendatam.

18. *Infelix primæva Eccleſia* (rauce clamitas *pag.* 430.), *cui Deus non manifeſtavit theſauros illos, Lanceam, Crucem, & Clavos! Infelix primæva Eccleſia, a Deo neglecta, ſi vera eſſent quæ Jeſuita prædicat de uſu Reliquiarum ſuarum!* Infelix omnium ſeculorum Eccleſia, cui Deus non revelavit quæ Picenino, Luthero, Calvino, aliiſque pſeudoreformatoribus indicavit! Infelix Eccleſia, ſemper a Deo neglecta, ſemper decepta, ſi vera eſſent quæ adverſus Reliquias Piceninus enuntiat! Ah Picenine, habe iſtas lamentabiles nenias pro Eccleſiis tuis, quæ petulanti præſidentia ſibi adulantes, quidquid libeat poſſe de ſe a Deo impetrare, calcant cum ſanctis Martyribus ſacras eorum Reliquias, & monumenta. Primæva vetus Eccleſia, Reliquiarum utilitate omnino non caruit, ſiquidem ſi primi Chriſtiani, ad languores ſanandos, ſudaria, & ſemicinctia Pauli adhibebant, & umbra ipſa Petri viventis levabat infirmos, potior mihi ratio ſuppetit affirmandi, iſtorum etiam Apoſtolorum, ſive aliorum Martyrum jam defunctorum Reliquiis uſos fuiſſe, quam tibi ſuppetat negandi. Ego veſtimentorum Chriſti, Pauli, & umbræ Petri viventis uſum habeo in verbo Dei ſcriptum, & miraculis commendatum: habeo poſteriorum ſeculorum uſum perennem, cultu, & veneratione retentum; tu autem, ſive hujuſmodi uſus, ſive cultus de Reliquiis defunctorum interdictum nullum habes, vel divinitus ſcriptum, vel traditum, vel rerum geſtarum hiſtoriis conſignatum, immo iſtæ oppoſitum ubique confirmant. Quæ ergo Eccleſia vere felix dicenda erit? Si primæva Eccleſia in praxi non habuit Reliquiarum uſum, id erat, quod recens adhuc paſſionis Chriſti memoria, & ſanguis Martyrum qui pro Chriſto patiebantur quotidie ad oculos purpurans, ſatis fidelium corda inflammabat, quamobrem ut incaleſceret fervor, opus non erat mortuos commemorare, ubi præſentiſſima aderant exempla vivorum. Poſt tempora vero, extenuata Paſſionis Jeſu memoria, per Eccleſiæ pacem ſemoto Martyrum conſpectu, remiſſo in fidelium cordibus primævo illo charitatis ardore, neceſſarium fuit, quod cum antea ad viventium Martyrum careeres accederent, ore devoto eorum deoſculantes vincula, & orationibus ſuis ſe inſtanter commendantes, ut videre eſt apud Tertullianum *Lib.* 2. *ad uxorem cap.* 4., & apud Cyprianum *Epiſt.* 10. 11. 12., neceſſarium inquam fuit, ad eos excitandos, Crucem, Spinas, Lanceam, Clavos ipſis objicere, & ad mortuorum memorias invitare, ut ad aſpectum ſepulcri, ad contactum, & ad oſcula illorum oſſium reminiſcentes quanta illi pertulerint, quam pauca ipſi ferrent, incenderentur exemplo, & mortuos apud Deum interponerent, ad imitationem Patrum ſuorum, qui vivos Martyres deprecabantur interceſſores ipſorum fieri ad Deum, ac una ſimul in Martyribus honorarent, quæ ſibi deeſſe merita ſentiebant. Temporibus veterum Patriarcharum Deus colebatur ſine viſibili lege, ſine Templo, ſine Arca, ſine Propitiatorio, ſine tot expiationibus: infelix ne ergo illud tempus, tot ſenſibilibus ſignis privatum? Immo, ut fauſtius, & perfectius, illorum Patriarcharum animos moderabatur ſola lex in cordibus ſcripta, & ubique ſtantes, Deum venerabantur. Poſt autem, oblitterata naturæ lege per peccata, & obtenebrata notitia Dei, ac ejus memoria, viſibilis lex viſa eſt neceſſaria, ita quod Deus præſens quodammodo oculis fieret ſedens ſuper Arcam in medio Cherubim, quatenus reviviſcens ſenſibilibus illis ſignis cultus, & pietas, a duriſſimis illorum cordibus ſcintillas excuteret, quæ abſque tot inſtantibus mediis excuti facile nequibant. Re

vera,

Digitized by Google

vera, ſi Picenine mature conſideres, theſauros iſtos aperire illis temporibus Deus cœpit, in quibus, ſedatis primis, atrocioribusque perſecutionibus, pax Eccleſiæ primum oriebatur, in ipſa Martyrum ſtrage ceſſata, ſed primævi fervoris remiſſione introducta.

19. Vellem, tandem aliquando abſtineres Reliquiarum cultum Idololatriam mentiri, nec rancidam hanc, putidiſſimamque calumniam, a Gentilibus, & Manichæis jamdiu impoſitam, quam Patres, præſertim D. Cyrillus, & Auguſtinus, unice ſpretu dignam reputarunt, auderes amplius profano ore remandere. Si dicta non ſufficiant, audi D. Hieronymum adverſus Vigilantium, & tene quod te alloquatur: *Idololatras appellat hujuſmodi homines?* (loquitur de Reliquiarum cultoribus) *Non diffiteor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idololatria errore veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & ideo deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt.* Quod D. Hieronymus Vigilantio, D. Auguſtinus Fauſto dicebat *Lib. 20. cap. 21.: Nam quod etiam hinc nobis calumuiatur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicene nos idola convertiſſe.* Et infra: *Populus autem Chriſtianus memorias Martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum ccuſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen ut nulli Martyrum, ſed ipſi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum, conſtituamus Altaria.* Legat qui videre deſiderat hanc nos ſuper Proteſtantes prærogativam ſortiri, quod illorum querelæ eædem ſint, quæ ab antiquis hæreticis, vetuſtis Chriſtianis opponebantur, & reſponſa noſtra eadem eſſe, quæ ab antiquis Patribus, veternoſis hæreticis reddebantur.

20. Sed ais Apolog. *pag. 430.: Si Martyrum oſſa loquerentur, quemadmodum Panigarola illa Joſeph loquentia introducit, dicerent.* Quid dicerent? *Dicerent cum D. Petro (Act. 3. 12.): Quid nos admiramini, quaſi noſtra virtute, vel ſanctitate hunc fecerimus ambulare?* quaſi Sanctorum oſſa propria virtute, vel ſanctitate miracula patrare diceremus, quin potius divinę Omnipotentiæ inſtrumenta eſſe, quibus ipſa utitur ad gloriam ſuam, & ſervorum ſuorum. Quis unquam Sanctos, aut eorum Reliquias ſic admirari auſus eſt, quaſi in ipſis tota, ac potiſſima inſit miraculorum poteſtas? Miracula (ait D. Auguſt. *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 9.*) *ſive Deus per ſeipſum mirabili modo, quo res temporales operatur æternus, ſive per ſuos miniſtros iſta faciat, & eadem ipſa, quæ per miniſtros facit: ſive quædam faciat per Martyrum ſpiritus, ſicut per homines adhuc in corpore conſtitutos: ſive omnia iſta per Angelos, quibus inviſibiliter, immutabiliter, & incomparabiliter imperat, operetur: ut quæ per Martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantum, & impetrantibus, non etiam operantibus fiant.* D. Petrus illos increpabat, quod quæ ab ipſis Dei virtute fiebant ita admirabantur, ut crederent Apoſtolos Deos eſſe. Sed partes noſtras vindicat Divus Auguſtinus prælaudato libro *cap. 10.: Nobis Martyres non ſunt Dii, quia unum, eundemque Deum, & noſtrum ſcimus, & Martyrum.* Zelo maligno zelatus, hic furis: *Quid quæſo diceret iſte Apoſtolus, ſi Chriſtianos videret ſubuculas, cingula Sanctorum, lac, capillos Virginis tenentes, oſcula dare, adorare, & miracula extorquere?* Idipſum diceret, quod olim cernens primos Chriſtianos ſudaria, & ſemicinctia Pauli tenere, & ad umbram uſque ſui tranſeuntis jacere. Diceret quæ mulieri fimbriam veſtimenti ſui apprehendentis Chriſtus dixit, *Matth. 9. 20.*, & *Luca 8. 48.: Fides tua te ſalvam fecit.* Verum tu exprobranda judicas quæ Chriſtus probat, unde ais: *Si oſſa Martyrum vocem haberent, dicerent.* Certe dicerent, & cla-

marent

marent ad Deum: Vindica Domine ſanguinem noſtrum a Proteſtantibus impie profanatum; etenim Sanctorum Reliquias deſpicere, idem eſt, ac ipſorum paſſionem contemnere.

21. Redeat autem Divus Hieronymus, aſſerens a Tertulliano *Scorpiacum*, quem vocant, librum fuiſſe ſcriptum adverſus illam a Vigilantio iterum recoctam hæreſim. Reſpondes *pag.* 435., Tertullianum librum illum edidiſſe adverſus *Gnoſticos, hoſtes martyrii omnes, neque unum apicem ibi legi de Reliquiarum cultu; quo inferendum, Divum Hieronymum bile abreptum contra Vigilantium, non attendiſſe, aut non intellexiſſe mentem Vigilantii*. Tu barde, inſolentiſſime, D. Hieronymi non capis proceſſum ſermonis, qui ex eo probat martyrium reprobari, ſi Reliquiis cultus denegetur, & per conſequens *Gnoſticis*, ſive, ut Hieronymus habet, *Cainanis*, conſentiri, qui martyrium blaſphemant. Porro Divus Hieronymus, poſtquam dixerat Vigilantium *Cainitarum* hæreſim ſuſcitaſſe, ſubdit: *Miror quod non dixeris nequaquam perpetranda martyria; Deum enim, qui ſanguinem hircorum, taurorumque non quærat, multo magis hominum non requirere. Quod cum dixeris, immo & ſi non dixeris, ita habeberis quaſi dixeris. Qui enim Reliquias Martyrum aſſeris eſſe calcandas, prohibes ſanguinem fundi, qui nullo honore dignus eſt*. Apud D. Hieronymum igitur Martyrum Reliquias dehonorare, idem eſt ac martyrium prohibere. Judica nunc quæſo lector, quo tenderent juſtæ Martyrum querelę, num adverſum nos, an Calviniſtas? Neque dicas: *Nos non calcamus Martyrum Reliquias, tantum negamus colendas eſſe, & ſacri cultus obj ēta fieri debere*; ſiquidem, heu nimium a tuis calcatas jam oſtendimus. Qui nos mordet de Reliquiarum cultu, audiat ſibi a D. Hieronymo, a quo Vigilantius canis calamo vapulat: *Quis enim, o inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus, & Barnabas, quum a Lycaonibus Jupiter, & Mercurius putarentur, & eis vellent hoſtias immolare, ſciderunt veſtimenta ſua, & ſe homines eſſe dixerunt? Non quod meliores non eſſent olim mortuis hominibus, Jove, atque Mercurio, ſed quod ſub Gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur*. Quis noſtrum, ſub Gentilitatis errore, eo qui uni Deo debitus eſt honore Sanctorum Reliquias unquam adoravit? Quis Martyres Jovem, Mercurium, vel Deorum turbam unquam fecit? Quis unquam, ſicut illi Barnabæ, & Paulo, voluit Martyribus victimas immolare? Uni Deo in memoriis Martyrum unice ſacrificamus, ſacrum quidem illis cultum præſtantes, ſed tanquam Dei famulis. Diſplicet ne tibi a nobis Martyrum Reliquias reverenter, decenterque ſervari, & in eorum memoriis Baſilicas erigi? *Expone*, ſequitur Hieronymus, *manifeſtius, ut tota libertate blaſphemes pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum*. Attende reſponſum: *Dolet Martyrum Reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in ſterquilinium, ut ſolus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo ſacrilegi ſumus quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Conſtantinus (modo Conſtantius) Imperator, qui ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam conſitentur?*

§. III.

Vindiciæ eorum, quæ D. Hieronymus adverſus Vigilantium ſcripſit.

22. QUæ Patribus communis ſolet eſſe calamitas, quorum ſcripta Proteſtantibus non placent, eadem D. Hieronymo accidit, ſcilicet hoſtem haberi, & valde ſuſpectum: hinc Vigilantii partibus impudenter ſuſceptis, Apolog. *pag.* 434. non erubeſcis D. Hieronymum carpere, & Calvi-

Calvinum tuum protegere, quem Vigilantio Panigarola comparabat. Ergo ais: *Calvinus non dehortatur honorare Sanctos, ſed hortatur ſecundum infallibiliſſimam divini verbi regulam. Vigilantius antea ſanctus erat apud D. Hieronymum, quanquam iſte, opinione inde mutata, illum diris invaderet, Judæum, Samaritanum, Latronum germen, monſtrum, Dormitantium, ebrium &c. ipſum appellans. Qui hæ voces audiat, minus cohærentes calamo ſcriptorie veritatem diligentie, majorem cum Eraſmo modeſtiam deſiderabit in viro, qualis Hieronymus.* Vigilantius, Hieronymi amicus dum virus adhuc occultabat in corde, gloriolæ & famæ cupidus, ut ambitioſi homines ſolent, affectavit nomen ſibi comparare ſumptibus vanitatum, & primum Origeniſmi infectum labe S. Doctorem traduxit, qui ſe expurgato *Epiſt.* 75., ſive 36., Vigilantium hortatus eſt famæ ſuæ parcere, ab injuriis abſtinere, & humilitatem a Chriſto diſcere, nec velle *de cunctis Græcie, & Latinis tractatoribus ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula alioe ejicere de Bibliothecie, alioe recipere, & quum tibi placuerit, me vel Catholicum, vel Hæreticum pronuntiare.* Tametſi vero hæreſi a Vigilantio notatus, injuriam perſonæ Chriſtiana patientia toleravit; & licet calamum quadantenus acuiſſe videatur, teſtatus eſt propria ferre: *Meam injuriam*, ſic Epiſtolam conficit, *patienter tuli, impietatem contra Deum ferre non potui, unde & viſus ſum mordacius in extremo Epiſtola ſcribere, quam promiſeram: quanquam poſt priorem pœnitentiam, qua a me veniam deprecatue es, iterum commiſiſſe unde agae pœnitentiam, ſtolidiſſimum ſit. Tribuat tibi Chriſtue ut audias, & taceas, ut intelligas, & ſic loquarie.* Sic Epiſtolæ ſuæ finem ponit. Porro autem cum Vigilantius, quin reſipiſceret adhibito Sancti Doctoris conſilio, auſus ſit novam hæreſim machinari, & Sanctorum Reliquias inceſſere, *Cinerarios, & Idololatras* Catholicos ipſarum cultores appellans, a Ripario, & Deſiderio monitus D. Hieronymus duas Parœcias jam nova hac labe ſua infeciſſe, in re tam gravi nec diſſimulandum, nec immemorem conſiliorum ſuorum ferendam Vigilantii temeritatem ratus, digna acerbitate perſtrinxit illius petulantiam. Sed doles, *acriter nimium Hieronymum fuiſſe obloquutum, & lectorem deſiderare majorem modeſtiam.* Hujus modeſtiæ ſpecimen, quantum rationabiliter a te in ſcriptis tuis deſiderarem! & ſi modeſtiæ defectus eſt errorem caſtigare, & petulantiam contendentis pertinaciter veritatem coercere, cogemur dicere, qui Evangelium legat, deſideraturum quandam modeſtiæ temperantiam in Deo homine, qualis fuit Chriſtus, dum pravos Scribarum, & Phariſæorum mores acriter reprehendebat, illos appellans *hypocritas, generationem pravam, & adulteram, Matth.* 16. 4., *& genimina viperarum.* Videatur totum *Cap.* 23. *D. Matthæi.* Scalpere ſceleratum veritatis proditorem, & Catholicæ fidei corruptorem, non eſt malevolentiæ, ſed juſtitiæ vindicta, & Hieronymus ipſe hanc præſenſit querelam, quam ſic repellit: *Tacita me forſitan cogitatione reprehendas, cur in abſentem invehar. Fatebor tibi dolorem meum, ſacrilegium tantum patienter audire non poſſum. Legi enim ſeiromaſten Phinees*, ideſt *lanceam, vel pugionem quo uſus eſt Phinees ad confodiendos ſcortatores, auſteritatem Eliæ, zelum Simonis Chananæi, Petri ſeveritatem, Ananiam, & Sapphiram trucidantis, Paulique conſtantiam, qui Elymam magum viis Domini reſiſtentem æterna cæcitate damnavit. Non eſt crudelitas pro Deo pietas.*

23. Nec Vigilantii vindicias deſeris, unde ſubdis: *Cum in Eccleſiam Reliquiarum cultus intrudi vellet, Vigilantiue ſe oppoſuit quaſi novitati, Dei verbo extranea, & præcedentium ſeculorum praxi contraria.* Vigilantius Reliquias blaſphemare aggreſſus eſt ſeculo V. inchoante, quarum cultus, ſecundum te, & Sphanemium, ſeculo ſaltim IV. cœperat: nonne ergo jam

inva-

invaluerat ? Quique Hieronymum, & apud eundem Vigilantium legerit, intelliget tanquam de re jam antiqua ſermonem eſſe. Si autem Hieronymus ſtudebat novitati, Vigilantius vero antiquitati, illius certe temporis Epiſcoporum cura eſſe debebat Hieronymum coercere, nova in Eccleſiam introducere molientem, & Vigilantium commendare antiquæ conſuetudinis jura afferentem. Sed Vigilantii partes nemo ſuſcepit, & Reliquiarum cultus ubique retentus perſeveravit. Ergo non Hieronymus, ſed Vigilantius ſtudebat novitati. Contendis *Vigilantinm eadem dixiſſe, qua Hieronymus, ſed iſtum bile abreptum non attendiſſe.* Quod probas, *quia Vigilantius non diffitebatur honorem Sanctorum, ſed tantum pulviſculi cultum, & cinerum Martyrum, & cinerarios, ac idololatras appellabat, qui religioſum cultum illis præſtabant, idemque dicebat Hieronymus adverſus Vigilantium: Quis, o inſanum caput, Martyres unquam adoravit? Et Epiſt. ad Ripar. 37., olim 53.: Nos Martyrum Reliquias non adoramus, nec Solem, Lunam &c., ne creaturis ſerviamus potius quam Deo.* Si dixiſſes, Vigilantium ea pronuntiaſſe quæ Proteſtantes, non aberraſſes; ſed quod eadem proferret quę Hieronymus, tam falſum eſt, quam falſum ſit Diabolum, Scribas, & Phariſæos ea dixiſſe quæ Chriſtus dicebat. D. Hieronymus non tantum dictis credidit, ſed ad manus, ad oculos ipſa Vigilantii ſcripta habere voluit.

24. Vigilantius vulgabat, Sanctorum cadavera, & oſſa immunda eſſe, quæ qui tetigiſſet polluebatur. Quamobrem D. Hieronymus merito ipſum appellat Samaritanum, & Judæum, *qui corpora mortuorum pro immundis habent, & etiam vaſa quæ in eadem domo fuerint, pollui ſuſpicantur.* Inde oſtendit oppoſitum: *Si oſſa eorum polluunt contingentes, quomodo Eliſeus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſraelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Joſeph, & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt?* Vigilantius irridebat, *pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum; dolet Martyrum Reliquias pretioſo operiri velamine*, cui D. Hieronymus: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur?* qui etiam commendabat Conſtantii, Arcadii, & Epiſcoporum Eccleſiarum omnium religioſum cultum Reliquiis præſtitum; hæc autem apud te videntur convenire, atque *idipſum eſſe?* Verba Vigilantii erant, ut Hieronymus refert: *Ais enim, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel ſubter aram Dei animas Apoſtolorum, & Martyrum conſediſſe, nec poſſe de ſuis tumulis, & ubi voluerint, eſſe præſentes*, quem ſic Doctor maximus oppugnat: *Et quum Diabolus, ac Dęmones toto vagentur in Orbe, & celeritate nimia ubique præſentes ſint, Martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi, & exinde exire non poterunt?* Vigilantius item: *Dicis in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare poſſumus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio, præſertim quum Martyres ultionem ſui ſanguinis obſecrantes, impetrare non quiverint.* Ita Vigilantius. Sic autem loquens, nonne ęque dehortatur Sanctorum, ac Reliquiarum cultum? Quid eum honorare refert, a quo nihil juvat impetrandum ſperare? Divus autem Hieronymus: *Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro ceteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti, quanto magis poſt coronas, victorias, & triumphos?* Hoccine *idipſum?* Utique Vigilantius negabat Sanctorum Reliquias eſſe adorandas, quod et negabat Hieronymus; ſed iſte in ſenſu negabat, quem ſibi Vigilantius fingebat a Catholicis adorari, nimirum hominibus eundem ſervitutis cultum exhiberi, qui uni Deo debetur, ſacrificia ipſis offerendo: non autem S. Doctor negabat illo cultu honorandos eſſe, qui ſervos Dei deceat: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Mar-*

tyres, adoremus; honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit ... Si non honorandæ ſunt Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus? Loquendo de cultu Dei, hunc appellat *adorationem*; loquendo de Reliquiarum cultu, *honorem* hunc dicit, ut diſcernat cultum a cultu, neve fiat nominum quæſtio.

25. Intonas Apolog. *pag.* 435.: *Quomodo hæreticalis erat Vigilantii opinio, ſi a D. Auguſtino aſſerebatur? Lib. de vera Relig. cap. 55.: Non ſit nobis religio cultus hominum mortuorum. Auguſtinus damnat in illis, quos Lib. 1. de moribus Eccl. Cath. cap. 3. vocat Sepulcrorum adoratores, quod Vigilantius damnabat in cinerariis.* Qua fronte Auguſtinum audes cum Vigilantio in hac opinione confundere, cum iſte Sanctorum Reliquias ita deſpiciat, ut non modo cultum, & honorem iſtis præſtandum deneget, ſed eas appellet *immundas, & vilem pulviſculum*, contra Auguſtinum earum tueatur honorem, oſtendens fideles ad Martyrum Reliquias confugere, & narret miracula per ipſas patrata, ut ſupra retulimus? Ambo textus a te allati, Reliquiarum abuſum reprehendunt, non illarum uſum. Quod ſi Divi Auguſtini temporibus quædam ſequebantur abſurda circa ſepulcrorum venerationem, indicium eſt illorum temporum Eccleſiam Catholicam conceſſiſſe ad Martyrum ſepulcra confugere, quanquam aliqui hac conceſſione abuterentur, alii modum excederent: qui a D. Auguſtino reprehenduntur, utpote contra Eccleſiæ præſcriptionem, & mentem vana ſectantes. Tametſi vero inter Catholicos quiſpiam eſſet, qui vel ex ſimplicitate, vel ex ignorantia Sanctis exhiberet indebitum cultum, non ideo inferendum eſſet univerſalem Eccleſiam ita ſentire. Si vero ex ſimplicitate & ignorantia quis in externo cultu Reliquiæ, vel Sancti modum excederet, intrinſecus tamen in Sancto adoraret Deum illum, qui Sanctos facit, damnandus non eſſet ut Idololatra. Ita ſentiebat Hieronymus. Vigilantius reprehendebat Catholicos, qui lumina, & cereos ante Reliquias in meridie accenderent. Reſpondet S. Doctor, non accendi in meridie, illis enim diebus nondum hujuſmodi ritus habebatur, ſed noctu: *Ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus. Quod ſi* (attende Picenine) *aliqui per imperitiam, & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certe religioſarum fœminarum, de quibus vere poſſumus dicere, confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis? Cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum, ſed Domini voce correpti ſunt; neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum, & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur: & quicunque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: Unuſquiſque in ſenſu ſuo abundet. Idololatras appellas hujuſmodi homines?* Iſta porro incenſio luminum ante Reliquias, cultus ſacer erat, & religioſus.

26. Concludis, *Vigilantium hæreticum non fuiſſe.* Hæreticus ergo, immo Idololatra fuit D. Hieronymus, qui ex adverſo illum oppugnabat. Poterit S. Doctor tibi reponere quæ Vigilantio: *Ego ne Hæreticus? Et cur me quæſo Hæretici non amant?* Cur porro Vigilantius non erat Hæreticus? *Quia non legitur in Catalogo Hæreticorum deſcripto a D. Auguſtino, & Theodoreto, qui poſteriores ſunt D. Hieronymo.* Sed hoc accidit, quod hujuſmodi hæreſis conſectarios non habuit, & cum ſuo Auctore periit, ut refert Baronius *ad ann.* 406. *num.* 51., vel partus non fuit pertinacis malitiæ, ſed ignorantiæ. Gennadius tamen in Catalogo ſuo ſcribit, quod Vigilantius: *Scripſit & ipſe zelo religionis aliqua, ſeductus humana laude, & præſumens ſupra vires ſuas ... quæ in Catalogo Hæreticorum neceſſario exponentur.* Gennadio ergo ſcriptori co-

ævo

ævo Vigilantius viſus eſt Hæreticus, quemadmodum habitus fuit poſteræ ætate poſt Gennadium, exceptis Proteſtan ibus, qui talem ipſum concedere nolunt, ne ſibi fregiſſe crura vireantur.

§. I V.

De veritate, aut falſitate Reliquiarum.

27. **A**Bſurdum graviſſimum in uſu Reliquiarum ſequi contendis, dum Apolog. *pag.* 430. ais: *Vos Jeſuitæ falſas Reliquias de veris Sanctis, & veras Reliquias de falſis Sanctis profertis.* Si id aliquando evenerit, quid inde perdis? Nunquid uſus Reliquiarum omnino abolendus? Plerumque vera pro falſis, falſa pro veris traduntur, plerumque veri Apoſtoli pro pſeudo-Apoſtolis, pſeudo-Apoſtoli pro Apoſtolis habentur, ergo ne ab Eccleſia eliminandus, & proſcribendus erit uſus prædicationis, & Apoſtolatus? Hujuſmodi errores, & abuſus in Sanctorum Reliquiis, primævæ uſque Eccleſiæ temporibus accidebant, de quibus docebat D. Auguſtinus *de opere Monach. cap.* 20., narrans de quibuſdam hypocritis, qui ſub ementito Monachorum habitu vagabantur per Provincias: *Alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditant.* Optatus Milevitanus *Lib.* 1. *cap.* 6. refert Donatiſtarum ſchiſma a Reliquiis ortum habuiſſe, falſis tamen, & ab Eccleſia non probatis. Celebre quoque eſt factum D. Martini, qui detecto Altari ex falſo rumore erecto in memoriam falſi Martyris, illico ipſum evertit, quamvis ex conſenſu Epiſcoporum, qui eum præceſſerant, fuerit conſtitutum.

28. Si interdum loco veræ apponitur falſa Reliquia, ſi Genevæ, ut tu ais, *vice brachii D. Antonii Cervinum habetur membrum, vice cerebri D. Petri, ſaxum*, forte a pio aliquo pſeudoreformato permutata ſic fuerunt, ad infamiam Reliquiarum, nec ita ſuſpicari temerarium puto. Quod autem D. Joannis Baptiſtæ plura ſint capita, jam *Tom.* 1. *Cap.* 2. §. 4. *Num.* 39. dixi poſſe hæc facile conciliari, ſcilicet, non quod plura ſint capita, ſed inſignes partes ejuſdem capitis, vel plura capita diverſorum Sanctorum ejuſdem nominis. Quod attinet ad plures Chriſti clavos, omnino appello *Diſſertationem* Domni Fontanini *de Corona ferrea*, qui viritim, ac funditus hanc materiam tractat, numerans ex ipſis uſque ad vigintiquinque, & probans omnes legitime, ac rite pro talibus venerari, juxta etiam Gerardi Joannis Voſſii hæretici hominis ſententiam.

29. Præterire deberem de hac re ulteriora verba facere, quia inter nos, & Proteſtantes controverſia non eſt, an hęc, vel illa Reliquia honoranda ſit, ideſt clavi, vel caput Præcurſoris, ſed an ſint venerandæ ipſę Sanctorum Reliquiæ: quod per me ſatis jam demonſtratum. Veruntamen, quod tibi duo ſint difficilia, unum, *quomodo per falſam Reliquiam valeat Deus verum patrare miraculum?* alterum, *quomodo licitum ſit Catholico venerari, & colere Sancti Reliquiam, cum fieri poſſit ementitam eſſe, & putans os D. Petri venerari, ejus vice veneretur latronis, & reprobi Reliquiam?* ut præſto tibi ſim, recole quæ ſupra dicta ſunt *Tom. I. Cap.* 2. §. 1., & præſertim, quod miraculum a Deo fieri poteſt ad confirmandam fidem meam circa veritatem Reliquiæ illius, quam colo, miraculo ſcilicet conteſtante Deo, ita, nec aliter eam eſſe, quam ut credo, & teneo, qua ratione Reliquia objectum eſt, & proximus miraculi finis, quemadmodum ſi dubius an os illud, quod veneror, re vera ſit D. Petri, & Deum orans, ut certum mihi præbeat ſignum, miraculum a Deo hac de cauſa exhibitum viderem. In hac circumſtantia, cum Deus teſtis eſſe nequeat falſitatis, certo certior eſſem, os illud D. Petri, non alterius eſſe. Huius rationis miraculum illud fuit in Inventione Sanctiſſimæ Crucis a Deo operatum, dum tres Cruces ibi confuſæ eſſent, illa Chriſti cum dua-

bus

bus latronum, qui ſecum fuerant crucifixi, ſingulis cadavere admoto, ut referunt D. Paulinus Nolanus *Epiſt.* 11., & Berengoſius Abbas *Lib.* 2. *de Invent. S. Crucis*, ſive infirmo, ut ferunt Rufinus *Lib.* 11. *hiſt. cap.* 17., Theodoretus *Lib.* 1. *hiſt. cap.* 18., aliique apud Baronium *ad ann.* 326. *num.* 45. 46. 47., ſolo Crucis Chriſti contactu reſurrexit qui erat mortuus, ad ſanitatem rediit qui erat infirmus. Hoc miraculum in conteſtationem veritatis Crucis Chriſti factum, tam certum fecit illam eſſe Chriſti Crucem, quam certum ſit Deum non poſſe mentiri. Poteſt item Deus miracula facere, non ad confirmandam ejus quæ colitur Reliquiæ veritatem, ſed illius qui exoratur Martyris ſanctitatem, cujus Reliquiæ venerantur, vel etiam ad manifeſtationem divini teſtimonii in cultu illius Martyris, quo caſu miraculum certo confirmat, Sanctum illum, cui preces fiunt, talem eſſe, & cultum ei præſtitum placere Deo: non tamen ſequitur exinde, quam Deus adhibet Reliquiam ad miraculum. certam habere veritatem. Porro, quid concedere times, per falſam Reliquiam haberi poſſe verum miraculum, cum negare non valeas per falſum miniſtrum fieri poſſe certum miraculum, ad evidentiam veræ doctrinæ? Quare minime ſequuntur quæ perverſe deducis Triumph. *pag.* 292., *Deum conteſtari gratum ſibi cultum falſa redditum Reliquia, & non adorabile objectum adorandum approbare*, bene vero Deum conteſtari gratum ſibi eſse cultum Sancto præſtitum, cum iſtud ſit immediatum adorationis objectum, non ipſa Reliquia.

30. Ad aliud dubium accedo. P. Semery aſſerit, *etiam de falſa Reliquia verum cultum eſſe poſſe, qui non in objecto, ſed in corde venerantis conſiſtit, reſpicientis objectum illud, quod in mente ſua. & bona fide tenet*. Clamas, *impiam hanc eſſe moralem*. Jacob ad Liam accedens, quam Rachelem Sponſam ſuam eſſe certo ſibi ſuadebat, non peccavit, nec illicitum quidquam commiſit, ſed honeſtum. Si hæc moralis impia foret, tum illa Chryſoſtomi hujuſmodi habenda eſſet *Hom.* 56. *in Geneſ.* His autem omnibus ſapienter providit Eccleſia in Lateranenſi Synodo ſub Innocentio III. *Cap.* 62., & in Tridentina *Seſſ.* 25., quarum ſanctionibus ſecuri vivimus omnes, dum e contra vos miſeri Proteſtantes, abſque certa regula, errones, & cæci vagamini ubique ſemper. Ut ſcrupulum omnem delicatiſſimę conſcientiæ tuę adimam, ſimulque te doceam quomodo *falſa Reliquia verus cultus eſſe valeat*, ſcias ex D. Thoma 2. 2. *qu.* 103. *art.* 4. *ad* 3., & 3. *p. qu.* 25. *ar.* 1. & 2. *in corp.*: *Proprie honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti, non enim dicimus quod manus hominis honoretur, ſed quod homo honoretur. Et ſi quandoque contingat, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur ea ratione, quod hujuſmodi partes ſecundum ſe honorentur, ſed quia in iſtis partibus honoratur totum. Per quem etiam modum aliquis homo poteſt honorari etiam in aliquo exteriori, puta in veſte, aut in imagine, aut in nuntio*. Hæc Angelicus 3. *p. qu.* 25. *ar.* 1. Itaque quando os veneror, quod D. Antonii brachium eſſe ajunt, objectum mei cultus eſt D. Antonius, & brachium illud veneror, quia intus teneo re vera illius Sancti os eſſe. Quod ſi non eſſet, adhuc objectum mei cultus ſemper remanet veneratione dignum, cui in illo oſſe honorem exhibere ſtatuo: quę perſpicue declarant quemadmodum falſę Reliquiæ eſſe poſſit religio vera.

31. Præſto nunc ſint rationes tuę, quibus impia tibi videtur Patris Semery moralis. *Ecce*, ais *pallium ad omnem idololatriam velandam. Poteſt igitur cultus etiam falſi Dei verus haberi, dummodo qui adorat Idolum, ſanam, conſtantemque fidem, perſuaſionem, mentemque habeat, eſſe Deum verum. Poterant ergo Gentiles inculpate adorare Solem, hac firma ſuaſione, & intentione, quod Sol eſſet Deus verus*. Dum

falſæ

falſæ Reliquiæ, quam veram eſſe arbitramur, cultum exhibemus, nullum falſum Deum colimus, cum noſtri cultus objectum, non Reliquiam, quæcunque illa ſit, ſed Sanctum, & Sanctorum Deum verum conſtituamus, in quem tendunt, & ultimo terminantur adorationes noſtrę. Antequam perverſe argutando deſipetes, diſcere debebas quæ bona ſit, quæ mala fides, quæ inculpabilis, & invincibilis, quę vero vincibilis ſit, & culpabilis ignorantia: præterea quærere debebas, num Deus verus invincibiliter poſſit ignorari, an vero ejus ignorantia ſemper vincibilis ſit, & malæ fidei reus ſit qui ſic neſciens operatur. Diſce a D. Auguſtino *Lib. 3. de lib. arbitr. c. 22.*: *Non enim quod naturaliter neſcit, & naturaliter ſcire non poteſt, hoc anima deputatur in reatum, ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignam facultati comparandæ ad recte faciendum operam non dedit*. Cum autem Reliquiam aliquam veneramur, naturaliter neſcimus, & naturaliter ſcire non poſſumus certa ſcientia, num vera ſit, vel falſa: & ſi error accidat, cultus innoxius eſt, nec deputatur in reatum, eo vel magis, quod error non impedit, quin adoratio ad Sanctum feratur, & ad ſupremum cultus noſtri finem, qui Deus eſt. Qui vero falſum Deum adorat, non habet unde proferat naturaliter neſcire, aut naturaliter ſcire non poſſe Deum verum: nec bonam fidem prætexere poteſt, quia de vero Deo non eſt neſcientia, quæ ſi ulla ſit, affectationem habet, quæ vinci debet, cum poſſit.

32. Calumniis vexas, inquiens, Romanæ Eccleſiæ doctrinam eſſe, *poſſe alicui licite præberi offenſionem peccati, dummodo bona intentione fiat*. Ab opere ex natura malo, quod malum eſſe conſtat, nunquam Domine Picentine intentio ſalvat. Audi D. Auguſtinum *Lib. contra Mendacium cap. 7.*, multum quippe indiges diſciplina: *Intereſt plurimum, qua cauſa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ conſtat eſſe peccata, nullo bonæ cauſæ obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla velut bona intentione facienda ſunt*. Nunquid judicare prætendis, cauſam præbere cultui Reliquiarum, eſſe offenſionem peccati? Hæc forte docentur in ſcholis Proteſtantium, nunquam vero in ſcholis Catholicis. *Si Creator cor velit, tamen linguam etiam vult, vult etiam manum. Deum honorare, adorare, diligere, & blaſphemare, res ſunt quæ non conveniunt, niſi in imaginatione Jeſuitæ*. Tangis hìc Patrem Semery, aſſerentem, laudem Deo reddi poſſe verbis blaſphemiæ, quæ preces reputentur. Qui verbum blaſphemiæ pronuntiat, putans Deo laudem reddere, peccat, quia Deum diligere, & Deum blaſphemare, non conveniunt; tu vero, qui Sanctos venerari, & eorum Reliquias fugis, & pernegas, verba profers blaſphemiæ: *Hæc ſunt verba blaſphemiæ Vigilantii*, aiebat Hieronymus Vigilantio; quod & Eccleſia Latina, & Græca confirmat, quamvis tibi ſuadeas in his te Deum diligere, & honorare. Ergo impietatis, & ſacrilegii peccas, cum non bene conveniant Deum amare, & Deum blaſphemare. Ecce in his quæ doces, tu tibi Judex, & reus. Qui Deum in Martyre adorat, ſi ex ignorantia falſam veneretur Reliquiam, quam bona fide veram putat, Deum colit corde, ſed etiam corpore, ideo quippe hujuſmodi Reliquiæ corpus flectit, quod putat illius Martyris eſſe, in quo mirabilem Deum in Sanctis ſuis adorat. Sed jam aliam conſtruis calumniam adverſus Patrem Semery *pag. 293.*, quod *mulier innoxia habeatur ab adulterio, quæ maritum eſſe reputans, qui maritus non ſit, cum iſto adulterium committit*. Reſpondes: *Quemadmodum mulier tenetur noſcere maritum, nec ignoranter aliis dare quod illi ſoli debet, ita Chriſtianus cognoſcere debet Chriſtum ſuum, neque ipſum excuſat vel ignorantia, vel intentio bona, vel ſuaſio falſa, quando blaſphemias pro laudibus apprehendit, Idolum pro Deo vero*. Hìc finem habet ſermo tuus, de more intricatiſſimus, quia neſcis, aut ſcire non vis ignorantiam diſtinguere vincibilem, & invincibilem,

neo

nec capis quę illa ſint, quorum ignorantia poſſit eſſe, vel non eſſe invincibilis. Enimvero mulier tenetur diligentiam omnem adhibere, ut agnoſcat maritum: at ſi hoc non obſtante falleretur, quemadmodum Jacob in congreſſu cum Lia, ream adhuc eam judicabis? Qui Idolum pro Deo vero accipit, non poteſt invincibili qua excuſetur ignorantia falli: tu autem tibi perſuades idem eſſe debitum cognoſcendi Deum verum, & Chriſtum, ac cognoſcendi an Reliquia vera ſit, vel falſa.

33. Patrem Maſſęum irrides Apolog. *pag.* 431., aſſerentem nempe in vita P. Segneri, quod *iſte infirmos ſanabat per Reliquiam S. Franciſci Xaverii, & defuncto Segneri, undique recurſum factum fuiſse ad habendam aliquam ipſius Reliquiam, & quod ſingularem opem ferat invocantibus eum.* Melius Picenine, quam cenſoria virgula tua miracula, & gratias a Patre Segneri per interceſſionem Divi Franciſci Xaverii patratas notare, & carpere, melius inquam tempus inſumpſiſſes, ſi charitatem, & indeficientem amborum zelum admiratus fuiſses in converſione peccatorum, & effuſos ipſorum ſudores ad animarum ſalutem; ſic enim mala fides, & impietas tua facile erubuiſſet, ſiquidem Pater Maſſęus loquendo de gratiis impetratis, unice ait: *Miracula videri poſſunt*. Quoniam vero in propoſito miraculorum, quæ a Patre Maſſęo referuntur de Patre Segneri, Apolog. *pag.* 431., & Triumph. *pag.* 293. occaſionem ſumis cauſandi Patrem Semery, quod plura diſſimulaverit, ſiſto ut te audiam. Ais igitur, quod *Patris Segneri calculo vera non erant miracula, quæ a Veſtalibus Virginibus facta fuerunt, dum fierent ad approbandam falſorum numinum religionem. Ergo ex ſententia cujuſque cordati, & potiori jure, vera non ſunt miracula a Patre Segneri facta, quoniam non tendunt ad comprobandum ſanctiſſimum veri Dei cultum; bene vero Sanctorum invocationem, Reliquiarum adorationem, fiduciam in hominibus, uno verbo idololatriam.* Segneri omnino non negat, Deum verum aliquod potuiſſe miraculum operari in Veſtalibus, potiſſimum ea quæ facta ſunt in teſtimonium Virginitatis. Legatur parte II. *cap.* 4., ubi hæc habet „ Quid mirum foret, ſi providentia, quæ „ tam gratam habet caſtitatem, diſ„ poſuiſſet eam antiquitus honorare, „ duplici illo miraculo Claudiæ, & „ Veſtalis, quod hinc non tendebat „ ad ſacrilegum falſorum numinum „ cultum approbandum, hinc vero „ valebat ad tuendam innocentiam „ oppreſſam, tum ad eam illuſtrandam? „ Itaque quemadmodum Gentes teſtes „ veritatis habuerunt vaticinia in „ Sibyllis, ita vera miracula tanquam „ integritatis teſtes habere potuerunt „ in ſuis caſtis mulieribus „. Supponis inſuper Segneri acta *non ordinari ad confirmandum veri Dei cultum*: quod mendaciſſime venditas, ad fucandam aliqua pietatis ſpecie blaſphemiam tuam. Cui ſufficiunt quæ diximus cum D. Hieronymo: *Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus; honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum.*

34. Animadvertis iterum, *Apoſtolos operantes miracula, non adhibuiſſe mortuorum Reliquias, neque Jeſu Chriſti, cujus Reliquias recentes, & veraciores habere poterant, præ illis quas habet Romana Eccleſia. Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes loquuntur interdum de miraculis, non unum tamen narrant factum Reliquiæ defuncti contactu.* Argumenta omnia negativa, quæ nihil efficiunt. Non uſi ſunt; ergo non reputabant pium, ac utile ipſis uti? Id a te probandum erat, ſi ſemel velles quidquam concludere. Si contactu oſſium Eliſei revixit, Deo operante, qui erat mortuus, poterant Apoſtoli, Reliquia applicata infirmo, pie ſperare, Deum illum ſanaturum. Si Apoſtoli miracula faciebant viventium Sanctorum rebus, ſudariis Pauli, & umbra Petri, poterant etiam illa facere defunctorum Reliquiis Sanctorum. Quod ſi illatum neges, ratio-

tionem redde. Sed & Chryſoſtomi dictis id etiam confirmo *Serm. 35. de virtutibus & vitiis*, ubi habet: *Aſpice Sanctorum quanta ſit virtus. Neque enim ſua verba tantum, aut corpora, ſed etiam corporis tegmina ſunt omni poſſeſſione auguſtiora. Elia ſiquidem leonina pellis Jordanem diſcindere fecit. Trium puerorum calcei per ignem ambularunt. Eliſei lignum potuit undarum mutare naturam, quae quidem ſuperficie ſua, quaſi tergo, ferrum ſuſtinere coegit. Moyſes virga mare rubrum dehiſcere juſſit, petram diſrumpere valuit. Pauli veſtes morbos fuderunt, Petri umbra mortem fugarunt, Sanctorum Martyrum cinis improbos Damones expulit. Summa igitur cum poteſtate omnia faciunt.* Videatur *Hom. 16. ad pop.* quid dicat de D. Pauli vinculis, & in *Hom. de nativ. ſeptem Machab.* hæc habet: *Ita profecto & Damones ... ubi coronatorum Martyrum corpora viderint poſita, longe illico a conſpectu eorum pavidi fugiunt, & abſiliunt. Non enim* (nota, & diſce) *ad naturam eorum intendunt, ſed in arcanam dignitatem, & gloriam Chriſti, qui in agone certantium induta corpora Martyrum ſuorum, ſicut arma portavit.* Hinc igitur habemus Dæmones contremiſcere, & fugere ad conſpectum corporum Martyrum, quia in ea intendunt, quaſi in arma quæ induit Chriſtus, & tu Picenine ea rides, & derides, clamitans, *Juſtinum, Irenaum, Tertullianum non edidiſse miracula Reliquiis Martyrum, vel ſaltim non narraſse.* Sed veterum Patriarcharum temporibus, & Moſaicæ legis, juxta te, nullum editum fuit miraculum uſu Reliquiarum, & primum, & unicum fuit, quod per Eliſei oſſa factum fuit, quæ cadaveri vitam reſtituerunt; ergo ne quod antea hac ratione facta non fuerint miracula, illud falſum fuit, & non recte factum? Ante D. Paulum nunquam auditum, ad ſanandos ęgrotos adhiberi vivorum ſudaria; dicendum igitur ſuperſtitioſe fideles illos ea adhibuiſſe, & oſcitanter D. Paulum id permiſiſſe? Hinc patet non perperam egiſſe *Xaverium, ad ſedandam tempeſtatem Reliquiam in mare projicere*, quanquam in ſimili cauſa D. Paulus id non fecerit.

35. Ais *pag. 432., in periculis terramotuum exponi capita D. Petri, & D. Pauli, quemadmodum Roma dudum factum fuit.* Non narras tamen, in periculo terræmotus Romę ad Deum ſupplicatum, indictum jejunium, prædicatam a Miſſionariis pœnitentiam, imploratam fuiſſe veniam peccatorum, deinde ſupplicatione facta ante capita Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, iſtorum interpoſitam fuiſſe interceſſionem ad tutelam illius Eccleſiæ, quam ipſi fundaverant: quod ſane factum etiam legimus temporibus D. Auguſtini, & D. Chryſoſtomi, Imperatoribus, & Præfectis Urbium humillime procumbentibus ad memoriam Divi Petri, *Aug. Ep. 42.* vel 232., *Chryſoſtom. Quod Chriſtus ſit Deus.* Nos ad Deum primo confugimus, & Sanctos invocamus ad exauditionem. Nec refert quod te infringas, exclamando: *Scire vellem, num antiqui ad ſepulcra Stephani, Jacobi, Polycarpi ſuos deferrent infirmos*, ſiquidem ſi primævi Chriſtiani ægrotos ſuos in plateis deponebant, ut a Petro vivo tranſeunte ſanarentur, quare non poterant eos transferre ad ſepulcra Stephani, Jacobi, Polycarpi? Si Auguſtinus tot ſanitatum miracula refert in infirmis poſitis ad ſepulcra Stephani, Gervaſii, & Protaſii, quare non credendum, vel credibile ſaltim non erit, licere modo etiam eadem fide illos ad ſepulcra deferri? Tertullianus *ad Scapul. cap.* 4. neutiquam contradicit, ut hariolaris, quia ſi tunc *jejuniis, & precibus noſtris ſiccitati proviſum fuit; & ſi tunc populus ad Deum Deorum unice clamabat, qui ſolus potens eſt*, hoc nempe & nos facimus, additis precibus ad Sanctos, ut pro nobis interpellent, eorum Reliquiis ad publicam venerationem expoſitis, per quas a Deo gratias nobis collatas experimur: ita factum *ab antiquo*; & ſi Tertullianus, & iſtius ſeculi Patres non id referant, neque id negant, vel damnant: quid ergo vos novitii pſeudo-

doreformati quaſi inſolita hęc diffamare, & damnare prætenditis? Hoc profecto novum eſt, quia antiquitus nunquam id negatum, vel reprobatum.

36. Plurimum te gravat miracula narrari ex interceſſione Patris Segneri Adverſarii tui, nec immerito; proinde ſuſcipis Apolog. *pag*. 433., *Maſſaum gloriari in miraculis Segneri, & Segneri in illis ſui Divi Nicolai; ego autem horreo legendo tam iſta, quam illa*. Et Dæmones perhorreſcunt ad miracula a Deo facta in gloriam ſui per Sanctos, & contremiſcunt ad miracula Chriſti. Sed tu Diabolum in iniquitate vincis, quia Diabolus contremiſcit, & credit; tu vero contremiſcis, & non credis. Prætereo quæ de Segneri mirabilia narrantur, cum Eccleſia eá nondum probaverit; bene tamen loquor de cæcis illuminatis, claudis erectis, mortuis ad vitam revocatis per interceſſionem D. Nicolai. Videor videre te ſimul perhorreſcere, legentem apud D. Auguſtinum *Lib*. 22. *de Civit. Dei cap*. 8. mirabilia illa, quæ facta fuerunt per Reliquias Sanctorum Stephani, Gervaſii, aliorumqne Martyrum, & Sanctorum. Ah, apage hunc horrorem, & perhorreſce peccata, & blaſphemias quas evomis, non autem gloriam Domini glorificatam in Sanctis ſuis, quod certe nunquam in Sanctonibus Proteſtantium viſum eſt. Eja tamen agite, noſtra inſectamini miracula, Paganos, Hebræoſque imitamini, qui & ipſi inſultabant Chriſti miraculis, & portenta a Deo patrata in Apoſtolis, & Martyribus ſubſannabant: nos quippe ſecum lętantes ibimus, gaudentes a conſpectu Concilii veſtri pro Reliquiis Chriſti, & Sanctorum ejus contumeliam pati.

37. In aciem porro deſcendis, gladio utrinque armatus acuto, ſic Picenine furens *pag*. 433.: *Vel Reliquiarum cultus, Sanctorum invocatio, fiducia in hominibus, Deum ipſum habent auctorem, vel non habent. Si habent, ex Scripturis proferant. Si non habent, hi ſunt religionis articuli, qui Deum non habent auctorem*. Infantiles hæ nugæ facile rejiciuntur; ineptias tuas ſic ludificando: Si Reliquiarum cultus, & interceſſio Sanctorum a Deo damnata eſt, profer ex Scripturis. Sin minus, ergo Eccleſia illa quæ iſta damnat, Deum non habet auctorem: cum tam falſa ſit religio cultum negans debitum, quam cultum præſtans indebitum. Uſus Reliquiarum, & invocatio Sanctorum, res ſunt ritus, & pium, licitum, ac utilem hujuſmodi ritum eſſe conſtanter aſſerimus; illicitum autem & idololatricum ipſum dicere, dogma eſt impium & ſacrilegum. Porro ſi concepti textus a nobis non proferantur jubentes, neque a te concepti textus afferuntur prohibentes. Ad hæc. Nos habemus Deum Reliquiarum cultum conteſtantem per miracula: contra tu nec unum ejus reprobationis teſtimonium habes. Suſcipis: *Quomodo divinitas poteſt quæ falſa ſunt auctoritate ſua commendare?* Hunc tamen ritum noſtrum Deus ſua auctoritate verum probavit, ſanitate in eos effuſa, qui Pauli ſudaria ſibi adhibebant, qui memorias Stephani, & Gervaſii frequentabant: impoſſibile eſt autem Deum ſua auctoritate falſa probare. Falſus erat cultus Baal præſtitus, & Deus impios cultores non quaſi ſibi gratos favoribus cumulavit, ſed in ipſos iratus flagellis exterminavit. Deo autem ſi diſpliceret Reliquiarum cultus, indignationem ſuam deberet vindici animadverſione notam facere: quod nunquam Deum feciſſe conſtat; immo conſtat Sanctorum cultores munificentiori benedictione foviſſe. Ergo hic cultus Deum habet auctorem, quem infallibilem habet approbatorem. Garris: *Fiducia in hominibus, longe quam habeat Deum auctorem, habet reprobatorem: Maledictus homo qui confidit in homine. Jeremia* 17. 5. Te præceptore minime indigemus, ut ſciamus ea pronuntiari de iis qui confidunt in homine tanquam in unico auctore totius boni ſui, & Dei obliviſcuntur, non autem de illis qui conſtituto Deo totius boni ſui auctore, confidunt per ſervos ejus bona ſibi impetrari. *Maledictus homo qui confidit in homine* ait Jeremias, ſed & ſub.

ſubdit: *Et a Domino recedit cor ejus*. Proba, ſi potes, cor fidelium Sancti Reliquias venerantium a Domino recedere, et non accedere, dum Martyris Reliquia honoretur, ut ejus cujus eſt Martyr majeſtas adoretur. Clamas iterum, D. Cyprianum *Lib.* 3. *Teſtim. ad Quirin. num.* 10. dicere: *In Deum ſolum fidendum*. Non ego dicam Cypriani hos libros non eſſe; equidem dicam, in Deum ſolum fidere tanquam unicum totius boni auctorem, non excludere fiduciam in ſervos ejus vivos, & mortuos, tanquam in Advocatos apud Deum, ſi Cyprianus ipſe *Epiſt.* 16., & *Epiſt.* 76., eorum preces invocat: et quanquam hic de Martyribus adhuc viventibus loquatur, *Epiſt.* tamen 16. de Martyribus loquitur poſt paſſionem. Aliqualem ſpeciem habere videretur Origenis textus, qui *Hom.* 4. *in Jeremiam* inquit: *Illis qui in Sanctis confidunt opportunum proponamus exemplum: Maledictus homo qui confidit in homine.* Sed præter dicta præcedenti Articulo §. 2. *num.* 7. attente ipſum legenti hic non apparet eſſe contrarius ſiquidem vult nos in Sanctis non confidere, quomodo in Deo confidere tenemur, putantes eos præcipuos gratiarum auctores, cum ſimplices ſint miniſtri. qui nullum procurare bonum nobis valent, ſi Deus non velit; quare *Hom.* 5. Sanctos comparat nubibus, quæ, quamvis aquis prægnantes, non pluunt ſi a Deo prohibeantur, ſecundum illud *Iſaiæ* 5. 6.: *Nubibus mandabo, ut pluant ſuper eam imbrem*. Ita Sancti neque intercedunt, neque impetrant, ſi Deus nolit.

38. Aſſeris Apolog. *pag.* 435., velle finem facere memorabili Caſſandri dicto *Conſult. art.* 21., a quo te diſpenſare poteras; etenim quamvis Caſſander vir doctus fuerit, in hac tamen materia tantam non meretur auctoritatem, neque apud pſeudoreformatos ſuos, neque apud Catholicos, quantam putas ipſi adhibendam. Tentavit ille, juxta Spondan. *ad ann.* 1564. *num.* 27., in controverſiis inter Catholicos, et Proteſtantes componere, aut ſaltim temperare utriuſque partis dogmata, et mixturam facere lucis, et tenebrarum; ſed neutris placuit, quia a Catholicis ejus opera proſcripta fuerunt, et Calvinus graviter ipſum inceſſit, a quo tamen diffuſiſſima Apologia ſe vindicavit. Si ipſum Picenine attente volviſſes, non illicitum, vel idololatricum cauſare Reliquiarum cultum intellexiſſes, ſed nimiam reprobare facilitatem in probandis Reliquiis, & miraculis, ſicut & earum abuſionem. Ita ipſum interpretatur Hugo Grotius in *Annot. ad Caſſandri conſult.*, ubi & iſte, quamvis Proteſtans, licitam concedit Reliquiarum Sanctorum venerationem, inquiens: *Mos vero ſub altari ponendi Reliquias alludit ad Apocalypſeos locum* 6. 9. *Et recte fecit Jacobus Britanniarum Rex, cum agnovit verorum Martyrum veris Reliquiis honorem, ſed ſui generis, id eſt propter Martyres, deberi. Nec aliud dicit Bellarminus. Et hac in re* (bene nota) *Deus ipſe præivit, Reliquias Sanctorum honorando* 2. *Reg.* 13. 21. *Similia habes Act.* 5. 15., 19. 12. Ita Grotius, quod repetit in *animadverſ. Riveti*, & in voto *pro pace Eccleſiaſtica*, ubi meretur iterum audiri: *Mos ponendi Reliquias ſub altari, non obſcure in id repertus, ut imprimeretur memoria id, quod ad Martyrum honorem dicit Apocalypſis, ita antiquus eſt, ut ejus originem non ſit reperire. De eo ſenſum ex Auguſtino citavi, non verba. Ambroſius Gervaſii, & Protaſii Reliquias Baſilicæ, quam conſecrabat, intulit. Ubi eas poſuit, dicat quæſo D. Rivetus. Ego vero non aliter credere poſſum, quam ibi poſitas, ubi poni ſolitas mos inſecutus declarat: & populo optanti, ut & Romanam dedicaret, facturum ſe dicit, ſi Reliquias Martyrum inveniſſet. Non igitur aliter jam tum illo tempore ſacræ ædes dedicabantur. Olim ſub altari victimario poni ſolebat victimarum ſanguis, & ſic Deus rogari ut ejus meminiſſet. In novo fœdere ſucceſſit in ejus locum ſanguis melior Martyrum, cujus Deus rogatur ut ejus meminerit, non ipſorum tantum, ſed & Eccleſiæ cauſa, ideo ſub alta-*

altari poni dicitur. Hac & ad Martyrum honorem, & ad alios ad martyrium excitandos. Qui irrident, longe alio ducuntur ſpiritu, quam illi ducebantur &c. Hoc profecto eſt memorandum dictum, utpote viri inter Proteſtantes maxime celebris. Caſſander, ad continenda Proteſtantium ora opportunum judicavit *abſtinere a vana Reliquiarum oſtentatione, adhortans populum ad cultum verarum Reliquiarum, ſcilicet ad exempla ſanctitatis*, cum reſcindendus ſit abuſus, non autem cultus, qui in ſe bonus, pius, & utilis eſt. Quocirca Caſſander non intendebat Reliquiarum uſum eſſe abrogandum quaſi illicitum, & malum, ſed cauſam abuſus; futile remedium, malo ipſo deterius, quale eſſet Scripturam tollere, quia Hæretici tui ſimiles ea abutuntur, vel imitari Lycurgum, qui ad evitandam in Spartanis ebrietatem, vites omnes abraſit. Sed Caſſander morti proximus damnavit quidquid ſcripſerat diſſonum ſententiis Eccleſiæ. Grotius tamen morti proximus, quanquam ad latus haberet Lutheranum Miniſtrum, nunquam damnavit, vel retractavit quod ſcripſerat conſonum ſententiis Romanæ Eccleſiæ.

ARTICULUS XVI.

De veneratione debita Imaginibus, Templis, & Sanctorum tumulis.

§. I.
De Imaginibus Dei.

1. A Reliquiarum veneratione tranſis Apolog. *cap. 16. art. 12. num. 10., Triumph. cap. 27.*, ad cultum, & honorem Imaginum Dei, & Sanctorum; quanquam autem quæ contra adſtruis, centies recocta a tuis, a noſtris vero ſæpe rejecta, ac plene evacuata fuerint, nihilominus quod quaſi novus hoſtis contra Catholicam fidem, & quaſi Gigas Philiſtæorum tuorum, ad ſingula nos provocas reſiſtere, inſolentiam tuam totam ſuſtinere fas eſt, & in nomine Domini ſingula calcare. Ergo Apolog. *pag. 436.* incondite clamas: *Jeſuita Segneri Sanctorum profert Imagines. Et Imagines Dei ubi ſunt? Videor videre ipſum erubeſcere, in paginis ſuis iſtas delineare, quanquam Italia in parietibus picta videantur. Pingitur Deus Pater pontificio apparatu, triplici corona cinctus in capite, veneranda barba, ſubter Columbam habens Spiritus Sancti imaginem &c. Deus creavit hominem ad imaginem Dei, & homo Deum vult ad imaginem hominis. Ut autem Deus Pater venerabilior habeatur, pontificia majeſtate Papa pingitur. Hoccine etiam catholicum ſapit?* Utique ſapit, quippe quod catholicum ſit Deum repræſentare ſenſibilibus ſignis illis, quibus ſe manifeſtavit hominibus. Adamo ſe obtulit in ſpecie hominis *Geneſ. 3. 8.*, innixum ſcalæ ipſum vidit Jacob *Geneſ. 28. 13.*, ſic & Moyſes *Exod. 22. 33.* Rex throno inſidens Iſaiæ apparuit (*6. 1.*). Explicatius tamen æternus Pater viſus fuit a Daniele (*7. 9.*) ſub ſpecie ſenis: *Antiquus dierum ſedit. Veſtimentum ejus candidum ſicut nix, & capilli capitis ejus quaſi lana munda; thronus ejus flamma ignis &c.* In ſpecie Columbæ Spiritus Sanctus viſus eſt ſupra Jordanem (*Matth. 3. 16.*), quem cum Scripturę nobis ſic repræſentent, quæro ex te, cur ſub eadem ſpecie tabulis pingi prohibitum ſit? Pictor qui in tabula præfatas Dei formas, ut in ſacris paginis deſcribuntur, pingere vellet, catholicus ſane pictor eſſet. Cur porro catholica non erit Eccleſia Patrem Deum repræſentans delineatum, vel depictum ſub forma ſenis in throno ſedentis, quemadmodum viſus eſt Danieli, & Spiritum Sanctum ſub ſpecie Columbæ, ut apparuit in Jordane? Non homo facit Deum ad imaginem hominis, ſed Deus eſt qui, ut hominibus ſe attemperet, apparuit ſub forma hominis, ſub qua etiam pingi permittit.

2. Ululas tamen, & fremis: *Deum pingere, contrarium eſt Scripturæ.* Utique eum pingere ad faciendum ſibi ex imagine Idolum, non ad colendum in

in ipſa imagine Deum. Iſaias, Daniel, Moyſes, ſi Deum adorare intendiſſent in humana illa ſpecie, quaſe Deus ipſis conſpicuum repræſentabat, certe non peccaſſent peccato idololatriæ. Tres Angeli, qui Abrahamo apparuerunt, Dei pictura erant in aere figurata, & Abraham adoravit: neque Dei præceptum violavit, qui per Moyſen (*Deut.* 4. 15. 16.) electo populo ſuo non prohibet ſe fingi ſub quacunque ſenſibili ſpecie, quaſi de ſe malum ſit ita repręſentari, tantumve ipſum admonet, ſub nulla ſpecie, vel imagine perſpicuum ſe in Horeb exhibuiſſe, ne populus ille, putans Deum eſſe viſibilem, ſibi licitum ſuaderet, ipſius ſimulacra, ut Idola, ſibi adoranda conſtituere. Hujuſmodi cura erga illum populum, qui pronus erat ad viſibiles ſibi Deos quærendos, optima, & neceſſaria quodammodo erat: *Cuſtodite igitur ſolicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ, ſimilitudinem omnium jumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub Cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, ſive piſcium qui ſub terra morantur in aquis, ne forte elevatis oculis ad Cœlum, videas Solem, & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas.* Hæc vulgata noſtra, quæ ferme non diſtant a dilectis Bibliis tuis. Animadverto autem hìc prohiberi nedum qualemcunque Dei imaginem, ſed cujuſcunque creaturæ; quamobrem interdicti cauſa erat, ne populus ille recenter egreſſus ex Ægypto, ubi hujuſmodi tanquam numina colebantur, ad oculos habens imagines, & ſculpta, deciperetur, & vero Deo inviſibili relicto, viſibilia illa coleret. Porro ſi & nos eodem præcepto obligentur, æque nobis prohibitum erit imagines habere animalium cujuſcunque generis, nedum ſimilitudines Dei. Ad cuſtodiam hujus præcepti, ab Hebręis non recipiebantur pictores, nec ſculptores, quod Origenes refert *Lib.* 4. *cont. Celſum: In civitatem eorum nullus pictor admittebatur, nullus ſtatuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne qua occaſio præberetur hominibus craſſis, neve animi eorum a Dei cultu avocarentur ad res terrenas per hujuſmodi illecebras.* Inſtas, Iſaiam clamare 40. 18.: *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* Perfectam ſimilitudinem, ejus majeſtati adæquatam, extra Deum quærere impium eſſet, & inſaniſſimum; imperfecta tamen, quæ nempe viſa eſt Iſaię, videlicet Regis ſedentis in throno, ſub cujus pedibus auguſtum Templum, ſuper quod Seraphim ſtarent, quare nequit adumbrari? Si ipſe Deus aſſerit hominem feciſſe ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, quare in hac imagine non poterit contemplari? Homo eſt imago Dei, & ex homine fieri poterit imago quæ ipſum repræſentet, quamobrem picto homine ſit imago Deum repręſentans, cum imago exempli quodammodo exemplaris quędam imago ſit.

3. Nec refert garrire, *Deum pingere, contra ipſius eſſentiam eſſe, & naturam. Quomodo corporeum, corporea ſpecie valet repræſentari? Quomodo inviſibile, viſibili? Quomodo Deus verus, imagine reė mortua, & inanimis?* Quippe ſi ita, quare Deus incorporeus, inviſibilis, vivus, apparuit ſub ſpecie corporea viſibilis hominis, etiam in ſimilitudine Rubi, & Electri? Quare Spiritus Sanctus apparuit in ſimilitudine Columbæ, & linguarum ignis? Naturæ divinæ oppoſitum eſſet, velle ſibi fingere ipſum Deum eſſe qualis pingitur, & in ſe corpus, & humana membra habere, quemadmodum impie hariolabantur *Antropomorphitæ, ſive Vadiani*, qui juxta Auguſtinum *de hæreſ.* 50., & Nicephorum *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 14., audientes Deum feciſſe hominem ad imaginem ſuam, ſacrilege inferebant corpus, & membra Deo eſſe ad modum hominis. Non ita tamen, dum ſub hac forma delineatus, umbra tantum, &

& imperfecta Dei ſimilitudo præſtari prætenditur, ut captui noſtro accommodetur, qui deinde per illam imaginem ſurgat ad intelligendum Deum, ut ipſe eſt, incorporeus, & inviſibilis. Si dum Scriptura Deum nobis proponit quaſi qui ſtat, ſedet, ambulat, aſcendit, & deſcendit, modo iratus, modo placatus, crederemus in Deo re vera hujuſmodi motus eſſe, & affectus, ideam enimvero Dei naturæ omnino oppoſitam conciperemus; minime vero ſi illa ſumamus per quandam analogiam dicta, ut ex his quæ in hominibus accidunt, ea quæ de Deo proprie capere, & explicare neſcimus, ſenſu noſtro quadantenus intelligamus: & bene habet Bellarminus *Lib. 2. de Imag. SS. cap.* 8., Imaginem Dei triplici modo pingi poſſe. I. ſibi ſuadendo Deum eſſe qualis pingitur, naturam habentem hominis, cum membris ſuis, & picturam, naturalem Dei figuram eſſe. Hoc phantaſma eſſet impium, ſacrilegum, a Dei natura alieniſſimum. II. Pingi poteſt Deus, ut ad oculos hiſtoria quædam objiciatur, puta ſi Adam e Paradiſo ejectus repræſentari vellet, pingendus eſſet Deus ad inſtar hominis deambulantis, ſicut a Scriptura deſcribitur: & delineando Deum, non eſſet Dei naturam velle repræſentare, ſed unice factum illud, quod auditui narrando ſignificaretur. III. Pingi Deus poteſt, ut quodammodo ejus majeſtas, & excellentia oculis appareat, illis imaginibus, & ſimilitudinibus adhibitis, quibus Deus quandoque in Scripturis narratur hominibus ſe manifeſtaſſe. Hac ratione inter Catholicos mos eſt Deum Patrem repręſentare, ut ex illa viſibili majeſtate, inviſibilis ejus majeſtas adorabilis mente concipiatur: hic autem quid ſacrilegum? Id non eſt, quemadmodum calumniaris, *æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile*, ut Athenienſes putabant, a D Paulo correpti *Act.* 17. 29. Id autem eſſet, ſi crederetur Deus eſſe ſimulacrum illud, ſive imago, vel qualis ab ipſa imagine, aut ſculptura repręſentatur. Hoc autem, quod nos facimus, eſt ad veritatem eorum quæ Paulus ſcribit 1. *Cor.* 13. 12.: *Videmus nunc per ſpeculum in anigmate: docens*, ſubdit Chryſoſtomus *Hom.* 34., *multo imperfectiſſimam noſtram cognitionem eſſe*. Nos cogitare neſcimus ſimilitudines quæ Dei naturam exprimant, vel nomina quæ eam explicent; attamen, quatenus, ut poſſumus, captui noſtro divinæ perfectiones repræſententur, ea nomina adhibemus, quæ proprie humanas explicant affectiones. D. Auguſtinus *Lib. 2. ad Simplic. qu. 2.* ita diſſerit: *Sunt innumerabilia, quibus oſtenditur, multa divina iiſdem nominibus appellari, quibus humana, cum incomparabili diverſitate ſejuncta ſint: nec tamen fruſtra eadem ſunt rebus utriſque indita vocabula, niſi quia hac cognita, qua in quotidiana conſuetudine verſantur, & experimentis uſitatioribus innoteſcunt, nonnullam ad intelligenda ſublimia illa prabent viam.* Hæc quæ de nominibus a D. Auguſtino docentur, quid non dici valent de ſimilitudinibus? Profecto quod tum etiam de iſtis valeant dici, teſtatur Grotius (*diſcuſſ. Rivet. Apologetic.*) his verbis: *De Deo autem ſi agimus, certum eſt, ſi eo animo ſimulacra, aut etiam hiſtoria, quales dixi, fiant, ut credatur Deus homini, aut animanti alicui ſimilis, id illicitum eſſe. Patet hoc per ſe, & docetur a Paulo (Rom. 1. 23.). At vero naturaliter non eſſet illicitum, Deum ea forma exprimere, qua ſe Patribus conſpiciendum dedit; idque ante legem licuiſſe ſentiunt Judaorum eruditi. Nec Deo injuriam fieri, ſi non naturam ejus, ſed majeſtatem adumbramus, & majeſtate qua inter homines maxima eſt, puta potentiſſimi Regis, ſenſere Philoſophi, ut inter eos maximus Tyrius diſſertatione de Imaginibus.* Poterat ne enucleatius loqui Romanus Theologus?

4. Contendis, Deum pingere, *alienum eſſe a praxi Eccleſia per multa ſecula, nec fuiſſe Catholicos, ſed Armenianos, qui depingebant Patrem, & Spiritum Sanctum.* Non prætendimus,

uſum

uſum pingendi Deum Patrem, & Spiritum Sanctum, fuiſſe in omnibus Eccleſiæ ſeculis, de quo videatur Pagius *ann. 55. num. 5.*, neque inficiamur, *Synodum Nicanum II. praſcripſiſſe Imaginum cultum, quin Deo ullam Imaginem faceret. Gregorius II.*, apud Baronium *ad ann. 726. num. 28., Ep. ad Leon. Iſaur.* rationem reddit: *Cur tandem Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti non oculis ſubjicimus, ac pingimus? Quoniam quis ſit non novimus: Deique natura ſpectanda proponi non poteſt, ac pingi.* Sed advertere debebas, Gregorium poſt præfata verba ad Leonem ſubjicere: *Quod ſi eum intuiti eſſemus, ac noviſſimus, prout Filium ejus, illum quoque ſpectandum proponere potuiſſemus, ac pingere, ut & illius imaginem Idolum appellares.* Baronius autem, narrato uſum poſtea invaluiſſe pingendi in Eccleſia Patrem, & Spiritum Sanctum, ſubdit „ Non quod in præſens Pater, „ & Spiritus Sanctus facti ſint viſibiles, ſed quia ex divinis Scripturis „ conſtat Patrem ſub ſenis ſpecie, „ & Spiritum Sanctum in ſpecie Columbæ apparuiſſe, „ *quod enim deſcribitur, idem & pingitur, cum ſit eadem ratio utriuſque, ſtili nimirum, & penicilli.* Ex quo deducitur, quod quamvis Gregorius II. aſſereret ſuo tempore non conſueviſſe Patrem æternum pingi, cum ſe non manifeſtaſſet, concedebat tamen, ſi manifeſtaretur, pingi potuiſſe. Hoc eſt contra Proteſtantium mentem, qui cum Leone Iſauro hujuſmodi picturam appellarent Idolum. Tametſi autem Eccleſia vetus uſum hunc nondum introduxiſſet pingendi Patrem, quia in vera carne viſibili in terris viſus non eſt, quemadmodum Filius, potuit tamen ſubſequens Eccleſia hujuſmodi praxim amplecti, attentis viſibilibus apparentiis, ut ait Baronius, quæ tam Patris, quam Spiritus Sancti in Scripturis deſcribuntur, quoniam utriuſque par ratio eſt, ſtili, & penicilli: & quemadmodum ſtilus non ipſum deſcribit ad intentum proponendi ſubjiciendique oculis ipſius naturam, ſed dumtaxat ut ex viſibili illa ſpecie mens excitetur ad inviſibilem ejus majeſtatem colendam, eadem prorſus imitatur penicillus. Quale monſtrum, delicatule, in hac doctrina te terret? Nonne ipſe de Euchariſtia verba faciens, toties ais, Chriſtum inſtituiſſe *ſacra pignora, panem, & vinum*, ut ad ipſorum conſpectum, noſtri ſpiritus erigerentur ad contemplationem, & cultum Chriſti in Cælis? Ita nunc ego: Pater æternus, & Spiritus Sanctus in formis illis ſenſibilibus ſe ſe manifeſtarunt, & Eccleſia has ſpecies delineat, ut ex iſtorum viſibilium conſpectu aſcendat mens ad contemplationem, & cultum Patris, & Spiritus Sancti. Hinc *Armeniani*, vel *Armeni* hæretici erant, quia, ſi tamen vera ſint quæ Nicephorus narrat *Lib. 18. hiſt. cap. 53.*, pingentes Patrem, & Sanctum Spiritum, utriuſque naturam delineare præſumebant, quaſi eſſet in ſe utrique corporea, & definita, aut quod alium errorem inſinuare his Imaginibus prætenderent, nimirum totam Trinitatem paſſam fuiſſe, & conſequenter corpus aſſumpſiſſe. Nos vero Catholici ſumus, quia in tabulis noſtris non prætendimus Patrem, & Spiritum Sanctum repręſentare quales in ineffabili, & propria natura ſua ſubſiſtunt, ſed unice Imagines illas, ſub quibus ſe ſe manifeſtarunt.

§. II.

De ſacris Imaginibus in genere.

5. PAter Segneri non timet Imagines *adorare*, quod ſuaſus ſit, in ipſarum cultu non tabulam, coloreſve quibus conficiuntur, adorare, ſed quod per iſta repræſentatur: hęc autem quæſtio in Nicæna II. valde verſata, gloriam Catholicis retulit, Iconomachis ignominiam. Variatio autem, quam Segneri facit vocabuli *adorationis* in illud *venerationis*, tradita, & inſinuata ipſi a Tridentina Synode *Seſſ. 25.*, quę præcipit ſacris Imaginibus reddi *debitum honorem, & venerationem*, non *pudore* nos afficit, ut impudice calumniaris, nec ſtude-

mus *obumbrare foliis pudenda Eccleſiæ matris*, quæ immaculata intacta eſt; etenim clamat Cyprianus *de unit. Eccleſia: Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti: incorrupta eſt, & pudica*; ſed prudenti, & ſapienti hac utimur œconomia adverſus hæreticorum mendacia, & calumnias, dum perfidi, & pertinaces nolunt diſcernere cultum *primarium & abſolutum*, a ſecundario *& relativo*, *& adorationem latriæ & ſervitutis* ſoli Deo propriam, ab adoratione *ſacræ venerationis & honoris*, ſervis Dei, eorumque rebus communi. Vultis adorationem omnem Deo deberi, quæque autem ipſi immediate non exhibeatur, idololatria ſit, quanquam oppoſitum oſtenſum ſit evidentiſſime. Quid porro agendum? Ne in quæſtione nominum pereant tempus & verba, ut petulantia ora veſtra tandem obſtruantur, variatur nomen *adorationis* in illud *venerationis*, invariato tamen rei ſignificato, & invariata ſententia, quod facimus edocti a Synodo Nicæna II. *Act.* 16.: *Sive igitur placebit ſalutationem, ſive adorationem appellare, idem profecto erit, modo ſciamus excludi latriam. Hæc enim eſt alia a ſimplici adoratione, ut alibi eſt oſtenſum*. Quocirca modo utitur *adorationis* nomine, ut in ſequentibus: *Qui autem eſt adoraturus venerandam Imaginis picturam*, modo *venerationis*, ut inferius in decreto Synodi: *Definimus venerandas & ſanctas Imagines*. Nos vobiſcum agimus, quod antiqui Catholici cum *Arianis* circa nomen *Hypoſtaſis*, quia *Ariani* hoc vocabulo *Hypoſtaſis*, quod Grçce idipſum ſignificat ac *eſſentia*, vel *ſubſtantia*, abutebantur, decipientes parvulos, ſcilicet quod fateri in Deo tres Hypoſtaſes, idipſum eſſet ac in Deo fateri tres eſſentias, vel ſubſtantias. Divus Hieronymus Damaſo ſcribens *Epiſt.* 57. nunc 14., ajebat de hoc nomine Hypoſtaſis: *Venenum ſub melle latet*; hinc hortabatur: *Taceantur tres hypoſtaſes, ſufficiat nobis dicere unam ſubſtantiam tres perſonas ſubſiſtentes*. Et D. Thomas 1. p. qu. 29. ar. 3. ad 3. id confirmat, inquiens: *Antequam ſignificatio hujus nominis* (Hypoſtaſis) *eſſet plene nota apud latinos, hæretici per hoc nomen ſimplices decipiebant, ut confiterentur plures eſſentias, ſicut confitentur plures Hypoſtaſes*. Ita nos, & Eccleſia Catholica Romana, nacta vos abuti hoc vocabulo *adorationis*, captantes ſimplices, qui crederent eodem cultu nos Deum, Sanctos, eorumque Imagines proſequi, prudenter, relate ad Sanctos, & ſacras Imagines, mutavit *adorationis* nomen in illud *honoris*, et *venerationis*, fidem tamen non immutavit. Inclinate igitur tandem aures veſtras, & intelligite quæ ſit vera ſententia noſtra cum pronuntiamus nos *adorare* Imagines; tunc quippe vocabulo *venerationis* dimiſſo, *adorationis* nomen inoffenſe prædicabimus, quemadmodum Synodus Nicæna II. fecit: & videbitis id non eſſe *æquivocationibus uti*, *& muſſitare dentibus*, ſed nitide Domine Picenine, nitidiſſime loqui.

6. Quod *veneratio*, ſive *adoratio* Imaginum Deum non habeat auctorem, nec articulus ſit veræ Religionis, putas Apolog. *pag.* 437. hac una interrogatione probare poſſe: *Qui venerationem præſcripſit Imaginum? Deus? Profecto non equidem. Non invenio in tota Scriptura hoc præceptum*. Nec vis capere idem eſſe *venerari*, ſive *adorare* alicujus rei Imaginem, vel ſimilitudinem, ac venerari, vel adorare rem per illam repræſentatam, ut docet Nicæna II. in definitione: *Imaginis enim honor in prototypum reſultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quodque deſcriptum argumentum*: quod ſi capi vellet, dicerem Deum præcepiſſe adorationes Imaginum, & ſacrarum rerum, dum mandatum dedit ſe ſolum eſſe adorandum. „ Qui Imperatoris imaginem
„ intuetur (ſic Epiphanius Diaconus
„ in VII. Synodo *Act.* 6.) in illa
„ Imperatorem contemplatur, & qui
„ ejus adorat imaginem, ipſum Im-
„ peratorem adorat; ſiquidem ima-
„ go illa ipſius eſt forma, & figura:
„ quemadmodum qui Imperatoris ſ-

„ per-

,, pernatur imaginem, non aliter ac ,, ſi Imperatorem offendiſſet punitur, ,, quanquam imago illa nil aliud ſit, ,, quam lignum, & colores, ita qui ,, typum, aut alicujus figuram injuriis ,, afficit, illius, cujus eſt typus, vel fi- ,, gura, perſonam male afficit ,, *Hoc* (ſic ipſe concludit) *etiam univerſi mortales agnoſcunt, Patreſque ſanctos ita tradidiſſe norunt: & illi qui aliter docent, Eccleſia Catholica, immo natura rerum contradicunt.* Eodem præcepto quo Deus mandat ne Corpus, & Sanguis Domini tractetur indigne, mandat etiam Euchariſtiam indigne non tractari, quia idem eſt ac ſi Corpus, & Sanguis Domini tractaretur indigne. Ita D. Paulus 1. *Cor.* 11. 29.: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quod a te ſupra conceſſum fuit Apolog. *pag.* 349.; & tamen, ſi te audiamus, Euchariſtia ſimplex typus eſt, & figura, vel imago Corporis, & Sanguis Domini. Ergo e contra: ſic *ad hominem*, ut ajunt, te aggredior: Eadem lege, qua præcipitur Corpus adorari, & Sanguis Chriſti, præcipitur etiam adorari Euchariſtia, quamvis, ſecundum te, ſignum, & imago: ſiquidem quemadmodum qui iſtam indigne tractat, indigne tractat & illud, ita qui iſtam adorat, illud adorat. Scio hanc illationem te negaturum, ſed ipſe putes. Judicem appello quempiam qui legerit, an recta ſit illatio; etenim illa eſt, quę Patres Nicęnos plene ſuaſit, ut Iconoclaſtas proſcriberent.

7. Porro videamus, an poſſibile ſit præceptum aliquod expreſſum reperire circa venerationem, & ſacrum honorem eorum quæ ad Deum ordinantur, & ejus nobis repræſentant majeſtatem. Arca Teſtamenti merum ſignum erat majeſtatis, & præſentiæ divinæ: attamen tanta veneratione volebat Deus honorari, quod nec a populo manifeſte videri, nec a Levitis nudis manibus tangi ſerebat. Notum eſt qua plaga Bethſamitas affixerit 1. *Reg.* 6. 19., quod eam aſpicere auſi ſint, & qua pœna Ozam percuſſerit, quod manum in eam porrexerit 2. *Reg.* 6. 7. Joſue ſcidit veſtimenta ſua, & pronus in faciem cecidit ante Arcam Domini *Joſue* 7. 6., & uſque ad veſperam ipſe, ac ſeniores Iſrael proſtrati jacuerunt. Ecce a Deo præcepta veneratio, & adoratio Arcæ, quæ nonniſi typus, & ſignum erat: cur porro ſacras Imagines venerari nullo compellemur præcepto, quę prototypi ſui ſunt expręſſæ ſimilitudines? Feſtos dies, utpote Deo devotos, & ſacros, ſanctos ab omnibus haberi præceperat *Exod.* 12. 16.: *Dies prima erit ſancta, & ſeptima dies eadem feſtivitate venerabilis.* Terram, ex Dei præſentia loquentis in rubo *Exod.* 3. 5., ſanctam haberi, et honorari a Moyſe voluit: *Ne appropies huc: ſolve calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* In *Sancta Sanctorum* ingredi, ſoli Aaroni, et filiis ejus permiſſum fuit, et nonniſi ſemel in anno *Num.* 4. 5. Sacerdotum indumenta, vaſa ſacra reverenter tractanda erant *ibid. verſ.* 6. *&c.*, et Caath filiis præcipitur: *Ut portent involuta, & non tangant vaſa Sanctuarii*, et hoc pœna mortis: *Ne moriantur, ibid. verſ.* 15. Additur vero *verſ.* 20.: *Alii nulla curioſitate videant quæ ſunt in Sanctuario, priuſquam involvantur, alioquin morientur.* Pręceptum porro tam grave inſtabat ad ea veneranda, quæ ad divinum miniſterium unice inſtituta erant, nullum autem erit præceptum de adoranda Cruce tincta Sanguine Servatoris, de inſtrumentis ſuæ paſſionis, de Imaginibus ejus? Ad hæc. Duo illi Cherubim ad latus Arcæ poſiti, a Judæis Deo præcipiente colebantur, non obſtante prava populi illius indole in idololatriam declinante, et e medio illorum divina reſonabant oracula: *Venerabantur quondam* (Divus Hieronymus *Epiſt.* 44. ſive 17. *Paul. & Euſtoch. ad Marcellam*) *Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca Teſtamenti, Manna, & Virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur Sepulcrum Domini? Quod quotieſcunque ingredimur, toties jacere*

in ſindone cernimus Salvatorem, & paululum ibidem commorantes, rurſus videmus Angelum ſedere ad pedes ejus, & ad caput ſudarium convolutum? Cujus Sepulcri gloriam, multo antequam excideretur a Joſeph, ſcimus Iſaia vaticinio prophetatam, dicentis: Et erit requies ejus honor; quod ſcilicet ſepultura Domini locus eſſet ab omnibus honorandus. Vult Deus nomen ſuum vereri, nec in vanum aſſumi *Exod.* 20. 7., in ipſum ſperari *Pſ.* 32. 21., laudari, et benedici *Pſ.* 112. 2. 3., in nomine Jeſu genuflecti Cęlum, Terram, Inferos *ad Philipp.* 2. 10. Nomen tamen non eſt niſi ſignum. Si ergo nudum ſignum quod Deum reſpiciat, verendum, venerandum, adorandum eſt, quid non Imagines Chriſti, & Sanctorum ejus?

8. Reſpondes Apolog. 438., *expreſſum inſtare contrarium Dei praeceptum, Deumque in ſecundo praecepto prohibere Imagines fieri, & damnare cultum ipſis a Jeſuitis redditum.* Cultum nempe dicere debebas, quem eis exhibent Idololatræ, non Catholici. Præceptum ſcilicet eſt: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem qua eſt in Cælo deſuper, & qua in terra deorſum, nec eorum qua ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego ſum Dominus Deus tuus fortis, zelotes. Exod.* 20.4. Calumnia tua Iconoclaſtarum furfur eſt, quem excuſſit Epiphanius Diaconus in Nicæna II. *Act.* 6. ,, Vellem te recogitaſſe, præceptum illud ,, populo injunctum, quem Dominus ,, in terram promiſſionis ducturus ,, erat, quam incolebant Gentes ,, quę adorabant, ſerviebantque Idolis, Dæmonibus, Soli, Lunæ, Stellis, aliiſque creaturis, volatilibus ,, etiam, quadrupedibus, & reptilibus, quæ Deum verum non agnoſcebant. Ideo tanta diligentia præcepit eis ne ſimile quidquam eorum facerent, quæ in Cælo ſunt, ,, & in terra. Poſtquam autem ab ,, idololatria eos præſervavit, & præcepit ædificari Tabernaculum Teſtamenti, Moyſes ędificavit etiam ,, duos ſenſibiles Cherubim in forma ,, hominum, tegentes Propitiatorium, figuram Chriſti, qui propitiatio fuit pro peccatis noſtris ,,. Ita Epiphanius Iconomachis, ita ego tibi. Deus voluit duos illos Cherubim cum Arca ſimul adorari. Hoc idem præceptum adverſus Imagines proponebat quidam Hebræus Leontio Epiſcopo Nemeæ Cypri. Sed en reſponſum *Act.* 4. ejuſdem Synodi Nicenæ II. relatum ,, Horrendum ſane ,, verbum hoc eſt, quod Iſraeli præcipitur, ne fiat ulla ſtatua, vel Imago, vel ſimilitudo eorum ſive in ,, Cælo, ſive in terra. Iterum tamen ,, Moyſi præcipitur ſtatuas facere, ,, & animatos Cherubim, Ezechieli ,, injungitur omnia implere Imaginibus, ſimilitudinibus, ſculptilibus, ,, leonum, palmarum, & hominum: ,, & ſub hac forma ipſi oſtenditur ,, Templum, *Ezech.* 4. 1. Quamobrem ,, Salomon hac ſibi forma pro lege ,, ſtatuta, replevit Templum ſculptilibus ęneis, Imaginibus factis boum, leonum, palmarum, & hominum: nec ideo reprehenſus fuit a Deo. Ergo ſi pro Imaginibus ,, me condemnas, Deum ipſum condemnare oportebit, qui ſimiles res ,, facere præcepit in illorum memoriam, quæ ſunt apud nos ,,. Si mihi objicias præceptum Dei per Moyſen promulgatum de Imaginibus non efformandis, & ego tibi repono aliud præceptum Dei ad Moyſen duos efformandi Cherubim, & Salomonem Templum cælantem ſculptilibus, & Imaginibus, nec propterea a Deo reprehenſum; immo Ezechieli eiſdem ſimilitudinibus, & Imaginibus ornatum a Deo oſtenſum fuit Templum, cum erat reædificandum. Si conquereris, & petis quare Imaginibus utamur, Deum redargue, qui nobis ita præcepit, vel non prohibuit. Si autem ſubdas, *Imagines illas adoratas non fuiſſe tanquam Deos*, milleſima vice notum tibi facimus: *Neque enim apud nos adorantur ut Dii Sanctorum Imagines, typi, & characteres.*

§. III.

§. I I I.

Antiquitas cultus Imaginum.

9. SAcrarum Imaginum cultum Apolog. *pag.* 438. ſic adoriris: *Si Imaginum adoratio omnibus ſeculis probari meruit, id meruit etiam Apoſtolorum ſeculo. Si probationem habuit Apoſtolorum ſeculo, veſtigium aliquod ſignatum erit in ipſorum ſcriptis. Porro iſti hunc cultum ſub perpetuo ſilentii velo abſcondunt. Id utique cum Panigarola dicam plurimum referret, ſi textus eſſet Evangelii, in quo a Chriſto praſcriberetur hujuſmodi veneratio: vel ſaltim alicujus Sancti exemplum, qui eam uſu conſecraſſet. Porro in utramque partem adverſarii claudicant.* Hæc tu, quæ in te, tuo ipſo proceſſu ſermonis, ſic converto: Si Imaginum adoratio fuit omnibus ſeculis damnata, tum etiam ſeculo Apoſtolorum: quod ſi ita, aliquod in ſcriptis eorum deberet apparere veſtigium: contra iſti velo taciti ſilentii hanc damnationem involvunt. D. Joannes (1. *Joann.* 5. 21.) Chriſtianos monet præcavere ab Idolis, quod et ceteri Apoſtoli inſinuant, non autem abſtinere a Cruce, & ab Imaginibus Jeſu & Sanctorum. Amabo te, ſi tandem diſcas diſtinguere inter uſum venerandi Imagines, & inter eas poſſe, vel non poſſe venerari, nempe inter diſciplinam, & dogma. Uſus Imaginum, & eorum cultus, ritus eſt, non dogma; ſed deberi, nec ne, licere, nec ne Imagines venerari poſito uſu, articulus eſt ad dogma pertinens: quocirca dicere Apoſtolos non habuiſſe, nec retinuiſſe Imagines, nihil adverſum nos urget, niſi probetur in uſu non fuiſſe quia uſus haberetur illicitus, & quæcunque earum ſacra veneratio aliena a vero dogmate reputaretur. Tametſi igitur tibi darem, Apoſtolorum ſeculo nullum fuiſſe Imaginum uſum, neque idcirco ratio deficeret, pium ſcilicet, & utilem eſſe Imaginum uſum, & cultum. Tunc res erat de Hebræis ad fidem revocandis, quibus interdictus fuerat hujuſmodi cultus, de Paganis ad Chriſtum trahendis, qui poſt Idola, & ſimulacra deperibant: neve igitur ſcandalum illi paterentur, & idololatriæ periculum iſtis præberetur, cautum eſt ab uſu Imaginum, & ſculptilium abſtinere. Sed Apoſtoli qui Chriſtum viderant, quid non parati ejus Imaginem colere? Lex vetus nullam cujuſcunque generis permiſit Imaginem, & præcepto poſitivo eas prohibuit, quando rationabiliter timebat ſuperſtitionis certa imminere pericula, poſt tamen introductæ fuerunt, & Deo probante ſteterunt: ita nova lex antea potuit ex eadem cauſa hunc cultum uſu præterire, quem ceſſante periculo meditabatur promovere. In Synodo Apoſtolorum ſtatutum fuit abſtineri a ſanguine, & ſuffocato, *Act. cap.* 15. 28. 29.: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hac neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Hic videtur prohiberi ſanguis, & ſuffocatum, & a cibis Idolo ſacris, & a fornicatione. Hujuſmodi interdictum Tertulliani temporibus adhuc vigebat, qui in Apologet. *cap.* 9. Gentiles oppugnat, Chriſtianos criminantes, quaſi occiſi infantis ſanguinem biberent, inquiens: Quomodo poſſumus humano ſanguine veſci, *qui ne animalium quidem ſanguinem in eſculentis habemus, qui propterea quoque ſuffocatis, & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto.* Ita Minutius Felix, & Biblides Martyr Seculo II., apud Euſebium *Lib.* 5. *hiſt. cap.* 1., de quo videri poteſt Gangrenſe Concilium *Can.* 2., & D. Hieronymus *ad cap.* 4. *Ezechielis.* Trullana Synodus Seculo VIII. *Can.* 69. præſcripſit abſtinentiam a quoquo ſanguine; idcirco dicendum ne modo eſſet, Chriſtiano non licere ſanguine uti, & ſuffocato, quia nec Apoſtoli his uſi ſint, & Chriſtiani per ſecula ab illis abſtinuerint? Et tamen hujus abſtinentiæ Deus Hebræis præ-

Digitized by Google

ceptum dederat, Apoſtolorum Synodus ſanciverat, & per nonnulla ſecula hunc uſum Ecclefia ſervaverat. Quid ergo ex eo quod Imaginum uſus Hebræis a Deo vetitus fuerit, ab Apoſtolis vero nec introductus, nec primis ſeculis legatur adhibitus, inferri prætenditur, licitum omnino non eſſe Imagines habere, & colere, quarum ſi uſus non conſtet, neque conſtat fuiſſe prohibitum? De non uſu igitur Imaginum ea repetamus, quæ D. Auguſtinus de non uſu ſanguinis in primis ſeculis Fauſto ſcribebat, *Lib.* 32. *contra Fauſtum cap.* 13.: *Si hoc tunc Apoſtoli præceperunt, ut ab animalium ſanguine abſtinerent Chriſtiani, ne præfocatis carnibus veſcerentur, elegiſſe mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus oneroſam, in qua cum Iſraelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem in ſe condentem, aliquid communiter obſervarent.* Hac ratione præteriri facile poſſunt textus omnes a te conglobati, ut probes Chriſtianos in primis ſeculis Imaginum uſum non recepiſſe. Videatur etiam Pagius *Critic. Baron. ad ann.* 55. *num.* 3.

10. Meo quidem animo nihilominus tenendum cenſeo, Imaginum uſum Apoſtolorum etiam tempore obtinuiſſe, & earum cultum receptum fuiſſe. Ita Epiphanius aſſerit Synodi VII. *Act.* 6.: *Uſque adeo venerandarum Imaginum obſervatio in Eccleſia obtinuit, ut ab eo tempore quo Evangelium prædicari cœptum eſt, ad hæc uſque tempora, recepta fuerint. Jam autem cognoſcimus, omne quod antiquitate excellit, venerandum eſſe.* Si, ut ais, *maxime nobis prodeſſet, ſi unus textus in Evangelio haberetur, quo Chriſtus mandaſſet Imagines venerari*, æque tibi maxime obeſt, in Evangelio, ſive in Apoſtolicis ſcriptis nullum haberi textum, qui prohibeat hujuſmodi cultum; hunc vero in Eccleſiam inolevisse, quin valeat ipſius auctor deſignari. Primos qui eum oppugnarunt ſcimus, qui vero introduxerunt neſcimus, argumentum evidens, ut ex D. Auguſtino toties inſinuavi, ab Apoſtolica Traditione deſcendiſse, quæ etiam eſt Epiphanii ratio ad dictum D. Pauli 2. *Theſſalon.* 2. 14. *Tenete Traditiones &c.*, unde concludit: *Omnes igitur Chriſtiani, qui in Eccleſia Catholica geniti ſumus, Traditiones, quas accepimus, ſervamus; & in iis ſtabiliti ſumus, novamque hanc vaniloquentiam, ſecuti divinum Apoſtolum, rejicimus.* Hujus Traditionis fidem facit, juxta Epiphanium, Hæmorrhoiſſæ illius Imago, quæ a Chriſto ſanitatem accepit, apud Euſebium *Lib.* 7. *hiſt. cap.* 18., quæ, ut poſteris accepti beneficii memoria illuſtrior redderetur, æneam ſtatuam Chriſto erexit, dexteram ſupplicanti ad pedes revolutæ porrigentem, quam ſtatuam vidiſse Euſebius ipſe affirmat, addens, ex baſi germen prodire, fimbriam veſtimentorum Chriſti non excedens, quod ad hujus infirmitatis genus ſanandum efficaciſſimum erat: præterea refert mirum non eſſe, gentes Chriſti beneficiis auctas, hæc grati animi ſigna exhibuiſse, dum ipſemet vidiſset, ad ſua uſque tempora Apoſtolorum Petri, & Pauli, tum etiam Jeſu Chriſti Imagines reſervari, ſiquidem veteres illi indiſcriminatim, *cunctos de ſe benemeritos, gentili quadam conſuetudine tanquam ſervatores colere hujuſmodi honoribus conſueverant.* Hæc hiſtoria, quamvis a Dallæo mille ineptis fallaciis excuſsa, vera habenda eſt, & in dubium revocare quod quis propriis vidiſse oculis teſtatur, temerarium omnino eſt. Merito itaque eam ſuſtinet Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. ſec.* 8. *diſſert.* 6. §. 2. De Imaginum uſu teſtis eſt etiam Tertullianus in Lib. *de Pudicitia cap.* 10., ubi præſupponit illorum temporum Chriſtianos in Calice pictum habere Jeſum Chriſtum in figura *Paſtoris: Si forte patrocinabitur Paſtor, quem in Calice pingis*, & ſupra *cap.* 7.: *Procedant ipſa picturæ Calicum veſtrorum*, quo Tertullianus jam Montaniſta Catholicis inſultabat, quod Chriſti boni Paſtoris exemplo, ad communionem adulteros reciperent poſt pœnitentiam.

11. Ve-

11. Verum Apol.*pag*.438. profers, *primorum ſeculorum Chriſtianos Imagines non habuiſſe*. Hinc dicebat Paganus Cæcilius : *Chriſtiani non habent nec Templa, nec Altaria, nec effigies*. Chriſtiani, ex dicto Cæcilii, ſicut non habebant effigies, ita nec Templa : quid ergo vos Proteſtantes, antiquitatum zelatores, Templa habetis, et Eccleſias? Chriſtiani illi non ea habebant, non quod Chriſtianæ religioni contraria reputarent, ſed a Tyrannis vexati occulte vivebant, nullam publici cultus profeſſionem proferentes, cum nec Templa, nec Altaria permitterentur erigere, nec Imagines publico exhibere; cuncta autem in abſcondito exercebant, ne a Gentilibus deprehenderentur, quemadmodum in præſens etiam Chriſtiani faciunt in partibus infidelium, et ipſimet Catholici in partibus hæreticorum. Ideo Cæcilius Octavium interrogabat, quare Chriſtiani *occultare, & abſcondere quidquid illi colunt magnopere nituntur, cum honeſta ſemper publico gaudeant, ſcelera ſecreta ſint?* Inde ſubjicit : *Cur nullas aras habent? Templa nulla? Nulla nota ſimulacra?* Inſanum propterea eſt ex his inferre, primos Chriſtianos Imagines non habuiſſe, ſed e contra inſerendum publico non exhibuiſſe, nec gentibus manifeſtaſſe. Videatur etiam Pagius *Crit. Baron. ad ann.* 55. *num*. 3. & 4., qui ex non uſu Imaginum apud primævos Chriſtianos, probat inſerri minime poſſe illicitum eſſe earum uſum. Inſtas iterum, *Chriſtianos damnaſſe Gentiles, quod religioſum cultum exhiberent ſimulacris, idcirco in catalogum hæreticorum referebant Gnoſticos, & Carpocratianos : illos, quia quaſdam icunculas habebant, quas Chriſti formam eſſe effutiebant a Pilato effigiatam : iſtos, quia Imaginibus Jeſu ſerviebant, quas adorabant, & thurificabant* (*Iren. Lib.* 1. *adverſ. hæreſ. cap.* 23. 24.). Nil præterea in ſumma cogitas, quam puſillos fallere. *Gnoſtici*, & *Baſiliani* a Divo Irenæo inter hæreticos recenſentur, quod Imaginibus fœdiſſimis et ſuperſtitioſis uterentur : *Utuntur magia, & Imaginibus, & incantationibus, & invocationibus, & reliqua univerſa periergia : nomina quoque quædam affingentes Angelorum*. Ita Irenæus *Lib.* 1. *cap.* 24. §. 5. Deformes Imagines, quibus utebantur, a Joanne Macario editæ fuerunt. Si Gnoſtici et Baſiliani igitur hæretici erant, utentes ſuperſtitioſis & fœdiſſimis Imaginibus, tales non erunt Chriſtiani ſacras Imagines venerantes. Bene habet Baronius *ad an.* 120. *num.* 13., poſt deſcriptas quaſdam Baſilianas Imagines : *Ex his igitur perſpicue lector vides, quam longe diſpares ſint Baſilidis, quæ ab Irenæo damnantur, Imagines, ab illis quibus Chriſtiani Catholici religioſe, pieque uti ſolent, unde & recentiorum Iconoclaſtarum hæc in nos tum imperitia, tum dolo malo objectantium, habeas calumniam exploratam, atque pariter confutatam*. Carpocratiani hæretici habiti ſunt, non quod Chriſti Imaginem colerent, ſed quia ſecum adorabant illam Homeri, & Pythagoræ, Gentium more. Verba D. Irenæi *Lib.* 1. *cap.* 25. hæc ſunt : *Gnoſticos ſe autem vocant, & Imagines quaſdam quidem depictas, quaſdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Chriſti factam a Pilato illo tempore, quo fuit Jeſus in hominibus : & has coronant, & proponunt cum Imaginibus Mundi Philoſophorum, Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquorum, & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ac gentes faciunt*. Divus vero Auguſtinus de Carpocratianis ait *hæreſ.* 7. : *Secta ipſius fuiſſe traditur quædam Marcellina, quæ colebat Imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo*. Chriſtiani porro juſtam damnandi cauſam habebant cultum illum ſacrilegum, quo Imagines Homeri & Platonis ſimul cum illis Jeſu Chriſti pariter colebantur : ſicut Spiritus Sanctus Azoti cives juſte percuſſit, qui Arca Domini juxta Dagon poſita, una manu Arcæ, altera Dagon thus adolebant (1. *Reg.* 5.). Quemadmodum vero non idcirco

circo

circo ſequitur religioſum Arcę cultum a Deo, & Hebræis damnatum fuiſſe, ita neque reprobatum a Deo, & Chriſtifidelibus ſacrum cultum Imaginum Chriſti, ſejunctim ab illis Philoſophorum, & ſemotis Gentium ſuperſtitionibus. Jamque & hìc Picenine ſolita tua fallaciſſima argutandi ratione peccas; ſiquidem ex eo quod paganico ritu Imagines coli prohibeantur, nec cum profanis Imaginibus Philoſophorum thus ipſis poni debeat, infers nulla ratione, nullo ritu adorandas eſse, quacunque etiam paganica ſuperſtitione præciſa.

12. Iterum *pag.* 438. ſuſcipis. *veteres Chriſtianos nedum picturas, & ſculptilia abegiſſe, ſed & Pictores, & Sculptores, ut aperte conſtat in libris Tertulliani* (*de Idololatr. cap.* 3.), *ut de aliis taceamus; Artifices Statuarum, & Imaginum, Diabolus Mundo intulit.* Sic Tertullianus ſcribebat Hermogeni; & Lactantius *Lib.* 2. *divin. Inſt. cap.* 12. inquit, *Diabolos eſſe, qui Imagines facere docuerunt.* Si horum ſcriptorum dictis ſtemus ut ſonant, nulli Chriſtiano licebit pingendi, ſculpendique artem exercere. Nunquid Proteſtantes ab ipſis abſtinent ſicut Hebræi, qui in Urbes ſuas hujuſmodi artifices non recipiebant? Non equidem, quinimmo eorum Principes inſigniora penicilli opera ex Italia pretio tranſtulerunt. Tertulliani, & Lactantii mens non erat pingendi ſculpendique artem generatim execrari, ſed artifices illos, qui conducti erant ad Imagines & ſtatuas conſtruendas Idolorum, quod infertur ex his quæ Tertullianus *cap.* 4. ſubdit: *Idolum tam fieri, quam coli Deus prohibet.* Neque eorum excuſationem admiſit, dicentium ad ſuſtentationem vitæ hæc facere, cum non aliter victum ſibi poſſent comparare, exemplum proponentes D. Pauli, & ejus verba 1. *Theſſalon.* 4. 11.: *Ut unuſquiſque operetur manibus ſuis ad victum*; etenim reſpondet *cap.* 5.: *Si hoc præceptum ab omnibus manibus defendatur, credo & fures, & balnearios manibus ſuis vivere, & ipſos latrones manibus agere quo vivant.* Tertullianus tamen ipſis concedit, ſi neceſſitas urgeat, ea facere, quæ ad uſum idololatriæ non valeant adhiberi. Hermogenem redarguebat, non quod de ſe vitio tribuenda eſset ars pingendi, ſed quia in illa calamitate temporum tabulas pingere, idem erat ac Idola conficere, vel quia Hermogenes Chriſtianus jam adhuc Idola faceret. Ceſſato deinde idololatriæ periculo, ceſſit rigor diſciplinæ, ut in veteri lege inſtante periculo idololatriæ Deus omnia prohibuit ſimulacra. Atque hìc iterum ſophiſtica arte tua peccas, dum ex eo quod licitum non eſſet Imagines facere ad idololatriam imminente ejus periculo, illicitum infers omnino eſſe Imagines quomodolibet facere. Lactantius eodem ſenſu loquitur *Lib.* 2. *divin. Inſt. cap.* 2., non 12.

13. Attendamus quæ *pag.* 438. nova arcana proferas: *Ælius Lampridius in vita* 30. *Tyrannorum refert, diſponente Adriano Cæſare Chriſtianis quædam Templa deſtinare. quidam a conſiliis ipſum monuit, ſi id faceret, Romanis omnibus periculum imminere Chriſtianos fieri. Quare? Quia, dixit aulicus ille, Chriſtiani Templa ſua habent ſine Imaginibus; id autem amant Romani, qui jam per multos annos ſimulacris caruerunt. Factum eſt innegabile.* Negare poſſem, priſcos Romanos abſque ſimulacris Templa habuiſſe. Dionyſius Halicarnaſſeus *Lib.* 2. *antiquit. Roman.* ſcribit, quod Romulus *Templa, & areas ſacras, araſque, ac ſignorum ædiculas, tum eorundem ſimulacrorum effigies .... juxta optimos quoſque Græcorum ritus inſtituit.* Attamen detur. Tyrannorum autem vitæ, non Ælii Lampridii, ſed Trebellii Pollionis ſunt: ſed & parcatur tibi. Apud Lampridium in Alexandro Severo factum narratur, partim ut refers; qui ait, Severum excogitaſſe Templum Chriſto ędificare, & inter Deos recenſere, quod ab Adriano etiam meditatum fertur. Iſaacus Caſaubonus ſuſpectam habet hanc hiſtoriam, quia veterum Patrum nemo

mo, non Juſtinus, non Athenagoras, non Tertullianus, nec Cyprianus eam commemorant, qui certe tanquam quid Chriſtiano nomini glorioſum id non præteriiſſent. Equidem Adrianus nonnulla Templa ædificare fecit, ſed cui erexerit, Chriſto ſcilicet, an Deo, ad formam Templi Jeroſolymitani, an ſibi ipſi, incertum eſt. Atque hoc eſt illud quod jactas *innegabile* factum. Nihilominus, eja tranſeat. Quæ igitur ſimulacra, & Imagines erant, quæ in Chriſtianorum Templis habenda non erant? Nunquid Chriſti? Non equidem, ſed Idolorum ſimulacra, & Imagines, quas conſiliarius ille *numina* vocat. Res hęc erat. Chriſtiani abhorrentes ingredi Gentilium Templa Idolis conſita, Adrianus proclivis viſus eſt ſua Templa ipſis concedere: iſta vero cum Idolis vacua fuiſſent futura, Conſiliarius deducebat Romanos Chriſtianorum Templa frequentaturos, memores Numæ Pompilii ætate numina non habuiſſe Romanorum Templa. Scire porro avetur, num illo primo ſeculo Romani non habentes ſimulacra, eſſent nec ne idololatræ? Puto te non negaturum; etenim, ut Halicarnaſſeus *Lib.* 2. narrat, Romulus Romanis propoſuit, qui a Græcis colebantur Deos colere, quibus Pompilius Numa quoſdam ſuperaddidit. Romani igitur idololatræ non minus erant Deos colentes ſine ſimulacris, quam dum in iſtis illos colere inſtituerunt, quia ſive in ſimulacris, ſive non in iſtis Deos colerent, quę adoranda non erant ſemper adorabant. Ut ergo quis idololatra nec ne ſit, non per Imaginem nec ne adorare ſat eſt, ſed maxime attendendum num quod adorat vere ſit adorabile, an ſcilicet verus Deus ſit, vel ementitæ divinitatis Idolum. Contra, cum Deus O. M. ille ſit qui a nobis ut Deus colitur, Sancti autem, quos ut Dei famulos debito cultu adoramus, ſuo modo ſint adorabiles, ab idololatrica ſuperſtitione longe æque diſtamus, Deum, & Sanctos ſuos per Imagines adorantes, quam veteres Chriſtiani, ſi tamen iſti Deum, & Sanctos ſine Imaginibus, & ſimulacris adorabant. Ratio facta totam deſtruit idololatriam, quam ex Imaginum cultu nobis Picenine imponere niteris, quod confirmat Voſſius *Lib.* 2. *de orig. & progreſſ. idol. cap.* 3.: *Neque obſtat, quod non ſemper pro Deo colatur Imago, aut ſimulacrum, quale ſi divino honore afficiatur, Idolum nuncupatur. Quippe iſthac propria magis Idoli ſignificatione laxius extenſa, Idolum etiam dicitur quidquid mens humana in veri numinis locum ſubſtituit.* Idololatram igitur eſse, vel non eſse, ex mente inſignis hujus Proteſtantis, non ex eo attenditur, quod ſint, vel non ſint Imagines, & quemadmodum abſque Imaginibus quis poteſt Idolo ſervire, ſi objectum ſui cultus aliud animo ſibi conſtituat, quam Deum verum, qua ratione ſine ſtatuis Romani idololatræ erant, & tu etiam fieri poſses, quantumvis adeo ab Imaginibus abhorreas; ita ego, & Chriſtiani omnes poſsunt Imagines habere, quin ſint idololatræ, dummodo in ipſis, & per ipſas adorare, & primum, ac potiſſimum ſui cultus objectum ſibi intendant non alium conſtituere, quam verum Deum. Si autem peteres cur Chriſtiani in Templis ſuis Imagines Chriſti, & Crucis non erigerent, facilis eſt reſponſio; ſcilicet non erexiſſe, non quod non colerent, & eas colere illicitum haberent, ſed non ita publico exponi expediebat, quaſi Gentiles judicaſsent, idololatriam ab ipſis tantum immutari: & male habet Polydorus Virgilius *Lib.* 6. *de Rer. invent. cap.* 13., *Patres, ex metu idololatriæ, Imagines proſcripſiſſe*; dicere quippe debebat, ex metu idololatriæ, publico non poſuiſse. Hic eſt error omnium veſtrum, quod creditis Imaginum uſum a nobis ita neceſsarium judicari, quod tanquam *pars eſsentialis* divini cultus ſtatuatur, qua ſecluſa, non ſtet Chriſtiana religio, cum alias pium duntaxat, atque utilem hujuſmodi cultum habeamus, & Proteſtantes deteſtemur, non ex ſolo non uſu, ſed quia Imaginum cultum, & uſum damnent tanquam

con-

contrarium verbo Dei, & idololatriæ veſtigium. Prętereo quod Caſſander *Conſult. tit. de Imag.*, & Eraſmus aſserunt, infrequentem fuiſse in primis ſeculis publicum Imaginum uſum, quod & Pagius *Crit. Baron. ad ann. 55. num. 3. 4.* confirmat, atque id contigiſse, non quaſi illicitus haberetur, ſed illorum temporum diſciplina ita exigebat, quæ falſorum numinum ſimulacra, & Imagines ſolo æquabat. Tu vero qui tantam his auctoribus fidem adhibes, dum aſſerunt, primorum ſeculorum Patres ex metu idololatriæ picturas non adhibuiſse, immo etiam damnaſse, quare non eandem ipſis adhibes, cum tradant receptum poſtea, & ſtatutum fuiſse publicum Imaginum uſum, & cultum in Eccleſiis, tum etiam cum iſta commendant?

14. Inſiſtis *pag. 439.*, *ex noſtratum etiam ſententia*, quos tamen minime refers, *primis quinque ſeculis in Eccleſia nullum extitiſſe uſum, vel cultum Imaginum*. Non ita loquebatur Nicæna II. Synodus, in qua ex Traditione etiam, & uſu antiquo, ſtatutus fuit Imaginum cultus. Videatur tota Actio VI. in objectionibus Gregorii Epiſcopi ex parte Iconoclaſtarum, & reſponſa Epiphanii ex parte Catholicorum, aſserentis Imaginibus cultum exemplo, & Traditione veterum Patrum; unde cum Gregorius *anathema* dixerit negantibus venerandos, & tanquam intercesſores agnoſcendos eſse Sanctos, cum ſic Traditio doceret, ſuſcepit ille: *Cum Eccleſiaſticam Traditionem dicebant, debebant utique appoſuiſſe: Si quis Imaginum picturas non recipit, anathema ſit. Perquam vetuſta enim Traditio Eccleſiæ Catholicæ veraciter habetur, & recte nobis in recordationem prototyporum decreta*. Quis porro antiqua Traditione peritior fuit? Qui ſeculo VIII. florebat, ut Epiphanius, an quampauci Seculo XVI. vitam agentes? Cui major adhibenda fides? Pronuntianti ex ſententia Synodi, vel paucis ex privato ingenio ſuſurrantibus? Si non ita erat, quod Traditio Imaginibus faveret, quare Gregorius mendacem illum non dixit? Cur Patres in illa Synodo coacti non ipſum redarguerunt, ſed in definitione Concilii Epiphanii ſententiam confirmarunt: *Sic enim ſanctorum noſtrorum Patrum obtinet diſciplina, vel Traditio Catholicæ Eccleſiæ*? Eccleſia non ſtat in *Polydoro Virgilio*, in *Caſſandro*, in *Eraſmo*, vel alio quopiam, ſed in Conciliis plurium Doctorum omnium ſeculorum. Ad iſtos accedere debebas pro notitia veritatis, ſaltim vero ad Magdeburgenſes tuos *Centuria 3. cap. 6.* Sed ab his abſtines, optime ratus ex his te non poſſe quidquam conficere.

15. Si te audiamus, *neque VI. Seculo recepta erat Imaginum veneratio*, quemadmodum, ſecundum te, perſpicuum eſt in Epiſtola ſcripta Sereno Maſſilienſi Epiſcopo a D. Gregorio *Lib. 7. Epiſt.* 110., non 109., ſive *Lib. 9. Epiſt.* 105.: *Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudavimus, ſed frangere eaſdem Imagines non debuiſſe judicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent*. Inde ſic infers: *Ex mente Gregorii non venerabantur effigies, non colebantur Imagines manufactæ, ſed ornamenta erant, vel ignorantibus documenta*. Melius tibi hanc Epiſtolam diſſimulaſſe, in ea quippe duo effata damnantur, quæ in præſens ſunt Proteſtantium prima elementa. Unum eſt, in Eccleſiis Imagines non retinendas; alterum, ab Eccleſiis tollendas, ut omnis occaſio idololatriæ impediatur. Ita nempe Iconomachi veteres fecerunt, ita pariter moderni, in locis, in quibus eorum furor prævaluit: & D. Gregorius in perſona Sereni utrumque reprehendit. Serenus huic Epiſtolæ non acquievit, hinc poſt menſes octodecim D. Gregorius alteram ipſi dedit Epiſtolam, in qua clarius ſenſa ſua explicavit, zelum ejus indiſcretum redarguens, cujus cauſa plures ex ſua diœceſi ab ipſo diſceſſerant, & mandat quid facere debeat, ut ſcandalum tollat.

lat. Epiſtola eſt in *Lib. 11. Epiſt. 9.* nunc 13., ubi hæc habet: *Dic frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, ut deſpectis aliis fratribus, ſolum te ſanctum, & eſſe crederet ſapientem?* Et infra: *Hinc autem dum in hoc animi tui incaute motus exequeris, ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, ut maxima eorum pars a tua ſe communione ſuſpenderet.* Divus Gregorius igitur, & maxima Maſſilienſium pars, deteſtantes hanc inauditam impietatem frangendi Imagines, id ſufficiens reputarunt, ut ab ipſius communione ſe abſtinerent: quamobrem nedum antiquus mos erat pingendi Imagines in Eccleſia, ſed fideles in ipſis aliquod ſacrum agnoſcebant, ſecus ſcandalum paſſi non eſſent. Quomodo autem id conſentit Proteſtantium praxi, qui in Eccleſiis nullam admittunt Imaginem, & quas deprehendunt frangunt?

16. Quanquam (ſubdis) D. Gregorius medium damnet, finem tamen commendat. *Serenum laudat, quod zelum habuerit, ne quidquam manu factum adoretur.* P. Semery apud te *pag.* 295. reſpondet, *D. Gregorium laudaſſe zelum, quo Imaginum adorationi reſtiterat, quæ forte nimium excedens ipſi deſcripta fuerat.* Quæ nimirum eſt Bellarmini, & omnium noſtræ communionis Theologorum reſponſio, nempe D. Gregorium locutum fuiſſe de ſuperſtitioſo Imaginum cultu, quę Gentilium more velut Idola colebantur, ſaltim ut ipſi ſignificatum fuerat, quod & Serenum commovit ad eas frangendas. Hanc reſponſionem Triumph. *pag.* 295. appellas *inanem temeritatem, quia Gregorius cum Sereno conveniebat in damnatione cultus Imaginum; & ab ipſo unice diſcrepabat, quia volebat Imagines permitti ad ornatum Templorum, & ad diſciplinam inſipientum.* Sed hallucinaris Picenine, quia Gregorius damnat Imaginum cultum contrarium præcepto Dei: *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Cui præcepto opponitur tanquam Deum Imaginem adorare, & quaſi Idolo ipſi ſervire, non autem honoris cultu eam adorare in ordine ad prototypum; idcirco attendendum, a D. Gregorio cultum damnari *incompetenter* exhibitum: quare *Lib. 11. Epiſt. 13., ſive 9.*, Sereno ſuggerit ut proteſtetur Imagines fregiſſe, *non quod tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ picturæ teſte pandebatur diſplicuerit, ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita.* Notandum etiam, ex eadem D. Gregorii Epiſtola, Maſſiliæ tunc plures fuiſſe Gentiles; quamobrem perquam credibile eſt hujuſmodi Gentes ad Imagines etiam ſe convertiſſe tanquam ad Idola, quorum exemplo ſimpliciores Chriſtiani in idololatriam forte trahebantur. D. Gregorius autem non quemcunque Imaginum cultum reprobavit, idque ex eo patet quod P. Semery refert, & ex *Lib. 7. Epiſt. 54. ad Secundinum*, vel *Lib. 9. Epiſt. 52.*, ubi D. Gregorius ſcribit, dono ipſi Imaginem Salvatoris mittere, & poſtquam dixit, quod multum ipſi illius poſtulatio placuit, cum toto corde illum diligere indicet, cujus Imaginem præ oculis habere deſiderat, ſubjicit: *Scio quidem* (& bene attende) *quod Imaginem Salvatoris noſtri non ideo petis, ut quaſi Deum colas, ſed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recaleſcas, cujus te Imaginem videre deſideras. Et nos quidem non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur* (ecce D. Gregorium ad Imaginem proſtratum, ſed non quaſi ante divinitatem), *ſed illum adoramus, quem per Imaginem; aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur.* Quid hoc eſt, quam Imaginibus abſolutum divinitatis cultum denegare, relativum vero, ſcilicet ex Imagine prototypum adorandum, aſſerere? Præterea D. Gregorius Secundino mittit *Surtarias duas, Imaginem Dei Salvatoris, & Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli continentes ... & unam Crucem ... ut per ipſum a maligno ſpiritu defenſus permaneas, cujus ſigno te eſſe munitum*

nitum credit. En D. Gregorius ſui interpres: qui vero ita ſcribit, dicetur ſacrum quemlibet Imaginum cultum negaſſe?

27. Suſcipis: *Si Gregorius quempiam Imaginum cultum docuiſſet, hunc explicare maxime opportunum erat in Epiſtola ad Serenum Epiſcopum, in qua de earum uſu minutatim tractat; eo vel magis, quod cum Epiſcopo res erat, qui eas, ne adorarentur, frangebat*. D. Gregorii prudens diſſimulatio fuit, prætermittere qua ratione poſſent abſque ſuperſtitione Imagines venerari, quia nimirum cum Sereno agebat perſiſtente in contentione facti; quare miſſis quæ ad diſciplinam pertinent, ea tantum quæ dogma tangebant corrigere ſtuduit, ſcilicet Imagines lacerando non inſultare: quod ſatis erat, quo Serenus agnoſceret reverenter eſse tractandas, tanquam res ſacras, & irreverenter peccare qui eas violabat. *Quot ſunt in qua peccamus irreverentia* (ais Triumph. *pag.* 296.), *qua tamen nec colenda, nec adoranda ſunt?* Irreverentia non offenditur, niſi qui veneratione, & cultu civili, vel ſacro meretur honorari. Irreverentia eſſet non honorare Principem, minime vero non honorare plebejum, quia illi debetur honor, & cultus, non ita plebejo: *& ex ſententia Theodoſii, irreverentia peccatum fuit Imperatricis effigiem lædere*, ſicut eſſet *aquam in ſacro fonte Baptiſmatis poſitam contaminare*, eam canibus bibendam ſubjiciendo, quia illi civilis honor debebatur, & inhonoratio imagini facta, Imperatrici intentata præſumitur; iſti vero ſacer honor debetur, & contumelia aquæ baptiſmali facta, ipſi Baptiſmo intentata cenſetur. Si *aqua Baptiſmatis non eſt adorabilis*, objectum tamen eſt ſacræ venerationis, & ſacrilegium eſset eam profanare: adorabilis non eſt, quia nec in ſeipſa capax eſt cultus, nec quidquam adorabile ſignificat, vel repræſentat, quomodo repræſentant Imagines Chriſti, & Sanctorum. Acquieſcerem tamen, ſi ſacris Imaginibus eam reverentiam exhiberes, quæ aquis baptiſmalibus debetur, nec valde tunc diſtare videremur. Sed paucis. Cultus a D. Gregorio Imaginibus præſtitus, in ejus Epiſtola ad Secundinum deſcribitur: *Et nos quidem non quaſi ante divinitatem ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per Imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur*. Fac quod a D. Gregorio fiebat, deinde dicas in illo ſeculo non fuiſſe receptum Imaginum cultum. Quod hodie in pſeudo-Eccleſiis tuis fit, non eſt quod tunc a Catholica Eccleſia fiebat, bene vero quod Serenus commiſit, omnium horrore, & offenſione, quodque D. Gregorius reprobavit. Quæ ſatis.

§. IV.

De cultu Imaginum, & Sanctiſſimæ Crucis.

28. PRocaci faſtu, quod a primis Eccleſiæ ſeculis conatus fueris ſacrarum Imaginum uſum ablegare, in hæc verba Apolog. *pag.* 439. erumpis: *Quid Frater Panigarola habet, quo defendat ſacras ſuas Imagines?* Deinde eum redarguis, *quod Lutherum, & Calvinum dicat diſcordes inveniſſe. Lutherus Imagines admittit, Calvinus negat*. O gravem injuriam! Quaſi Doctores iſti excellentiſſimi, qui ſe ſe hæreticos invicem diffamarunt, in omnibus unanimes eſsent. Jam vero ipſe fateris, *inter Lutherum, & Calvinum quandam eſſe diſcrepantiam, quia etſi ambo conveniant Imaginum cultum a Deo eſſe expreſſe reprobatum, diſſentiunt in hoc, quod Calvinus ad evitandum idololatriæ periculum, in quod heu nimium tendit natura corrupta, vult in Templis eas non eſſe collocandas. Lutherus, ut teſtatur Chemnitius in Exam. Conc. Trid. pag.* 673., *docet rem indifferentem eſſe, habere Imagines ad uſum hiſtoriæ, vel non habere*. Calvinus igitur Luthero opponitur, & D. Gregorio, in quo dudum tu adeo gloriabaris, cum

iſte

iſte velit Imagines in Templis eſse, ſaltim ad ornatum, & inſipientum inſtructionem. Porro autem *pag.* 440. profers: *Non abſonum eſſet, ſi vellem ſubjicere lites in hac cauſa inter Romanos Doctores excitatas. Bellarminus Lib. 2. de Imagin. cap. 21. docet cum Catharino, & aliis pleriſque, Imagines per ſe eſſe venerandas, & proprie, atque in ipſis adorationem ſiſtere. Bellarmino opponitur Vaſquez, dicens adorationem in illud objectum referri ſemper deberi, cujus eſt typus. Et ecce Jeſuita contra Jeſuitas.* Præterea cetera putidiſſima maledicta, & probra tua, & dico, Doctores omnes Catholicos convenire, Imagines venerandas eſse, & colendas, & hujuſmodi cultum ultimo referri ad prototypum: diſsentiunt autem unice in hoc, num honor *immediate* referendus ſit in prototypum, itaut iſte adoretur in Imagine, aut *mediate*, adorando Imaginem pro prototypo. Hanc ſententiam tenet Bellarminus, his verbis: *Dico Imagines, ſive honorentur proprie, ſive per ſe, ſive per accidens, ſemper honorari propter exemplar, & ſemper honorem earum tranſire ad exemplar: ſed alio, atque alio modo; nam quando Imago adoratur improprie, quia videlicet honor in ipſam non terminatur, ſed per ipſam in exemplar, tunc immediate, & formaliter honor Imaginis tranſit ad exemplar. At quando Imago honoratur per ſe, & proprie, itaut in ipſam vere terminetur honor, tunc honor ejus tranſit ad exemplar non immediate, ſed mediate, & quaſi conſequenter: nam qui honorat Imaginem alicujus, ſine dubio honorat propter eum, cujus eſt Imago, & proinde honor Imagini vere exhibitus redundat in prototypum, quemadmodum qui facit eleemoſynam pauperi, Chriſto illam feciſſe dicitur; non quod eleemoſyna immediate non tendat in pauperem, ſed quia qui eleemoſynam facit pauperi, propter Chriſtum facit, & Chriſtum honorat in paupere.* Hic grandis illius litis cardo, qui a Bellarmino proinde ſic finitur: *Nos autem non aſſerimus, eundem honorem* (qui prototypo debetur), *ſed aliquem honorem deberi Imagini* (ideſt minorem), *et fortaſſe auctores primæ opinionis hoc ſolum dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris non poſſe exhiberi Imagini, niſi improprie: de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod ſi ita eſt, ab eis non diſſentimus.* Quod D. Thomas, quem plures ſequuntur, doceat adorationem immediate referri ad prototypum, ita quod nil aliud ſit Imaginem adorare, quam in ipſa repræſentatum per ipſam adorare, veriſſimum ſane eſt, & videri poteſt S. Doctor 3. *p. qu.* 25. *ar.* 3., ubi habet: *Imagini Chriſti in quantum eſt res quadam (puta ſculptum, vel pictum), nulla reverentia exhibetur, quia reverentia nonniſi creaturæ rationali debetur. Relinquitur ergo quod exhibeatur ei reverentia ſolum in quantum eſt Imago, & ſic ſequitur, quod eadem reverentia exhibeatur Imagini Chriſti, & ipſi Chriſto.* Et hæc videtur Nicænæ II. mens *Act.* 6.: *Imaginis enim honor in prototypum reſultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Hæc autem eſt differentja inter Imaginum adorationem, & illam quæ Sanctis debetur quos virtutibus præcellere novimus, quod in iſtos immediate fertur noſter cultus, mediate vero in Deum Sanctorum auctorem, ſed in Imaginibus nulla eſt excellentia, quæ nos moveat; qoamobrem adorationes noſtræ ad prototypum directe tendunt, Nihilominus D. Thomas 2. 2. *qu.* 103. *ar.* 4. *ad* 3., duos illos qui a Bellarmino ponuntur adorationis modos & ipſe tradit. Videatur 2. 2. *qu.* 103. *ar.* 3. *ad* 3.

19. Idololatricum eſſe *adorare Franciſcum* jactas te probaſse in Articulo invocationis Sanctorum, & optime facis eandem iterum non recoquere crambem, ut nimirum ais, *ne faſtidium augeas lectori*, nimium jam nauſeato ineptiis tuis, & ex contrariis rationibus plene ſuaſo. Porro Apolog. *pag.* 449. ſubjicis, *Panigarolam per Imaginem Chriſti adorare Chriſtum. Sed quis ipſi hunc cultum injunxit?*

junxit? Ecquis ipſi hanc adorandi formam præſcripſit? Ubi in veteri, vel in novo Teſtamento Sanctum reperit, qui Deum per Imaginem adoraverit? Hæc adorandi ratio Deum non habet auctorem, ſed humanum ingenium: quod ſufficit, ut rejiciatur. Sciſcitari non debes, an vel in veteri, vel in nova lege mos, aut præceptum fuerit Deum per Imaginem adorare, ſed licitum nec ne id re vera ſit? Per Imaginem, vel ſine iſta adorare, ſimplex eſt ritus, & diſciplina: & Eccleſia hanc habuit libertatem, id ſuſcipiendi, vel omittendi, juxta quod opportunum eſſe judicavit. Illicitum autem non eſſe jam oſtenſum fuit. Siquidem ſive per Imaginem, ſive non, Deus adoretur, ſemper Deus adoratur, & adorando Imaginem, vel in ipſa adoratur Deus, vel *propter Deum* adoratur Imago, ut Bellarmino placet. In veteri lege Deus volebat adorari in Arca Teſtamenti, neque hæc erat idololatria; nunc vero cur abſque idololatriæ periculo Chriſtus, & Deus nequeunt in Imaginibus ſuis adorari? Nicæna II. Synodus id probat tanquam Scripturæ conſonum, & Traditioni, & quæcunque tu in præſens muſſitas, jam ut vana ibi rejecta fuerunt, *anathemate* dicto his, qui auſi fuerint contradicere. Hujuſmodi Nicæna ſanctio, & doctrina, non recte intellecta, cenſuram paſſa eſt in Galliis; ſed inde æquivocatione deprehenſa, & veritate comperta, plene ſuſcepta fuit ab univerſa Eccleſia, & Synodus illa habita fuit, & laudata tanquam Oecumenica. Veruntamen prætendis, *Deum adorare per Imaginem, idololatriam eſſe*, unde ais: *Iſraelitæ adorabant Deum per vitulos aureos, tum Aaronis, tum Jeroboam temporibus.* Quem Iſraelitæ Deum in aureo vitulo adorare intendebant? Verum Deum? Non equidem, ſed falſum numen, more idololatrico. Porro qua æquitate judicii Panigarolam Idolo ſervire pronuntias, dum adorando Imagines, Deo vero ſuum refert cultum? Iſraelitæ adoratione vituli a vero Deo apoſtatare intendebant, in vitulo illo ſibi Deum fingentes, ſed Panigarola in illa Imagine Deum verum, ut in Scripturis manifeſtum ſe fecit, contemplatur. Impoſſibile (ais) *eandem eſſe adorationem Imaginis, & objecti per Imaginem repræſentati: & Frater ſeipſum interimit. Per Dei Imaginem ipſe Deum adorat. Hic eſt cultus relativus, tendens in exemplar, ille Imaginis eſt relativus, ille objecti per Imaginem repræſentati non eſt relativus: ille ad alium fertur, iſte ad nullum. Quomodo igitur idem eſſe valet cultus?* Quemadmodum per Imaginem mea adoratio tendit, & pervenit ad Deum, ita per ſemitam meum iter tendit, & pervenit puta Romam. Bene igitur habet D. Thomas 2. 2. *qu.* 103. *ar.* 3. *ad* 3.: *Motus qui eſt in Imaginem, quodammodo eſt in rem, non tamen motus qui eſt in rem, oportet quod ſit in Imaginem.*

20. Nunc vero *Crucem Chriſti* inſectaris, & ejus cultum, dicens Apolog. *pag.* 1441.: *Panigarola Crucem adorat, fragmentum ipſiuſmet ligni, in quo glorioſiſſimus Dominus noſter Sanguinem ſuum fudit. Et ecce iterum idololatram. Primo, quomodo enim ſcire valet, fragmentum illius ligni ipſiuſmet Crucis eſſe, in qua pependit Dei Filius?* His dictum præcedenti Articulo num. 30.; quibus additur, rectam nempe fidem, qua creditur lignum illud vere eſſe a Sancta Cruce deciſum, probare cultum, & efficere, quod in illo ligno Dei Filius adoretur, ſiquidem non lignum, qua lignum, ſed qua ſignum paſſionis Filii Dei a nobis adoratur. Hinc diſcretus lector judicet, an Panigarola lignum illud adorans, Idolo ſerviat, cum in illo nil aliud reſpiciat, quam Jeſum Chriſtum. Quomodo autem tot Crucis fragmenta variis locis exhibeantur, *ut in unum collecta* (ut ais) *quinquaginta equorum juſtum onus facerent*, audi D. Paulinum *Epiſt.* 11. ad Serenum, qui hæc habet: *Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat,*

ut

ut detrimenta non ſentiat , & quaſi intacta permaneat , quotidie dividuam ſumentibus , & ſemper totam venerantibus . Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus & ipſe teſtatur (*Catechеſ.* 4. *illuminat.*) 1. *Ligno Crucis terrarum Orbis per partes repletus eſt.* (*Catecheſ.* 13.): *Per particulas ex hoc loco per univerſum Orbem ſparſum eſt* . In tanta autem particularum diviſione nullam agnoſci diminutionem , ipſemet affirmat *Catecheſ.* 10.: *Quinque panes teſtantur in quinque millia multiplicati : lignum Crucis teſtatur , ad hodiernam diem apud nos apparens , & apud eos , qui ſecundum fidem ex eo capientes , hinc univerſum Orbem jam repleverunt* . Inde comparat multiplicationem particularum Crucis , multiplicationi quinque panum in quinque millia a Chriſto factæ .

21. Nec Panigarolæ deſinis oblatrare *pag.* 441.: *Tu adoras Crucem P. Franciſce . Sed unde habes præceptum ? Unde in Scriptura Sancta exemplum ? Id non ſapit catholicitatem, ſed hæreſim.* Tu negas , Jacobe mi , adorare Crucem ; ſed unde habes interdictum ? Unde in Sacra Scriptura indicium ? Hęc ſane eſt hęreſis , quam damnatam lego a Catholica Eccleſia in Nicæna II., ubi Crucis cultus reſtitutus fuit, a quo Iconomachi , quemadmodum tu in præſens facis , abhorrebant . Ubi præceptum habeo ? Nempe , reſpondere poſſum , in pręcepto Jeſum adorandi , quo præcepto ſuadeor , quæque ipſius ſunt , vel ad ipſum referuntur , adorare , quia *dum Crucem me adorare dico , Crucifixum Dominum Deum meum eſſe , meque illi ſoli ſervire debere profiteor* . Hac ratione Catholica Eccleſia commendabili devotione teſtatur adorare nedum Crucem Domini , verum etiam ejus paſſionem , mortem , & reſurrectionem : *Etenim cum dico mortem Domini , reſurrectionem Domini , aſcenſionem Domini , adoro non aliud , quam mortuum Dominum , reſurgentem Dominum , aſcendentem Dominum , immo Dominum qui mortuus eſt , qui reſurrexit , qui aſcendit , adorare me profiteor . Simili intellectu cum ante Crucem humiliatus proſternor , eum qui in ipſa olim pro requie noſtra tortus , pro vita noſtra mortuus eſt , ut Deum , & Dominum , cui hoc ſoli debetur , adoro .* Ita Petrus Cluniacenſis ſcribit *Epiſt.* 2. contra Petrobuſianos, homines ejuſdem farinæ ac tu . Quando nullum mihi de Cruce adoranda conſtaret præceptum , ſuaſus adhuc eſſe deberem , tam pium , ac religioſum eſſe eam adorare , quam impium , & ſacrilegum ſit cultum omnem ipſi denegare . Velles exemplum a me tibi ex Scripturis proferri hujuſmodi cultus ; ſed quomodo id debeo , ſi diſciplina , & ritus , ex ipſa Proteſtantium ſententia , ab Eccleſiarum diſpoſitione pendent ? Sat eſt quod ex Scripturis momenta proferam , quibus legitima , & religioſa deducitur hujuſmodi adoratio . Hæc autem ſunt gloria , & honor a Chriſto Cruci conceſſa , cum potiſſimum redemptionis noſtræ inſtrumentum eam deſtinavit , & aram in qua tremendum ſui ſacrificium obtulit . In iſta , ut ait D. Paulus *Coloſ.* 1. 20. , obſignatam fuiſſe pacem inter Deum , & hominem : *Pacificans per ſanguinem Crucis ejus , ſive quæ in terris , ſive quę in Cęlis ſunt* . In ipſa affixum videre noſtrę redemptionis chirographum , deleto chirographo perditionis antiquæ , ut ipſe Paulus ait *Coloſſ.* 2. 14.: *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti , quod erat contrarium nobis , & ipſum tulit de medio , affigens illud Cruci* . Audire iſtum Apoſtolum clamantem *Galat.* 6. 14. : *Mihi autem abſit gloriari , niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti* . Denique a Chriſto ipſo monitum habere , *Matth.* 24. 30., in extremo die Crucis vexillum ante ipſum appariturum : *Tunc apparebit ſignum Filii hominis in Cælo* . Hę , & aliæ rationes , Eccleſiam Chriſti ſuadent Crucem habere adoratione , & religioſo cultu dignam , & tanquam a Chriſti hoſtibus averſari ab his , qui illius cultum inſectantur . Refert præſtare aures Jonæ Aurelianenſi, Claudium Taurinenſem exſecranti *in Libris de cultu Imaginum* , quorum in primo diſtinguit adoratio-

nem

nem ſoli Deo debitam, ab illa quæ aliis reddi poteſt: *Alia quippe eſt adoratio qua nonniſi ſoli Deo debetur, alia qua a mortalibus, humilitatis, & ſubjectionis gratia, aque mortalibus exhibetur. Rurſus alius eſt cultus, quo nonniſi divina potentia famulandum eſt, & alius eſt qui non ſolum rationalibus, verum etiam irrationalibus creaturis juxta modum proprium impenditur*; quod D. Auguſtini auctoritate probat *Lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 1., Claudio reſpondens petulanter æque ac tu pronuntianti, *falſæ religionis, atque ſuperſtitionis cultores* (Catholicos), *eo quod ſcilicet ob memoriam Paſſionis Chriſti Crucem pictam, atque in ejus honorem imaginatam colant, venerentur, atque adorent.* Proinde ſic loquitur: *Quo ergo ob recordationem redemptionis ſuæ Sancta Eccleſia ex Sanctorum Patrum Traditione Crucem Chriſti veneretur, adoret, colat, non cultu & adoratione, quæ ſolius divinitatis eſt, ſed eo potius, unde ſatis, abundeque ſupra dictum eſt, nemo, niſi qui ab Eccleſiaſtica Traditione diſſentit, ignorat.* Et in præfat. ad librum 2.: *Multa ſunt, quæ mos Sancta Eccleſia, ſicut a majoribus tradita ſunt, & relicta, quadam inſita, atque nativa celebratione frequentat. Neque enim noſtro tempore uſus irrepſit, figuram Crucis in Baſilicis Sanctorum ſtatuendi, ſed mos antiquæ obſervationis legitimus id inſtituit.... nec tamen ideo Crucem ut Dominum adoramus, ſed magis eum, qui per Crucem mortis deſtruxit imperium, cuique chirographum peccati noſtri affixit, pacificans in ea ſanguine ſuo, ſive quæ in terris, ſive quę in Cælis ſunt. Porro etſi oſcula infigimus, non utique cauſa ligni, ſed potius amore illius id a nobis agitur qui in ea veteris ligni damna reſtauravit.* Hæc Jonas, qui toto ſecundo libro jura adorationis Crucis tuetur adverſus ineptiſſima Claudii commenta. Ecce momenta, ob quæ omnes cum Panigarola Crucem adoramus. *Staurolatræ*, juxta Nicephorum *Lib.* 54. *hiſt. cap.* 18., hęretici erant ex Armena gente, non quod Crucem adorarent, ſed quod quidqnam præter Crucem adorare detrectabant, quam *Chazus* nominabant, idcirco dicti *Chazinzari*: *Maxime autem id retinent, qui apud eos Chazinzari nominantur.... Chazus namque Crux ab eis dicitur, propterea quod Crucem tantum adorare, & colere dicantur.* Ita Nicephorus. Tu vero *Stauropata* es, nempe Crucis aſpernator, & conculcator, & nedum *Iconomachis* das nomen, ſed & *Paulitianis* hæreticis, qui Cruci omnem cultum negabant, ut apud Cedrenum *Compend. Hiſtor.*, & Euthymium in *Panoplia tit.* 10.; denique juratus es Juliani Apoſtatæ diſcipulus, qui, ut ex Cyrillo conſtat *Lib.* 6. contra Julianum, ita Chriſtianos exprobrabat: *Crucis lignum adoratis, ejuſque ſigna in fronte formatis, & in veſtibulis ædium inſculpitis.* Concludam igitur Jonæ Aurelianenſis cenſura ad Claudium: *Ut quid rogo te tam veſano furore raperis, ut Julianum Apoſtatam imitatus, Crucem imaginem Chriſti geſtantem ab Eccleſia abſtuleris, ac ne a Fidelibus, juxta Traditionem Eccleſiaſticam, in Baſilicis Chriſti haberentur, inhibueris? Ut quid etiam vexillum Crucis exhorreſcis? Neſcis ne, quia Dæmonum eſt ejuſdem Crucis vexillum exhorreſcere?*

22. *Nos non adoramus, nec deſideramus Cruces, dicebant Chriſtiani veteres apud Arnobium Libr.*8., ſecundum te, & ſecundum me etiam apud Minutium Felicem: *Cruces etiam nec colimus, nec optamus.* Sed hoc dicebant reſpondentes Gentilium probris. Ergo veteres Chriſtiani quemdam cultum Crucibus exhibebant, quem Gentiles obſervantes, ſuſpicandi cauſam ſumebant, a Chriſtianis Cruces ut Idola adorari. Porro ſi Gentes Chriſtianis improperabant, quod Idolorum cultum deteſtantes, non dubitarent inde Crucem ad inſtar numinis adorare, & Julianus Apoſtata apud D. Cyrillum Chriſtianos inceſſebat: *At vos infeliciſſimi homines, cum adorare, & colere nolitis Ancile* (ſcutum ſcilicet) *quod penes nos ſervatur, æternæ Urbis certiſſimum pignus cælitus delapſum, & a*

magno

guo Jove, aut Marte Patre demiſſum, Crucis lignum adoratis, ecce quod Picenine habes unde cum Juliano Apoſtata gloriari valeas, te ſecum Crucis cultum blaſphemare; quippe ſi illi non adoraſsent, nunquam ita exprobrari meruiſsent: quemadmodum Proteſtantes, qui non adorant, cauſam non habent, quo de hujuſmodi cultu redarguantur. D. Cyrillus longe quam negaret Sanctam Crucem a Chriſtianis coli, maxime attendit commendare beneficia per ipſam obtenta, ob quæ venerabilior ſit, quia Chriſtum ad mentem revocat. Minutius Felix non negat Chriſtianos Chriſti Crucem colere, ſed improborum etiam malas Cruces adorare: *Nos Cruces etiam nec colimus, nec optamus*, non Crucem; vel etiam negat Chriſtianos Crucem colere, quomodo ſuſpicabantur idololatræ. Tertullianus *Lib. 1. ad nationes cap. 12.* non negat Chriſtianos Crucem adorare, ſed affirmat.

23. Non te pudet *pag. 441.* proferre, *Sanctam Helenam titulum inveniſſe, adoraſſe Regem, non lignum, ſiquidem paganicus error eſt, & impiorum vanitas. Tu vero qui in omnibus vis eſſe Catholicus antiquus, adoras truncum ligni? Tu Crucem adoras, ego Crucifixum Jeſum.* Ita nimirum & Hebræus ille, cum quo diſputabat Leontius Nemeſius Epiſcopus *Act. 4.* Nicenæ II. Sed reſpondet Epiſcopus: „ Falſum, quod apud nos tanquam numina adorentur Sanctorum Imagines, „ etenim ſi Crucis lignum ad inſtar „ numinis coleremus, ſequeretur nos „ omne lignum adorare, & dempto „ etiam Crucis charactere non illud „ comburere. Sed cum videntur duo „ ligna per modum Crucis connexa, „ typus, & figura adoratur, propter „ Chriſtum in ipſa Crucifixum: ſi vero diſsolvantur, ea rejicimus, & etiam „ comburimus; & quemadmodum „ qui recipit ab Imperatore mandatum, oſculando ipſius ſigillum, non „ ceram veneratur, non characterem, vel plumbum, ſed adorationem exhibet, & cultum Imperatori, ita nos Chriſtianorum filii adorantes typum Crucis, non ligni naturam adoramus, ſed ſigillum, annulum, & characterem: & animo „ in Chriſtum intenti, per hoc lignum „ *eum, qui in illo crucifixus eſt salutamus, & adoramus* „. Videantur reliqua, & Picenine obmuteſces, vel ſaltim puto erubeſces, videre quæ adverſum nos congeris, cuncta ab Hebræis, & Iconomachis in Nicena II. objecta fuiſse, & a Catholicis diſſipata. D. Ambroſius explicat quo ſenſu Helena lignum non adoravit, ideſt adoratione abſoluta, quemadmodum Gentiles: *Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis eſt error .... ſed adoravit illum, qui pependit in ligno*; & ita nos Crucem adoramus.

§. V.

Quæ ſit differentia inter Gentilium Idola, & Sanctos noſtros.

24. PAnigarola aſserit, Gentiles adoraſse *tyrannum Jovem, Bacchum paraſitum, impudicam Venerem, & quaſi jam dicerem adoraturos fuiſſe Calvinum Hæreſiarcham, quo nil pejus.* Præceptoris tui partes iratus ſuſcipis Apolog. *pag. 441.*; hinc eleganti ſcurræ ſtilo muſſitas: *Quem porro Panigarola adorat? Arianum Georgium, perſecutorem Dominicum, & ...* (modeſtia cohibet) *Beatricem*. Georgium, qui inter Sanctos colitur, Arianum Georgium non eſse *Tom. 1. Cap. 3. §. 3. Num. 9.* contra putidiſſimam ignorantiam tuam oſtenſum fuit. D. Dominicus, cujus inſtitutum profiteri gloria mihi eſt maxima, Albigenſis hæreſis utique perſecutor fuit, quippe cum non modo adverſus Chriſtum, quam adverſus Principes ſuos ejus ſectarii tumultuarent, doctrina, & armis eos flectere neceſse fuit: idcirco ſi D. Dominicus perſecutor dicendus, Moyſes etiam, Joſue, Phinees, Elias, Eliſeus, aliique, qui Deo rebelles percuſserunt, perſecutores appellandi erunt. Videantur dicta pro meo Patriarcha, non ſemel a te læſo, *Tom. I.*

Cap.

Cap. 3. §. 3. *Num.* 6. Nunc autem notum tibi ſit, ab Eccleſia Catholica nunquam indignis ſolemnem cultum fuiſse exhibitum, ut ſtatis locis plusquam ſatis dictum eſt. Sed audiamus reliqua: *Panigarola non colit Deos a Gentibus adoratos; ſed Heroibus e Mundo deſumptis ſubrogat Sanctos ab Eccleſia acceptos.* Hæc calumnia, Fauſti commentum eſt apud D. Auguſtinum *Lib.* 20. *cont. Fauſtum cap.* 4., & Juliani Apoſtatæ apud D. Cyrillum *Lib.* 6. contra Julianum. Primo reſpondet D. Auguſtinus *cap.* 21. Alteri D. Cyrillus loco citato. Articulo præcedenti jam ſatis oſtenſum fuit, Sanctos a nobis non adorari, quemadmodum Deos ſuos Gentes colebant, neque enim Sanctis Templa erigimus, nec ſacrificia offerimus, ſed *ſoli Sanctorum Deo in memoriam Sanctorum, & Deum in Sanctis adoramus Sanctorum auctorem.* Attende Leontium perfidiam tuam caſtigantem: *Jam ſi conſtat me Idola adorare, quid cauſa eſt quamobrem Martyres, qui Idola deſtruxerunt, veneror ut Deos, & glorifico? Quo pacto ipſos Martyres, qui ſtatuas ligneas confregerunt, honore proſequor? Si ligna ut Deos glorifico, quomodo veneror, & adoro Martyres, & Apoſtolos, qui lapideas effigies prodiderunt? Quomodo honore afficio, laudo, Templa erigo, feſta celebro tribus illis pueris, qui in Babylone imaginem auream non adorarunt?* Infra vero „ Si nos Chriſtiani ubi-
„ que in Urbibus, & locis omnibus
„ contra Idola ſumimus arma, pſalli-
„ mus, rogamus contra Idola; qua
„ fronte Hebræi (dicam Proteſtantes)
„ idololatras nos eſſe traducunt? U-
„ binam in medio noſtrum modo ſunt
„ victimæ illæ, boves, oves, & ipſi
„ filii, qui olim immolabantur Idolis?
„ Ubi ſacrificiorum ſuffitus, ubi Al-
„ taria, & ſanguinis effuſio? Græci
„ Templa conſecrabant hominibus a-
„ dulteris, homicidis, impudicis, &
„ ſceleratis, & eorum ſtatuas ſimul
„ cum illis Deos dixerunt: neque
„ unquam Templa, & Altaria Prophe-
„ tarum, vel Sanctorum Martyrum
„ nomine conſecrarunt. Quemadmo-
„ dum igitur Iſraelitæ in Babylonia
„ ad Dei laudem organa, cytharas,
„ aliaque inſtrumenta adhibebant, qui-
„ bus utebantur Babylonenses in ſer-
„ vitium Dæmoniorum, ita de Gen-
„ tilium Imaginibus, & Chriſtiano-
„ rum dicendum eſt: *Siquidem Gentes ad cultum Diaboli, nos vero ad recordationem Dei illa ſervamus.* Hęc eſt diverſitas inter Gentium Deos, & Sanctos noſtros.

25. Panigarola fatetur ſe non adorare Imaginem, ſed cultum referre ad objectum in Imagine repræſentatum. Et *eadem ais pag.* 442. *dixiſſe Gentiles. Celſus Paganus dicebat* (*apud Orig. lib.* 7.): *Nemo, niſi fatuus, aſſeret hac ſimulacra Deos eſſe. Expreſſius autem, & ad Panigarola modum, loquebantur Gentiles illi in Arnobio* (*Lib.* 6. *adver. Gent.*): *Fallimini. Nos non aurum, non argentum adoramus. Nos non dicimus hujuſmodi materias Deos eſſe, & tanquam Deitates reſpiciendas, quaſi eſſent religionis objectum. Sed in iſtis ſignis Deos adoramus.* Ita cum Calvino tuo *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 9., qui D. Auguſtini textum in *Pſal.* 113. refert, ubi S. Doctor ait: *Qui purioris videntur religionis, dicunt: Nec ſimulacrum, nec Dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo. Calvinus* (ais) *refert hunc textum. Sed Panigarola auſus non eſt iſtum tangere. Ex his quæ dicta ſunt, reſultat veriſſimum eſſe quod Calvinus ait, non adeo ſtupidos fuiſſe Gentiles, ut crederent Deum aliud non eſſe quam ligna, & lapides: nec debet propterea Monachus illum mordere, Gentilium Patronum ipſum faciens.* Calvinus præfato loco Hebræorum Patronum ſe facit, dicens, quod dum vitulum conflarunt, veri Dei memoriam non amiſerunt, a quo ex Ægypto liberati fuerant; & Gentiles ipſos defendit, inquiens: *Nec ita ſtupidi fuiſſe Ethnici credendi ſunt, ut non intelligerent, Deum alium eſſe, quam ligna, & lapides.* Quod probare putat: *Quia Gentes ad arbitrium ſimulacra mutabant, ſed in cunctis illis animo ſemper eoſdem Deos ferebant;*

plura

plura ejuſdem Dei ſimulacra habebant: nec in tali pluralitate Deos plurificabant. Faciebant etiam nova ſimulacra, nec propterea novos Deos facere exiſtimabant. Ita ipſe loquitur, ut appareat, quod etſi a nobis aſſeratur, in Imaginibus noſtris, & ſimulacris non colores, tabulam, aut lignum colere, ſed Deum verum, & Sanctos ejus, idololatræ tamen adhuc eſſe minime ceſſamus, ſiquidem Gentiles idem dicebant, nec minus idololatræ erant.

26. Sed non capis miſer, quod quæ de Hebręis ais falſorum numinum cultoribus, Sacræ Scripturæ ſunt evidenter contraria, quæ expreſſe aſſerit, eos adorando Vitulum, Deum verum deſeruiſſe. *Deuteron.* 32. 18.: *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. Pſ.* 105. *verſ.* 19. 20.: *Fecerunt Vitulum in Horeb... obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos &c. Jerem.* 2. 6.: *Et non dixerunt, ubi eſt Dominus, qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti.* 3. *Reg.* 18. 21.: *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum.* Et *Deuter.* 32. 17.: *Immolaverunt Dæmoniis, & non Deo, Diis, quos ignorabant.* Qua porro fronte valet Calvinus aſſerere, Hebræos adorando Vitulum non verum Deum deſeruiſſe, tantumque *velle ſe retinere illum Deum liberatorem, modo praeuntem Vitulum conſpicerent?* Inſuper Idola quę colebant, putabant Deos eſſe. *Exod.* 32. 1. Aaroni dicebant: *Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant.* Deinde: *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et dicendi ſunt verum Deum non deſeruiſſe? Præterea *Jud.* 18. 24.: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis.* Sic Michas latronibus, qui Idola ejus furati erant. 3. *Reg.* 12. 28. de duobus Vitulis Roboam: *Ecce Dii tui Iſrael.* Itaque ſi Hebræi Idola ſua, & ſtatuas Deos dicebant, in ipſis verum Deum non adorabant: & hoc certum; ſiquidem Hebręi videntes ſe derelictos a Deo Moyſis, a Diis Ægypti opem quæſierunt, idcirco Vitulum conflarunt, quem nempe Ægyptii colebant ſub nomine Apis, & plerique Hebræorum cum eſſent in Ægypto jam adoraverant; quamobrem in Vitulo quęſierunt quod Ægyptii habebant. Iſti autem in Vitulo non adorabant Deum Iſraelis, ſed Apim. Ergo idipſum volebant, & colebant Hebræi. Videatur Philo Hebręus *Lib. de Temulentia, Lib.* 3. *de vita Moſis, Lib. de ſpecialibus legibus*, Divus Auguſtinus *Enarrat. in Pſalm.* 73., Baſilius Seleucię *Orat.* 6., & D. Athanaſius *Epiſt.* 4. *ad Serapionem*, ubi ait, quemadmodum Hebręi opera Chriſti, & prodigia quæ faciebat, non Deo referebant, ſed Beelzebub, ita majores eorum in deſerto, dicentes *Hi ſunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti*, liberationem ex Ægypto Vitulo retulerunt: *Verum non inſolens eſt iſta eorum inſania? Siquidem eorum Patres eadem mente præditi, in eremo, cum nuper ex Ægypto egreſſi eſſent, Vitulo a ſe conflato Dei erga ſe beneficia referentes, dicebant: Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Verum quid plura? Hebræi in Arca verum Deum adorarunt, neque adorantes idololatrię rei fuerunt, nec hujuſmodi cultum Deus punivit, ſed probavit. & voluit: contra non probavit, ſed ſevere punivit Vituli, aliorumque Idolorum cultum, quod iſte non reſpiceret Deum verum; quare Calvinus perverſiſſimæ cauſæ impius eſt Patronus. Quod ad Gentiles attinet, Dii eorum argentei, & aurei dicebantur. *Exod.* 20. 22.: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. Pſalm.* 113. 4.: *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.* 4. *Reg.* 19. 18.: *Et miſerunt Deos eorum in ignem; non enim erant Dii, ſed opera manuum hominum, ex ligno, & lapide.* His nominibus Gentium Deos ubique Scriptura vocat, tum Sancti Patres, & ſcriptores noſtri, Irenæus *Lib.* 3. *cap.* 6., Cyprianus *Lib.* 3. *teſtim. adverſ. Judæos*, Minutius Felix *in Octavio*, Tertullianus *in Apolog. cap.* 12., Arnobius *Lib.* 1. *adverſus Gentes*, qui Chriſtianus factus, deteſtabatur quę Paganus adorabat: *Venerabar (o cæcitas!) nuper ſimulacra,*

modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos... tanquam ineſſet vis præſens adulabar, aſſabar, & benificia poſcebam, nihil ſentiente de trunco, & eos ipſos divos, quos eſſe mihi perſuaſeram, afficiebam contumeliis gravibus, cum eos eſſe credebam ligna, lapides, atque oſſa, aut in ejuſmodi rerum habitare materia. Ex Arnobio igitur, qui non vulgaris homo, ſed philoſophus fuit, pateat, quæ a Gentilibus Deorum ſuorum idea haberetur. Enimvero Paganorum numina non erant diviſa a ſimulacris, ſed putabant iſta ſubſtantialiter in Deorum naturam converti, ſive quod Dii ſe ſe in ipſa introducerent, iocorporarent, habitarent, vel ſaltim quædam occulta divina vis ipſis ineſſet, qua de cauſa veteres Chriſtiani ipſos irridebant. Et Tertullianus *in Apolog. cap. 12.* ait, Chriſtianis ſolatium eſſe debere pœnarum, quod & Dii Gentium eaſdem cruces, & ſtipites patiebantur, ut fierent. Et D. Athanaſius *Orat. cont. Gentes: Pagani ligno procumbunt, calcantes quod colunt, colentes quod pretio emerunt ab artifice.*

27. Equidem Semipagani quidam philoſophi, Chriſtianorum argumentis victi, inſaniam ſuam cavillis prætexebant, difficultatem declinantes, quibus D. Auguſtinus alludit, a Calvino relatus *Conc. 2. in Pſal.* 113., diminute tamen; ſiquidem Sanctus antea præmittit, quod Geotilium turba nullum in ſimulacro deprehendens vitæ indicium, fit ut *credat numen occultum*, & illud *ſine aliquo habitatore eſſe non putet.* Quæ erat commuois opinio, quanquam (ſubdit ille) hi qui purioris videntur eſſe religionis, aſſerant: *Nec ſimulacrum, nec Dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quem colere debeo. Ita vero interpretantur ſimulacra, ut alio dicant ſignificari terram, unde Templum ſolent appellare Telluris, alio mare, ſicut Neptuni ſimulacro, alio aerem, ſicut Junonis... De quibus rurſus cum exagitari cœperint, quod corpora colant... reſpondere audent, non ſe ipſa corpora colere, ſed quæ illis regendis præſident numina.* Ita ſagaciores Pagani errorem ſuum conabantur prætexere, & inſaniam temperare. Ex iſtorum numero Celſus erat, apud Origenem, qui ejus fallaciam rimatur *Lib. 6. contra Celſum: Celſus certe ait, ſe credere non Deos hæc eſſe, ſed Deorum anathemata; non declarans, quomodo hæc non hominum anathemata ſint, ſed Deorum, ut ipſe vocat. Liquet enim hæc dedicari ab hominibus falſam opinionem de Deo habentibus.* Sed Paganorum turba Idolum adorare fatebatur, in quod cultum ſuum ultimo referebat, ſive numen ipſi inſidens crederet, ſive vim ejus occultam ineſſe; quare D. Auguſtinus *Lib. 8. de Civit. Dei cap.* 23. de Triſmegiſto loquens, ait: *At ille viſibilia, & contrectabilia ſimulacra, velut corpora Deorum eſſe aſſerit. Ineſſe autem his quoſdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores, & obſequia deferuntur. Hos ergo ſpiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materia copulare, ut ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam, ac mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem.* Sed & redeat ipſe Auguſtinus *in Pſ.* 113. relatus a Calvino: *Itaque Apoſtoli una ſententia pœnam iſtorum, damnationemque teſtatur: Qui transmutaverunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam Creatori... nam priore parte hujus ſententiæ ſimulacra damnavit. Poſteriore autem, interpretationes ſimulacrorum. Effigies enim a fabro factas appellando nominibus earum rerum, quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium. Res autem ipſas pro Diis habendo, & venerando, ſerviunt creaturæ potius, quam Creatori, qui eſt benedictus in ſecula.* Jam utrique, ſive peritiores Gentiles, ſive ſtolidiores, idololatræ erant. Illi, fingentes in ſimulacris divinitatem quæ non erat, eamque colentes; illi, qui non erat Deum

ado-

adorantes, per ſimulacra deſignatum. Audiamus D. Thomam 2. 2. qu. 94. ar. 1. in corp.: *Diverſimode tamen cultus divinus Idolis exhibebatur. Quidam enim per quandam nefariam artem imagines quaſdam conſtruebant, quæ virtute Dæmonum aliquos certos effectus habebant: unde putabant in ipſis imaginibus eſſe aliquid divinitatis, & per conſequens quod divinus cultus eis deberetur. Et hæc fuit opinio Hermetis Triſmegiſti, ut Auguſt. dicit in* 8. *de Civit. Dei cap.* 23. Cum in illis imaginibus nulla ineſſet divinitas, ideo re vera nil præter lignum, aurum, vel argentum, quibus compactæ erant, adorabant: *Alii vero* (ſequitur ille) *non exhibebant cultum divinitatis ipſis imaginibus, ſed creaturis, quarum erant imagines.* Quia vero creaturæ per illas imagines deſignatæ nihil divini habebant, idcirco Deum, qui non erat, adorabant: *Et utrumque eorum tangit Apoſtolus ad Rom.* 1. *Nam quantum ad primum, dicit: Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Quantum ad ſecundum, ſubdit: Coluerunt, & ſervierunt potius creaturæ, quam Creatori.* Quod ab Auguſtino præceptore ſuo accepit, *Serm.* 117. *edit. Monach. S. Mauri.* Quę enim philoſophi Pagani reſponſuri eſſent, ita prævenit: *Et ne quiſquam eorum diceret, non ſimulacrum colo, ſed quod ſignificant ſimulacra, ſubjecit ſtatim: Et coluerunt, & ſervierunt creaturæ potius, quam Creatori. Intelligite prudenter. Aut ſimulacrum colunt, aut creaturam. Qui ſimulacrum colit, convertit veritatem Dei in mendacium. Nam mare veritas eſt, Neptunus autem mendacium factum ab homine, converſa veritate Dei in mendacium: quia Deus fecit mare, homo autem ſimulacrum Neptuni. Sic Deus fecit Solem, homo autem ſimulacrum Solis faciendo, convertit veritatem Dei in mendacium. Sed ne dicant non colo ſimulacrum, ſed Solem, ideo dixit: Coluerunt creaturam potius, quam Creatorem.* Et in Pſ. 96.: *Sed exiſtit neſcio quis diſputator, qui doctus ſibi credebatur, & ait: Non ego illum lapidem colo, nec illud ſimulacrum quod eſt ſine ſenſu... non ego illud colo, ſed adoro quod video, & ſervio ei quem non video. Quis eſt iſte? Numen quoddam inquit, inviſibile, quod præſidet illi ſimulacro. Hoc modo reddendo rationem de ſimulacris ſuis, diſerti ſibi videntur, quia non colunt Idola, ſed Dæmonia. Etenim fratres, ſicut dicit Apoſtolus: Quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo &c.*

28. In Imaginibus noſtris nulla a nobis occulta vis affingitur, nulla præſidentia numinis excogitatur, quę, ut doctiores Pagani reputabant, noſtri cultus metam conſtituat, & objectum, ſed vacuas ſimilitudines eas eſſe profitemur, quibus unice mens noſtra movetur ad cognitionem, & cultum veri Dei, vel Sanctorum, quos non ut Deos, ſed tanquam Dei ſervos & amicos veneramur; cum e contra Pagani, ut D. Auguſtinus notat *in Pſ.* 113., ſimulacrum potius, quam numen ipſum honorare videbantur, ſiquidem: *Homines talibus ſuperſtitionibus obligati, plerumque ad ipſum Solem dorſum ponunt, preces fundunt ſtatuæ, quam Solem vocant.* Nos adorantes Imaginem, non in iſtam ſpiritu vehimur, ſed in Deum verum contendimus, ſive in ſemetipſo, ſive in aliquo ex Sanctis ſuis. Uno verbo, non preces, & vota noſtra Imagini nuncupamus, nec ab ipſa exaudiri ſperamus, ſed a Deo, Sancto illo intercedente, qui per Imaginem ſuam nobis objicitur. Auguſtinus, nactus quod Gentes ſtatuas alloquerentur quaſi ſentientes, ait: *Neptuni ſtatuam, quam pro ipſo mari colunt, quaſi ſentientem gemitibus feriunt,* & concludit: *Hæc venerantur, quod ipſi ex auro, argentoque fecerunt.* Sibi autem deinde objicit: *Sed etiam & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex hujuſmodi materia, vel metallo habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata & ſancta dicantur in ejus honorem, cui pro ſalute noſtra inde ſervimus: & ſunt profecto inſtrumenta iſta, vel vaſa, quid aliud, quam*

opera manuum hominum? Reſpondet: *Verum tamen nunquid os habent, & non loquentur? Nunquid oculos habent, & non videbunt? Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?* Idem & de Imaginibus, quæ quidem opera ſunt manuum hominum, & conſecrata, ſed non ut Idola Gentium, quia nec ipſas alloquimur, nec quidquam ex illis ſperamus, ſed per ipſas Deum alloquimur, & Sanctos ſervos ejus, interceſſores noſtros, nec Imagini, ſed Deo per Imaginem ſupplicamus: *Nunquid eis ſupplicamus, quia per ea ſupplicamus Deo?*

29. Cum res præſens maximi momenti ſit, quo miſeri Proteſtantes agnoſcant quanta ſit in Miniſtris ſuis ad ſeducendum malitia, loquatur iterum Leontius in dialogo cum Hebræo ſuo in Synodo Nicæna II. *Act.* 4.: *Erant autem, o Judae, duo etiam Cherubim obumbrantia Propitiatorium, ſculpta. Jam ingrediatur aliquis Templum tuum Græcus idololatra, iiſdemque viſis, carpat te, tanquam & tu quoque Idola adores: quid habes, quo de duobus Cherubim fuſilibus, bobus, palmis, & leonibus, quæ in Templo ſculpta ſunt, te defendas? Certe nihil habes, quod adverſus illum dicas, niſi hoc unum, quod ea non tanquam Deos habeas, ſed in memoriam Dei, ejuſque gloriam Cherubim hæc in Templo viſantur. At dices mihi: Moyſi a Deo juſſum eſt, ut ejuſmodi ſculptilia in Templo collocanda curaret. Ego ſane hoc ipſum etiam dico. Sed Salomon illinc digreſſus, plura in Templo apparavit, quæ tamen non mandaverat, quæ neque Tabernaculum teſtimonii habuit, neque Templum quod vidit Ezechiel, non tamen in hoc a Deo in crimen vocatus eſt Salomon. In gloriam enim Dei hujuſmodi formas conſtruxit, quemadmodum, & nos. Habuiſti autem tu, o Judae, et alia quædam in memoriam, et gloriam Dei, videlicet virgam Moyſi, fabrefactas divinitus tabulas, incombuſtum rubum, aridam, & irriguam petram, manna geſtantem urnam, arcam, altare, Dei nominis laminam, Deum manifeſtans ephod, Deo habitabile Tabernaculum. Utinam et tu prius hæc adorans, vocaſſes, et invocaſſes eum qui eſt ſuper omnia Deus, et ipſum memoraſſes per has puſillas iconas, et figuras, et non vitulum, et muſcas haberes ſuper tabulas a Deo paratas. Utinam ſanctum, ac aureum altare adoraſſes et tu, et non vaccas Samariæ. Utinam et virgam, quæ germinaverat, et non Aſtarthen, quæ deſolavit civitatem tuam. Utinam et divinitus imbrem dantem petram ſalutaviſſes, et non Baal Deum tuum. Sed ideo hæc omnia non adoras priſce Iſrael, quia non dilexiſti Deum ex toto corde. Qui autem diligit amicum, aut Imperatorem, & præcipue benefactorem ſuum, ſive filium ejus videat, ſive virgam, ſive ſedem, ſive coronam, ſive domum, ſive ſervum, tenet, oſculatur, & honorat per iſta bene meritum, & maxime Deum. Cum ergo videris Chriſtianos adorare Crucem, ſcito quia crucifixo Chriſto adorationem offerunt, & non ligno. Nam ſi naturam ligni coluiſſent, profecto & arbores, & nemora adoraſſent, ſicut & tu quondam Iſrael adorabas hæc, dicens arbori, & ligno: Tu es Deus meus, tu me genuiſti. At nos iterum non ſic dicimus Cruci, neque figuris Sanctorum: Dii noſtri eſtis; non enim ſunt Dii noſtri, ſed ſimilitudines, & Imagines Chriſti, & Sanctorum ejus, ad recordationem, & honorem, & decorem Eccleſiarum propoſita, ac adoranda. Qui enim honorat Martyrem, Deum & honorat. Qui matrem ejus adorat, ei honorificentiam exhibet. Et qui Apoſtolum honorat, qui miſit illum honorat. Utinam & tu Moſaicas Iconas faceres, et Propheticas, atque per ſingulos dies in eis adorares Dominum, et Deum ipſorum, et non imaginem auream Nabuchodonoſor.* Sic Idola Gentium diſtant ab Imaginibus Catholicorum.

30. Quæ ſi ſatis tibi minime viderentur, cauſæ noſtræ Patronus item accedat tuarum partium ſcriptor Stephanus Curcellæus, qui Epiſtola 607. *Præſtantium Virorum* de Sanctorum invocatione verba faciens, fatetur, tametſi nullum ſibi præceptum, vel exemplum in Scripturis appareat eam com-

commendans Deo gratam, & licitam,
non tamen auſim iſtum Sanctorum cul-
tum æquiparare idololatriæ, quam Eth-
nici circa Solem, Lunam, & Reges ſuos
defunctos, immo Dęmones ſuos exerce-
bant ,, Multum quippe inter ſe diſtant
,, Ethnicorum cultus erga Deos ſuos,
,, & cultus Romanorum erga Sanctos,
,, & hoc potiſſimum ex triplici ca-
,, pite. I. In Eccleſia Romana unus
,, Deus ſolus colitur, & creditur, ſum-
,, mus Creator, & Rector Cæli, &
,, Terrę; Sancti autem in inferiori
,, gradu honorantur, tanquam amici
,, Dei, *qui gratia apud ipſum va-*
,, *lent*. Ethnici e contra Deum ve-
,, rum ignorantes, falſos Deos ſuos
,, ejus vice ſubrogabant, quos & co-
,, lebant. II. Sancti, & Martyres,
,, quos Romani Catholici colunt, ali-
,, qua animi veneratione digni ſunt,
,, ob eorum ſingulares dotes, & con-
,, ſtantiam in perſecutionibus. Sed
,, Stellas adorare ſenſus expertes ridi-
,, culoſum eſt. Memoria impiorum,
,, & ſceleſtiſſimorum Regum, qualis
,, fuit Jupiter, nullo digna eſt honore:
,, & Dæmones, utpote Dei, ac vir-
,, tutis inimici, piis hominibus exſe-
,, crabiles ſemper fuerunt. III. Pon-
,, tificii quandam ſcientiam Sanctis
,, adſcribunt, quaſi divinæ ęmulam,
,, qua preces audiunt, & neceſſitates
,, noſtras: quanquam Scriptura mor-
,, tuis deneget omnem ſenſum. Ni-
,, hilominus id ex parte attemperant,
,, dum fateantur Sanctos hanc per ſe
,, ipſos ſcientiam non habere, ſed
,, ex dono Dei. E contra Gentiles inex-
,, cuſabiliter errant, falſis numinibus
,, ſuis ſcientiam tribuentes, & poten-
,, tiam abſolutam, quæ ſoli ſummo
,, Deo convenit. ,, Ita Curcellæus cul-
tum quem Sanctis præſtamus tuetur.
Imaginum autem cultum conſiderans,
quanquam ipſius uſum rejiciat pro-
pter abuſus, & ſuperſtitiones, quæ,
ut ipſe putat, inevitabilia ſunt, ni-
hilominus ait ,, Scrupulus pungit ea-
,, tenus progredi, quod eas in eodem
,, gradu habeam, ac Gentium Idola:
,, quanquam enim affinitas quædam
,, ſit in modo cultus, adhuc tamen
,, maxima intercedit differentia inter
,, Imagines Chriſti, & Sanctorum,
,, & ſimulacra Jovis, Dianæ, Mer-
,, curii, ac Dæmonum, quæ Genti-
,, les colebant. Negari quippe non
,, poteſt, quadam æſtimatione illas a
,, nobis habendas eſſe, propter illos
,, qui per eas repræſentantur, ſicut e-
,, tiam majorum effigies ſervamus,
,, cum iſta e contra omnium piorum
,, hominum abominationem merean-
,, tur. Nec arbitror, omnes qui Ro-
,, manæ Eccleſiæ communicant, hujus
,, criminis circa Imagines reos eſſe ,,.
Poſt vero laudatam Moguntinam Syno-
dum ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo, &
Henrico Ordeno Doctore Sorbonico,
qui Imaginibus concedunt quandam
honoris, & venerationis ſpeciem, non
tamen credunt *ſupplicum votis annuere*
per Imaginis illius ſolummodo inter-
ceſſionem, tandem concludit, quod: *Si*
reliqui omnes Catholici ſubſcribere vel-
lent, libenter eos, quod ad me atti-
net, a crimine non ſolum idololatriæ,
ſed etiam ſuperſtitionis hac in parte
abſolverem. Ita Curcellæus Picenino
oppido minus cæcus. Ab idolola-
tria igitur Curcellæus abſolvit, & a
ſuperſtitionis crimine noſtrarum cul-
tum Imaginum, dummodo Catholi-
cus non credat, Deum, & Sanctos *ſup-*
plicum votis annuere per Imaginis il-
lius ſolummodo interceſſionem. Atqui in-
ter Catholicos nemo unquam ita de-
ſipuit, quod ſperaret, crederetque vo-
torum ſuorum compotem fieri per Ima-
gines, ſed per eos dumtaxat, qui per
Imagines repræſentantur. Ergo uſus,
& cultus Imaginum, ut a Catholicis Ro-
manis frequentatur, ab omni idolola-
triæ, & ſuperſtitionis crimine immu-
nis eſt, ex ipſa Proteſtantis hominis
ſententia. Ecce quomodo Tridentina
Synodus hanc docuit veritatem *Seſſ.*
25.: *Non credatur ineſſe aliqua in eis*
divinitas, vel virtus, propter quam
ſint colendæ, vel quod ab eis ſit ali-
quid petendum, vel quod fiducia in
Imaginibus ſit figenda, veluti olim fie-
bat a Gentibus, quæ in Idolis ſpem
ſuam collocabant; ſed quoniam honos,
qui eis exhibetur, refertur ad pro-
totypa

totypa quæ illa repræſentant, *itaut per Imagines quas oſculamur*, *& coram quibus caput aperimus*, *& procumbimus*, *Chriſtum adoremus*, *& Sanctos*, *quorum illa ſimilitudinem gerunt*, *veneremur*. Quod ſi quis aliter ſe gereret in eorum cultu, & ego hunc damnarem.

31. Dicenda adhuc quædam tibi reſtant in favorem Paganiſmi *pag.* 442.: *Gentiles ſe excuſabant*, *dicentes falſa eſſe quæ de Diis eorum vulgabantur*, *de concupiſcentiis*, *lenociniis*, *adulteriis*, *diſcordiis eorum quos colebant*. *Negabant Paraſitum*, *Tyrannum*, *Meretricem colere*. *Hæc dicuntur*, *& creduntur ſtultiſſime*, *& plena ſunt futilitatis*, *ſummæ levitatis*, *ajebat Cicero Lib.* 1. *&* 2. *de natura Deorum*. Res eſt qua veritate ſe excuſarent. D. Athanaſius *Orat. cont. Gent. num.* 26. *&c.* oppoſitum oſtendit. Tu quoque ſordes tuas, ſicut illas Lutheri, & Calvini mentiri ſtudes: num fauſte, & recte, Deus novit, & qui ex animo judicat. Qui Gentium Dii, & ipſorum mores eſſent, Lactantius deſcribit *Lib.* 1. *divin. Inſt. cap.* 9. 10.; & D. Cyrillus *Lib.* 6. *cont. Julianum.*, huic Apoſtatæ hæc palam improperabat: quod ſi Deorum, quos colebat Julianus, flagitia vera non fuiſſent, Cyrillus auſus non eſſet ea improperare. D. Auguſtinus *Lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 6. eadem commemorat, & *cap.* 33. ait Gentium Deos fuiſſe delectos *nobilitate criminum*, *non dignitate virtutum*. Si Cicero id negabat, hac ratione ipſis adulabatur, ut nomen & famam aſſequerentur. Ceterum Mercurii furta, Veneris libidines, ſtupra, fœditateſque Deorum tam notoria erant, quod (ait D. Auguſtinus) quotidie in theatris canebantur. Et quanquam quidam a poetis conficta hæc dicerent, grata tamen habebantur, & in ipſorum feſtis celebrabantur; hinc concludit Auguſtinus præcitato *cap.* 26.: *Ut ergo canerentur*, *vel ſcriberentur*, *audacia ſit*. *vel petulantia poetarum: ut vero diverſis rebus*, *& honoribus eiſdem imperantibus*, *& extorquentibus numinibus adderentur*, *quid eſt niſi crimen Deorum?* Veræ itaque, aut falſæ eſſent turpitudines ipſis imputatæ, quod honore, & cultu indigni haberentur ſatis conſtabat ex fœdiſſimis factis, quibus feſta ſua celebrari volebant. Hęc autem legi poſſunt apud D. Auguſtinum *Lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 4. 5. 6. 8. *&* 29.

32. Paganiſmi vindex, ſubdis *pag.* 442., quod *Gentes adorando Jovem*, *Deum colebant*, quem etiam *dicebant O. M. Deorum Patrem*, *et hominum*. Jupiter tamen homo mortalis fuerat, quem ſi Deorum maximum appellabant, cur Janum ipſi pręferebant? Videatur D. Auguſtinus *Lib.* 7. *de Civit. Dei cap.* 9. Verus Deus rerum omnium eſſe debet principium, & finis, unus, & ſolus: nec refert iterum dicere, *ex Tertulliani mente ad Scap. cap.* 4., *Paganos teſtimonium reddidiſſe Deo vero ſub nomine Jovis*, *quodque D. Thomas* (*Lib.* 1. *cont. Gent. cap.* 42.) *aſſerat Paganorum plerosque ſupremum agnoviſſe Deum*, *a quo originem ducebant ceteri qui Dii dicebantur*. Etenim Tertullianus abſolute non aſſerit, Gentes ſub nomine *Jovis* Deo vero teſtimonium reddidiſſe, ſed quod cum ipſi per Chriſtianorum preces ab aliqua calamitate liberarentur, *tunc populus adclamans Deo Deorum*, *et qui ſolus potens*, *in Jovis nomine teſtimonium reddidit*: qua ratione ſibi contradicebant, cum in Jove Deum verum fateri nequirent, ſi pręter ipſum alios admittebant Deos, de quo videatur Divus Auguſtinus *Lib.* 4 *de Civit. Dei cap.* 9., ne de verbo ad verbum tranſcribendo paginas impleam. D. Thomas a te laudatus optime ait, plurimos Gentiles aſſeruiſſe *unum Deum ſummum eſſe*, *quo omnes alios*, *quos Deos nominabant*, *creatos eſſe aſſerebant*. Quot tamen figmentis, & repugnantiis hanc involverent veritatem, jam a D. Auguſtino audivimus, ignoto tibi, & neglecto Auctore.

§. VI.

§. V I.

Quædam circa cultum, et uſum Imaginum.

33. BEne habes Gentium partes dimittere, quas minime tueri poſſe intelligis, quamobrem ad Panigarolam te iterum convertis, inquiens *pag.* 443.: *Iſte Calvinum ridiculoſe ignorantiæ crimine culpat. Sed quare? Quod Imaginum cultui, Latriæ, et Duliæ diſtinctum colendi modum aptaverit. Optimum, hercle; ignorabam quippe, Calvinum adeo expertum eſſe in veſtris Scholaſticis &c.* Sed de more non capis. Utique Panigarola novit Scholaſticos ea ratione cultum diſcernere; ſed Calvinum redarguit, quod ea male utatur circa cultum Imaginum, cum eodem cultu adoretur Imago, & objectum ab ipſa repræſentatum. Quod & tu facis, qui pariter aſſeris, Calvinum *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 11. *nec de ipſis Doctoribus Scholaſticis habere ſermonem.* Sed ſi de ipſis ſermonem non habet, de quibus porro loquitur, dum ait: *Quanquam non ignoro, nec diſſimulandum eſt, diſtinctione ipſos elabi magis arguta?* Proſequeris, *Scholaſticos Doctores diſtinctione uti Latriæ, et Duliæ in negotio Imaginum. Gregorius a Valentia Lib.* 1. *de Idololat. cap.* 5., *Bellarm. de Imagin. Lib.* 2. *cap.* 22. 23., *plerique alii Scholaſtici, ſicut et Panigarola.* Utique eam adhibent inter Imaginem, & Imaginem, volentes quaſdam coli honore quaſi Duliæ, alias vero quaſi Latriæ, juxta cultum debitum objectis earum. Negant tamen Imaginem alio genere cultus eſſe adorandam, a cultu objecti: *Imaginibus* (ait D. Th. 2. 2. *q.* 81. *ar.* 3. *ad* 3.) *non exhibetur religionis cultus, ſecundum quod in ſeipſis conſiderantur quaſi res quædam, ſed ſecundum quod ſunt Imagines ducentes in Deum incarnatum. Motus autem, qui eſt in Imaginem prout eſt Imago, non conſiſtit in ipſa, ſed tendit in id, cujus eſt Imago. Et ideo in hoc, quod Imaginibus Chriſti exhibetur religionis cultus, non diverſificatur ratio Latriæ, nec virtus religionis.* Porro hic prætendis, *colere eodem genere cultus Imaginem Dei, et Deum ipſum, apertam eſſe idololatriam, dum inanimi Imagini, et ipſi Deo idem honor præſtetur*; item prætendis, *id eſſe Nicænæ II. Synodo contradicere, quæ prohibuit cultu Latriæ coli Imaginem Chriſti, Act.* 7. Verum idololatria eſſet, eodem honore quo Deus colitur, rem ipſam, qua efformatur Imago, nimirum tabulam adorare, colores, & lignum, non autem eodem honore Imaginem colere quatenus Deum repræſentat, quandoquidem nihil aliud hoc eſt, quam Deum adorare in Imagine, vel per Imaginem. Legatur iterum Leontii diſputatio cum Hebræo: *Chriſtianorum filii typum Crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed ſigillum, et anulum, et characterem, Chriſtum ipſum aſpicientes, per hoc eum, qui in illo crucifixus eſt, ſalutamus, et adoramus .... Sicut autem tu* (Hebræe) *adoras librum legis, non naturam membranarum, aut atramenti adorans, ſed verba Dei, quæ in illo continentur, ſic et ego Imaginem Chriſti adorans, non lignorum, aut colorum naturam adoro, abſit, ſed inanimatum characterem Chriſti: hunc enim cum habeam, per ipſum, Chriſtum me tenere, et adorare mihi videor.* Ita in Nicæna II. *Act.* 4.

34. Porro autem ejuſdem Concilii verba *Act.* 7. hæc ſunt: *Honorariam adorationem exhibeant* (Imaginibus), *non ſecundum fidem noſtram, veram Latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit.* Et vult intelligi, Imaginibus cultum illum verum Latriæ, quemadmodum Deo præſtatur, non eſſe tribuendum, ſcilicet quaſi finem, & centrum noſtri cultus Imagines habeamus, quia Dei Imago non eſt Deus niſi repræſentatione, non autem natura. Non tamen negat ad eandem ſpeciem cultus pertinere, tum honorem qui Deo, & Chriſto exhibetur, tum qui exhibetur Imagini, modo tamen quodam relativo, non abſoluto, dum ſubdat: *Qui adorat Imaginem, in ea adorat*

quo-

Digitized by Google

quoque deſcriptum argumentum; & Divus Thomas 3. *p. q.* 25. *ar.* 3.: *Adoramus adoratione Latriæ Imaginem Chriſti, qui eſt verus Deus, non propter ipſam Imaginem, ſed propter rem cujus Imago eſt*. Neque huic doctrinę opponitur Bellarminus *Lib.* 2. *de Imag. cap.* 22. Siquidem quanquam aſſerat, ſi ſermo fiat præſertim ad populum, non eſſe dicendum Imagines Latrię cultu adorandas eſſe, quod idiotæ diſtinctas rationes capere non valeant, ſequenti tamen capite ſubjicit, quod: *Si de re ipſa agatur, admitti poteſt Imagines coli improprie, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipſum colitur*. Qua cautela utitur Eminentiſſimus, quod opinetur Imaginum cultum immediate in ipſis ſiſtere; ego tamen qui cum D. Thoma, aliiſque teneo, Imaginum cultum directe ferri in objectum quod unice colo in illa Imagine, minime vereor aſſerere Imaginem Chriſti colendam eſſe cultu Latriæ, non proprio, & abſoluto, ſed improprio, & relativo. Hìc Scholaſticos aggrederis, aſſerens *pag.* 444.: *Quid mirum, Calvinum non intelligere Scholaſticos, ſiquidem ipſimet non capiunt ſuas diſtinctiones?* Sanius dixiſſes: Quid mirum, Calvinum non intelligere Scholaſticos, dum ſemetipſum non capiat, quemadmodum conſtat ex tot contradictionibus quas ipſe attigi, potiſſimum circa realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia? Non Scholaſtici laborant in diſtinctionibus ſuis, ſed Proteſtantes in ipſis aberrantes, imponunt Scholaſticis quæ iſtorum ſenſibus ſunt contratia; hinc ad rem noſtram optime facit, quod Balcanquallus *Epiſt.* 130. *inter Epiſt. praſt. vir.* ſcribebat de Judicibus Conciliabuli Dordraceni: *Condemnabant rem ipſam ... ut Remonſtrantes odioſos redderent, quamvis verba ipſorum contrarium ejus, quod iis affingebant, praſeferrent*. Petrus Lombardus Scholaſticæ Theologiæ ordinem inſtituit, cujus ſubſtantiam a Patribus totam ſuſcepit, ut legenti patet; & D. Thomas nonniſi Patrum lingua loquitur. Si ſcriptores noſtros Picenine revolviſti pſeudoreformationem tuam inſectantes, profecto Scripturis, Conciliis, & Patribus munitos pugnaſſe deprehendiſti.

35. Panigarola fatetur Imagines non eſſe neceſſarias; immo ſi non ſint, adhuc nos poſſe adorare. *Hactenus bene*, ſubdis Apolog. *pag.* 444. Verum illo ſubdente, non modo non iniquum, ſed maxime utilem eſſe, & proficuum Imaginum uſum, id minime admittis, dicens: *Iſte Minorita id animadvertit, quod nunquam utriuſque Teſtamenti Sancti animadvertunt. Hi quippe Imagines ſemper conſiderarunt velut nocivas, et offendicula idololatriæ*. At Picenine tu potius negas, quod utriuſque Teſtamenti Sancti nunquam inficiati ſunt. In Nicæna II. attente ponderata fuit utriuſque Teſtamenti praxis, & veterum Sanctorum ſenſa propoſita fuerunt, & tamen a 350. Epiſcopis Synodum componentibus conclamatum fuit: *Hac eſt fides Apoſtolorum, hac eſt fides Patrum, hac eſt fides Orthodoxorum; hac fides Orbem terrarum confirmavit. Credentes in unum Deum in Trinitate laudatum, venerandas Imagines ſuſcipimus nos; qui ſecus faxint, anathemate percellimus ... Qui venerandas Imagines Idola appellant, anathema. Qui dicunt, quod Imagines Chriſtiani ut Deos adorant, anathema*. Tu hujus venerandæ Synodi elevas auctoritatem, ſed negare nequis, ipſam ex veteri, & novo Teſtamento non probiſſe Imaginum utilitatem, octingentis annis ante ipſam pſeudoreformationem. Quomodo ergo vales contendere, Panigarolam excogitaſſe, quod a Sanctis nunquam conſideratum fuerit, qui potius ſemper *Imagines notarunt tanquam offendicula idololatriæ? Sanctos* forte hìc intelliges Conſtantinum Copronymum, Leonem Iſaurum Iconomachos; ſed iſtos vera Eccleſia deteſtatur vere ſacrilegos. & impios. Inſuper, quomodo audaciæ valet Panigarola redargui, quaſi *divinam Sapientiam damnet, quod Eccleſiam ſuam tot ſeculis dimiſerit abſque utillimo hoc uſu Imaginum?* Eccleſia vetus a Deo pariter dereli-

cta

ſta fuit uſque ad Moyſen ſine lege ſcripta, ſine Tabernaculo, abſque Arca, & ritibus, abſque Templo, & conſecratione Sacerdotum. Tot ſecula prætcrire Deus permiſit abſque Redemptore, & novo fœdere; idcirco ne Dei Sapientia culpanda erit? In veteri lege conveniens fuit ab eſcis quibuſdam abſtinere, a quibus per te non licet modo abſtinere, quamobrem nos redarguis, quod jejunantes a quibuſdam cibis abſtineamus. Itaque fieri poterit, attentis certis temporibus, eorumque circumſtantiis, & perſonis, Deum ſtatuiſſe nullum Imaginum uſum permittere, quem deinde, variatis circumſtantiis, optimum judicaverit convenire. Etſi etiam non ſemper Deus Imaginum uſum admiſit, ſignorum tamen ſenſibilium frequentiam ſemper haberi voluit, quibus mediis homines in ipſum tenderent. Quare cum ab exordio Mundi ſenſibilia ſacrificia offerri voluit, & Enos primo docuit nomen Dei invocare, *Gen. 4. 26.*, jam oſtendit, publico ritu, & ſenſibilibus præſcriptiſque formis ſe velle ab omnibus adorari. Arcum, & Iridem Noemo ſtatuit fœderis ſignum, Jacob Scalæ figuram, Moyſi vero Rubum ardentem. Deinde Tabernaculum, Sanctuarium, Arcam fieri mandavit, & duos Cherubim; ſicque Imagines introduxit. Ezechieli viſionem videre fecit Templi, animalium, & hominum Imaginibus pleni, quod deinde Salomon conſtruxit, pleriſque etiam additis ſculptilibus.

36. Panigarolam irrides proferentem, Imagines aptiſſimas eſſe ad docendos ignaros; nec attendis Magiſtrum tuum Calvinum idem aſſeruiſſe *Lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 3.: Exhibuit quidem interdum Deus certis ſignis numinis ſui præſentiam, ut diceretur ſpectari facie ad faciem, ſed omnia, quæ unquam edidit ſigna, apte quadrabant ad rationem docendi.* Dudum ipſe probabas Gregorii ſententiam, qui *ad Serenum* ſcribit, Imagines libros eſſe inſtruentes idiotas, modo autem quia Panigarola id aſſerit, contendere aggrederis, inquiens: *Quomodo oſtendit ille Imagines idiotarum libros eſſe? Ubinam Deus ignaris hos præceptores deſtinavit?* Ex eo nimirum oſtenditur, quia Imagines ob oculos explicatius facta ipſa repræſentent, & affectus vehementius excitent, quam voces, & ſcripta. Hæc ipſe tradis Apolog. *pag.* 362., ubi Panigarolæ occurrens ſibi minime ſuadenti Calviniſtas in Sacramento Cœnæ quidquam amplius habere, quam extra Cœnam, reſpondes: *Id in Sacramento habemus, quod fides noſtra confirmata conſpectu ſacrorum pignorum mortis Jeſu, excitatur magis ut surſum ſe erigat. Verbis annuntiatur nobis Chriſtus, qui pro nobis mortuus eſt. Vox auribus inſonat. In Cœna vident oculi noſtri victima tam cruenta pignora. Viſus movet fortius, quam auditus: utrinque autem ſimul excitata fides noſtra fervet ardentius, & Jeſum Chriſtum fortius amplectitur.* Sacra pignora, quæ, ut Calviniſtæ volunt, ſunt Corporis Chriſti figura, quia ad oculos repræſentant cruentam mortem Jeſu, efficacius movent, quam verba, quę eandem mortem ad aures deferunt. Concedendum igitur, quod mors oculis per pictam Imaginem objecta vehementius moveat, quam verbis ad aures prædicata: quod cum evidentiſſimum ſit, vanum cenſeo plura dicere.

37. Panigarola ſcribit, ſi Imagines ſint abrogandæ, ne a puſillis tanquam objecta primaria cultus habeantur, tollenda ſimul erunt Luna, Sol, Sacramenta, cibus, quod hujuſmodi rebus nonnulli abutantur. *Dictum bene*, ſuſcipis ad hæc *pag.* 445. *Sol, Luna, Aſtra a Deo facta ſunt. Cibos Deus ipſe conſtituit. Sacramenta media ſunt a Deo ſtatuta ad firmandam fidem noſtram. Imagines vero Deus prohibet. Noſter Monachus populos vult Scripturis privari, quod iſtis abutantur, nec interea vult Imagines tolli, etſi iſtis male utantur. Scriptura a Deo eſt.* Imagines igitur, niſi a Deo prohibeantur, non erunt tollendæ, etſi circa ipſas aliqui abuſus oriantur. Oſtendas autem a Deo prohiberi, ſi

Panigarolæ difficultatem velis reſcindi: hæc quippe eſt rei ſumma. Eccleſia ſimplicibus vetat vernaculam Scipturæ lectionem, non tamen eorum quæ in Scripturis traduntur diſciplinam ſuſcipere, cum Deus omnibus quidem Scripturam dederit addiſcendam, & intelligendam, non tamen omnibus legendam, & interpretandam: quod ſi oppoſitum ſentias, rationibus oſtende. Scriptura quædam proponit captu difficillima, Imago e contra factum explicat, obvium cuique ipſum non ignoranti: quod ſi erroris periculum accidere poſſit, tum in intellectu Scripturæ, tum in cultu Imaginis, primum dogma offendet, quod eſt graviſſimum, alterum ex inſcitia, & levitate procedens, facile evaneſcet. Cunctæ hæreſes ex arrogantia, & vana præ aliis interpretandi libidine originem traxerunt. Hactenus vero neminem experti ſumus ex cultu Imaginis fieri idololatram, nec quempiam pionuntiaſse, quod de vitulo aureo blaſphemarunt Hebræi, *hi ſunt Dii tui*. Neminem hactenus vidimus Jeſu terga dare, ut ejus Imaginem adoraret, quin potius ex conſpectu Imaginis, erga Dominum Jeſum ardentior crevit pietas, & cultus. Hinc Mater Eccleſia circa Scripturas prudenti conſilio panem fortioribus permittit, lac vero infantibus, quemadmodum D. Auguſtinus plebem alloquebatur ſuam *Serm.* 165. *de tempore*, nunc 46. *de Paſtoribus: Ad nos quidem pertinet non tacere: ad vos autem, etiamſi tacemus, de Scripturis ſanctis verba Paſtoris audire*. Plebs autem noſtra, ſi textus, & Scipturas non interpretatur, quemadmodum inter Proteſtantes Caupones, Lanii, Coqui faciunt, *melius eſt*, ſequitur idem S. Pater, *cum pietate neſcire, quam cum inſania judicare*. Quod & Græca Eccleſia ſentit in Synodo ſua Jeroſolymitana ſub Doſitheo anno 1672. celebrata adverſus Cyrillum Lucari, alioſque Calviniſtas *cap.* 18. Quæſito quippe primo: *Decet ne ſacram Scripturam vulgari idiomate ab omnibus legi Chriſtianis?* Reſpondet; *Non decet. Enimvero ita utilem, immo, & ex ſe neceſſariam divinitus traditam omnem Scripturam agnoſcimus, ut pie ſine illa homines vivere nullatenus poſſe cenſeamus. Hanc tamen haud quaquam convenit omnes legere: at eos dumtaxat, qui profunda quæ in illa latent ſpiritus arcana, recta interpretatione valent aperire; quive eam, qua exponenda, docenda, legenda eſt Scriptura ſacra, probe norunt. Illitteratis autem, & Scripturam ſacram abſque diſcrimine, vel ſolum penes litteram, aut alio quodam a pietate ſenſu intelligentibus, Eccleſia Catholica utique diſpendium experta, lectionem ejus interdicit. Itaque omnibus quidem fidelibus ſacram audire Scripturam, quatenus corde credant ad juſtitiam, ore autem confeſſionem promant ad ſalutem, permiſſum eſt: aliquos Scripturæ, ac veteris potiſſimum inſtrumenti libros legere, prædictis, ac conſimilibus de cauſis prohibitum. Et vero perinde eſt ſacræ Scripturæ lectione illitteratos prohibere, ac ut ſolidiore abſtineant cibo infantibus imperare.* Vide nunc Calvine Calviniſta quænam in hac ſalutari diſciplina ſit Romanæ & Græcæ Eccleſiæ concordia, & tamen ipſamet Eccleſia Græca plebibus ſuis Imaginum uſum indiſcriminatim concedere nullatenus dubitat, in eadem Synodo & Capite *quæſt.* 4., cujus Acta apud Harduinum Tom. II. Conciliorum leguntur. Hinc patet quam inane, nulliuſque roboris ſit argumentum, quo ex interdicto Scripturæ vernaculę, prætendis Imaginum permiſſum uſum reprehendere.

38. Semel autem quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia, circa Imaginum uſum aliquis error invaderet, & ſuperſtitioſus cultus, ad perniciem communitatis, tunc Imago tollenda, & exſtirpandus eſſet abuſus, ut Tridentina præcipit *Seſſ.* 25., & plerumque factum eſt. Veruntamen ſi error privatos quoſpiam afficeret, bene habet Panigarola, tunc errorem quidem compeſcendum, publicum tamen Imaginis cultum non eſſe abrogandum. Quæ vero de Polydoro Virgilio, & Cornelio Agrippa garris,

licet

licet inſaniæ tuæ videantur pręluſiſſe, neuter tamen eorum Imaginum uſum reprobat, ſed abuſum. Minus vero movet Calvini inſolentia, qui auſus eſt de D. Gregorio proferre: *Si in Spiritus Sancti ſchola edoctus fuiſſet, nunquam Imagines idiotarum libros dixiſſet.* Iſtiuſmodi enim temerariæ, atque infrunitæ mentis exceſsus, chriſtianæ, pięque aures dum audiunt, exſecrantur.

§. VII.

Quomodo Decalogi præceptum de ſculptilibus non conflandis ſit intelligendum.

39. Apologię *pag.* 445. ſic exaggeras: *Spiritus Sanctus Imagines appellat vanitatis doctrinam, Jerem.* 10. 8.: *Doctrina vanitatis eorum lignum eſt. Habacuc* 2. 18., *conflatile eſſe doctorem mendacii.* Arca igitur, quę lignea erat, Cherubim eam tegentes, ſculptilia a Salomone in Templo diſpoſita, erant doctrinæ vanitatis, & doctores mendacii! Et tamen Deus iſta præceperat fieri, & Calvinus ipſe *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 13. concedit, ad illius populi pędagogiam pertinuiſſe: *Quanquam Cherubim, de quibus nunc agitur, ad veterem legis pædagogiam pertinuiſſe agnoſcunt quicunque recte judicant*, tantumque vult in exemplum a nobis iſta non eſſe ſumenda: *Præteriit enim ſeculum illud puerile, ut ita loquar, cui hæc rudimenta deſtinata erant.* Si ex hac doctrina conſtet Imagines in lege veteri ad rectam diſciplinam pertinuiſſe, probandum reſtat modo, cur Imagines Chriſti, aliorumque Sanctorum, in nova lege plebem non valeant erudire. Ad hæc. Dum Jeremias, & Habacuc ligna, & ſculptilia vocant *doctrinam vanitatis*, *& doctores mendacii*, non de quocunque ligno, ſive ſculptili ſermonem habent, ſed Jeremias ait: *Doctrina vanitatis eorum lignum eſt*, nempe lignum, quo Gentes Idola fingebant. Nunquid propterea ſimulacrum Chriſti ex ligno factum, vanitatis erit documentum? Habacuc ait: *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam*, ſive, ut tu refers, *doctrinam mendacii?* Sed quare Imago non prodeſt, nec ſculptile? *Quia ſperavit in figmento fictor ejus, ut faceret ſimulacra muta.* Quod eſt damnare eos, qui in ſimulacris ſpem reponunt, non autem qui in Domino Jeſu per Imaginem repręſentato.

40. Secundum porro Decalogi præceptum contra Imagines, & ſculptilia eſſe cęremoniale, non modo a Vaſquez, ſed & a D. Thoma docemur 1. 2. *qu.* 100. *ar.* 7. *ad ſecundum*, ubi habet: *In quibuſdam præceptis additur cęremoniale determinativum præcepti moralis communis, ſicut in primo præcepto: Non facies ſculptile; & in tertio præcepto determinatur dies ſabbati.* Cæremonialia præcepta ad nos minime ſpectant, & quemadmodum die ſabbati non tenemur ſacrificium offerre, ita neque ab Imaginibus abſtinere. Eja tamen age, ſit morale præceptum; quænam porro ſunt Imagines, & ſculptilia a Deo vetita, quam ipſa Idola? Quamobrem ubi nos *ſculptile* legimus, Septuaginta *Idolum* legunt. Verum jactabundus ſemper, in hæc verba ſolvis *pag.* 447.: *In citato præcepto prohibentur Imagines Dei, qui locutus eſt, & cujus vox audita fuit in Horeb. Deus, cujus vox in Horeb audita fuit, verus eſt Deus. Ergo Dei veri prohibentur ſimulacra. Nunc profecto Frater eſt in anguſtiis. Si propoſitionem neget, Dei verba negat ex Deuteronomio deſumpta cap.* 4. *verſ.* 12. 15. 16. *Si aſſumptum neget, totam pernegat Scripturam.* Non capis tota errare via, cum a generali pręcepto de non faciendis ſculptilibus, ad particulare id referas de Imaginibus veri Dei non faciendis, ſicut a Deuteronomio ad Exodum tranſis. Quod ad præceptum attinet de Imaginibus veri Dei non faciendis, reſponſum jam fuit ſupra §. 1. *num.* 2., nimirum hoc non eſſe Decalogi præceptum, ſed dumtaxat Hebræis impoſitum ex certis rationibus, quæ erga

Hebræos urgebant, minime vero apud Chriſtifideles. Sacer textus ait: *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut Imaginem maſculi, vel fœmina, ſimilitudinem omnium jumentorum &c., ne forte ... adores ea, & colas.* Non hic ſermo eſt de Imagine, quæ Deum repræſentet, ſed de Imagine *maſculi, fœmina, & jumentorum*; quare ſi ex vi hujus præcepti vetitum ſit nobis Imaginem Dei veri repræſentativam facere, vetitum tibi pariter erit cujuſcunque creaturæ Imaginem habere, puta Solis, Lunæ, pennatorum, & quadrupedum, nedum in Templis, ſed quolibet loco habitationis tuæ.

41. Revertamur ad præceptum Decalogi, *Exodi* 20. 3. 4. 5.: *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile ... non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Deus tuus fortis, zelotes.* Hic duo ſupponis præcepta, nempe de Diis alienis non colendis, deinde aliud præceptum de ſculptilibus, & Imaginibus non conflandis: re vera tamen unum dumtaxat præceptum eſſe aſſerunt Clemens Alexandrinus *Lib.* 6. *Stromatum*, D. Hieronymus ſuper *Pſal.* 32., & D. Auguſtinus *qu.* 17. *in Exod.*, & *Ep.* 119., ſive 55., ſecus non decem, ſed undecim eſſent præcepta Decalogi. Dum ergo dicitur *non habebis Deos alienos*, & dum ſubditur *non facies ſculptile*, hęc referuntur ad illud: *Unum Deum coles*, nec alium Deum habebis præter me; hinc poſt quam dictum fuit: *Non facies tibi ſculptile*, ſubditur: *Non adorabis ea, neque coles.* Et *verſ.* 23.: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Quamobrem dum additur *non facies tibi ſculptile*, diligentior executio inſinuatur pręcepti de non habendis Diis alienis. *Illud*, ait D. Auguſtinus in Exodum, *ubi dictum eſt: Non erunt tibi Dii alii præter me, apparet diligentiorem executionem eſſe in iis quæ ſubjecta ſunt. Quo enim pertinet, non facies tibi Idolum, neque ullum ſimulacrum .... non adorabis ea, neque ſervies illis, niſi ad id quod dictum eſt, non erunt tibi Dii alii præter me?* Quæ declaratio neceſſaria fuit, ait D. Thomas 2. 2. *qu.* 122. *ar.* 2. *ad ſecundum*, quia *cultus alienorum Deorum dupliciter apud aliquos obſervabatur. Quidam enim quaſdam creaturas pro Diis colebant, abſque inſtitutione Imaginum; unde Varro dicit, quod antiqui Romani diu ſine ſimulacris Deos coluerunt, & hic cultus prohibetur primo, cum dicitur: Non habebis Deos alienos. Apud alios autem erat cultus falſorum Deorum, ſub quibuſdam Imaginibus, & ideo opportune prohibetur etiam ipſarum Imaginum inſtitutio, cum dicitur: Non facies tibi ſculptile; & ipſarum Imaginum cultus, cum dicitur: Non coles ea.*

42. Quibus poſitis, reſpondet Panigarola, *hoc præcepto minime prohiberi qualemcunque Imaginem fieri, etiam falſi numinis, ſed tantummodo uſum, vel abuſum coerceri, ſcilicet eam facere, & colere*, quia poſt dictum *non facies*, ſubjicitur *non adorabis*, quod oſtenditur ex *Cap.* 26. 1. Levitici, ubi Deus ait: *Non facietis vobis Idolum, aut ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, ut adoretis eum*, ex quibus apparet vitium illationis tuæ; quippe non valet: *Non facietis vobis Imaginem, & ſimulacrum, ut adoretis*; ergo *non facietis vobis Imaginem, & ſimulacrum*: quemadmodum non valet: *Non conflabis tibi gladium, vel quodvis armorum genus ad occidendum hominem*; ergo *non conflabis tibi gladium, ſive quodvis armorum genus.* Diſplicet tibi hoc reſponſum, unde ſuſcipis, *Calvinum Lib.* 1. *Inſt. jam hæc rejeciſſe, & probaſſe in ſecundo præcepto vetitum fuiſſe Imagines fieri falſorum numinum.* Calvinus aſſerit Deum prohibuiſſe Imaginem quempiam, ac ſenſibilem effigiem ſui repręſentativam facere, quandoquidem variis modis Deus colebatur a Perſis, Æpyptiis, aliiſque; verum Calvinus dum hæc commentatur, ab Exodi pręcepto ad illud Deuteronomii ſe confert,

fert : in illo autem nulla mentio ſit eorum, quorum nulla facienda eſt Imago. Calvini reſponſum confirmat, non deſtruit illud Panigarolæ, ſiquidem probat vetitas eſſe imagines Solis, Siderum, & Animantium, quod iſta ut Dii a Perſis, & Ægyptiis haberentur, & colerentur; quare vetitum non eſt ea facere, ſed ea facere ad cultum, ſecus nullatenus liceret, Solem, Lunam, Stellas, nec quodpiam Animalium genus efformare. Calvini igitur negotium erat probare idipſum eſſe *Imaginem facere*, & eam *facere ad ipſum colendam* ut divinitatis participem, quaſi numen inibi præſens inſideat. Hæc quippe omnia tametſi a Gentium ſuperſtitione deſcenderent, & Hebręis in medio eorum habitantibus offenſiva eſſent, ex ipſa tamen Imaginum propria ratione non veniunt, ſiquidem Deus Cherubim ad velamen Arcę fieri mandavit, Salomon Leones, aliaque ſculptilia in Templo ædificavit, quin iſtis ullam inſidere divinitatem quiſqam crediderit. *Si Imagines teſtes non ſunt divinitatis*, quod certi ſimus *Deum eſſe ſibi teſtem*, juvant tamen quammaxime ad excitandam eorum quę repræſentant intuentibus memoriam, cum iſta ſit naturæ noſtræ conditio, per objecta ſenſibilia excitari. Tertullianus *de Idololatr. cap.* 4. non contradicit, dum ait: *Utrumque probibuit Dominus, & Imagines facere, & adorare*; etenim illos alloquitur artifices, qui Gentibus ſimulacra ſculpebant, quæ ad cultum emebantur: quod in id convenit a Panigarola conceſſum, ſcilicet ſimulacra facere ut adorentur; quo ſenſu valet: *Utrumque probibuit Dominus, & Imagines facere, & adorare*. Audiatur Tertullianus in Scorpiaco *cap.* 4.: *Præſcribitur mibi ne quem alium Deum dicam, ne vel dicendo, non minus lingua, quam mente Deum fingam*. Et in *Lib.* 2. *contra Marcion. cap.* 22.: *Proinde & ſimilitudinem vetans fieri omnium, quæ in Cælo, & in terra, & in aqua, oſtendit & cauſas idololatriæ ſcilicet ſubſtantiam cohibentes; ſubjicit enim: Non adorabitis ea, neque ſervietis illis*. Quocirca Imagines Deus non prohibuit ex ipſarum natura, ſed ex cauſa idololatriæ, idcirco ſubjecit: *Serpentis autem anei effigies poſt præcepta Moyſi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, ſed ad remediandos eos, qui a ſerpentibus infeſtabantur ... Sic & Cherubim, & Seraphim aurea in Arca figuratum &c.* Imagines igitur a Deo non prohibebantur, niſi dum velut Dii habebantur, quæ eſt Vaſquezii interpretatio, quam inſipienter reprehendis ex *diſp.* 4. *cap.* 3. Si apud Joſephum *Lib.* 18. *antiquit. Judaic. cap.* 4., *delata Jeruſalem Imagine Cæſaris tumultuarunt Hebræi, clamantes ſibi a lege probibitum bujuſmodi Imagines babere*, id accidit, quod notum erat Pilatum eam detuliſſe, ut ſcribit Joſephus, *ad legis noſtræ contumeliam*, vel quod metuerent ad hoc fuiſſe introductam, ut tanquam numen coleretur, cum alias Hebręis Imagines habere vetitum eſſet omnino ob præfatas rationes, quemadmodum quarundam carnium eſus ipſis prohibebatur. Bene ergo habet Panigarola, *Imaginum ſpeciem non eſſe probibitam, ſed earum tantum uſum, nimirum ad cultum*. In *Cap.* 26. *Levitic.* 1. a te citato, non minus vetitum legitur Idola, & ſculptilia facere, quam titulos, & lapides in ſignum erigere, nihilominus paſſim in Scripturis legimus *erectos titulos, & poſitos lapides*. Jacob mitto, *Geneſ.* 28. 18. 22., qui *tulit lapidem ... erexit titulum*. Moyſes etiam, *Exod.* 24. 4.: *Mane conſurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael*. Et Joſias 4. *Reg.* 23. 17.: *Quis eſt titulus, quem video?* Non ergo tituli erant prohibiti, niſi ex pravo uſu. Sic et Imagines. Quod vero Scriptura non ſemper ne adorentur Idola prohibere pronuntiet, ut *Deuter.* 4. 23., nihil intereſt, quippe cum non fiat ibi niſi eorum quæ Exodi pręcepta ſunt recapitulatio, vel commemoratio.

43. Alterum Panigarolæ reſponſum eſt, a Synagoga ad Eccleſiam non vale-

valere argumentum, & quod ſi *veriſſimum eſſet Deum Moyſi, & Synagogæ prohibuiſſe Imagines, honeſtum tamen non eſt id ad Eccleſiam referre*. Hoc reſponſum duriſſima cervix tua non recipit, quamobrem Apol. *pag.*448. *turpiſſimam fugam* illud appellas: quod novum eſt, & gratioliſſimum reſpondendi genus, liberans mentem ab omni faſtidio, & inquiſitione rationum. Inſuper ais: *Præceptum non faciendi Imagines, aut morale erat, aut cæremoniale. Si cæremoniale a Fratre dicatur, mendacem eum appellat Bellarminus, qui cum Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Auguſtino, fatetur præcepta omnia eſſe moralia, excepto illo Sabbati: quod & Apoſtolè Chriſtianis prædicabant. Si vero Frater concedat morale eſſe, honeſtum eſt ad Sanctam Eccleſiam referri, & maxime neceſſarium a Chriſtianis ſervari*. Rotundum caput nunquam inter *Idolum*, & *Imaginem* diſtinguere deliberas, quod tamen Grotius ipſe ex tuis facit (*Rivet. Apologet. diſcuſſ.*): *Non omnes Imagines etiam in ſacris locis poſitas eſſe Idola, ſed poſſe ex ipſis Imaginibus Idola fieri dixit ipſa Synodus Francofurtenſis*. Origenes *Hom.* 8. *in Exod.* hanc ponit differentiam, Imaginem nempe veram eſſe ſimilitudinem imitantem quod repræſentat, Idolum autem falſam eſſe ſimilitudinem, repræſentantem vel quod non eſt, vel quod fucato fallibilique modo repræſentatur. Hinc Habacuc Idola dicit *Cap.* 2. 18. *falſas Imagines*, & D. Paulus 1. *Cor.* 8. 4. ait Idolum nihil eſſe in Mundo. D. Joannes Chryſoſt. in hunc textum *Hom.* 20. ſcribit: Idola *ſunt quidem, ſed nihil poſſunt, neque Dii ſunt, ſed lapides, & Dæmones*. D. Paulus Idolum nihil eſſe aſſerit, ſiquidem in illo lapide nec ulla inſidet divinitas, nec Dæmon, per Idolum repræſentatus Deus eſt: *Ad utroſque enim hoc in loco extenditur, & ad obtuſiores, & ad eos, qui videntur philoſophari. Cum enim nihil amplius, quam lapides alii intelligant, alii autem potentias quaſdam in ipſis habitare prædicent, quas Deos appellant; ad illos inquit, quod nihil eſt Idolum in Mundo, ad hos vero, quod nullus Deus, niſi unus*. Dico autem cum Origene: *Idolum vero facit ille, qui ſecundum Apoſtolum dicentem, Idolum nihil eſt, facit quod non eſt*. Quod ſi non id ſatis tibi videatur, ut capias quæ inter Idolum, & Imaginem ſit differentia, audi Voſſium Calviniſtam tuum *Lib.* 2. *de orig. & progreſſ. Idololatr. cap.* 3., ubi poſtquam dixerat: *Idolum etiam dicitur quidquid mens humana in veri numinis locum ſubſtituit*, ad id probandum ſubjicit: *Et ad hoc genus loquendi præeunt nobis ſeptuaginta ſenes*, 1. *Paralip.* 16. 26. Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. *Ac Idola etiam retinuit Latinus interpres. Hebraice eſt* elilim, hoc eſt vanitates, vel, ut ſic dicam, nullitates. Unde & Apoſtolus ait 1. *Cor.* 8. 4. Οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ, *quaſi diceret: Idolum nec numen eſt, nec vim numinis habet, ſed eſt res vana, & inane hominum commentum, eoque nulla virtute præditum &c.* Et ſtatuit idololatriam etiam ſine Imaginibus, vel ſimulacris committi poſſe, dum creaturis honorem qui Deo debetur exhibere quis audeat, juxta Cypriani dictum *in exhort. ad Martyres: Tunc idololatria committitur, cum divinus honor alteri datur*.

44. Quapropter ſi nomine *Imaginum* Picenine intelligas quæ falſitates ſunt, nimirum Idola modo explicato, non ea facere morali præcepto prohibetur, & quemadmodum olim Synagogæ Idola fingere vetitum erat, ideſt falſas Imagines ad cultum, ita & Eccleſiæ, quia Idola conflare ad cultum, ex ſui natura impium eſt, oppoſitum unius veri Dei latriæ. Si vero *Imaginum* nomine accipias quæ veræ ſunt, nullum Synagoga præceptum habuit ne faceret; quod & a D. Thoma traditur 3. *p. qu.* 25. *ar.* 3. *ad.* 1.: *Non prohibetur illo præcepto facere quamcunque ſculpturam, vel ſimilitudinem, ſed facere ad adorandum, unde ſubditur: Non adorabis eam*; & hujuſmodi præceptum cæremoniale fuit, & moralis explicativum

de

de non adorandis Diis alienis, & Idolis non colendis. Cum enim populus ille pronus eſſet ad idololatriam, opportunum fuit genus omne ſimilitudinum, & ſculptilium ipſi prohibere, ut ab omni periculo longe detineretur: præſertim cum in regiones idololatras tranſire deberet; quæ periculi ratio cum ab Eccleſia Chriſti remotiſſima ſit, bene habet Panigarola, *conſequentiam non valere, Eccleſia prohibitas fuiſſe qualeſcunque Imagines, etſi Synagoga vetita fuerint*. Nec graviſſima pœna prævaricatoribus poſita, tangit cęremonialis præcepti tranſgreſſores, ſed tantum moralis, illos nimirum tantum qui Idola, vel ſimilitudines faciunt, ſimul ut ea colant tanquam Deos. Argumentum igitur Panigarolæ adverſus Calvinum apprime urget, nempe ſi non ea ratio probet, quod: *Si Moyſi temporibus ita fiebat in re ſacrificiorum, ergo ita fieri debet in Eccleſia; neque valebit: Ita fieri conſueverat Moyſis temporibus in re Imaginum, ergo idem retinendum in Eccleſia;* ſiquidem quemadmodum in veteribus ſacrificiis & rei ſubſtantia attendebatur, ſcilicet oblatio facta Deo; quæ pertinet ad præceptum morale, & qualitas ipſa ſacrificii, quæ legalis erat, & cęremonialis, ita in præcepto de uno colendo Deo, tum ſubſtantia attenditur de non ſerviendo Idolis, quod ad morale præceptum pertinet, tum modus præſcribitur de Imaginibus non faciendis. quod eſt legale, & cęremoniale præceptum, ex ceſſatione legis jam antiquatum. Si rationem quæris, eam habeas ex D. Joanne Damaſceno *Orat. 2. de Imagin. num. 7. & Orat. 3. num. 4.* qui hæc habet: *Conſidera Deum multifariam, multiſque modis eſſe loqutum. Sicut enim peritus medicus non omnibus, nec ſemper idem remedii genus miniſtrat, verum habita ratione tum regionis, tum morbi, tum temporis, tum ætatis: atque aliud quidem infanti, aliud vero ætatis maturæ ... Sic optimus etiam animorum medicus infantibus adhuc, & idololatriæ morbo laborantibus, qui cum ſimulacra Deos eſſe putarent, ac tanquam Deos adorarent, debitum Deo cultum, & adorationem denegabant, ipſiuſque gloriam ad creaturam transferebant his Imagines facere vetuit.* Hebraice porro vivas, ſi alias Idolo ſervire metuas. Cave tamen, ne dum ex uſu, & cultu Imaginis tranſgreſſionem unius præcepti legalis contremiſcis, aliorum etiam legalium obſervantia te premat, & ex ſemichriſtiano totus Judæus efficiaris. Sic te monet Damaſcenus ipſe *Orat. 2. de Imagin. num. 14.*: *Quod ſi propter legis præceptum Imagines cenſes abrogandas, jam debes & Sabbatum, & Circumciſionem obſervare, quę diſtrictiſſime a lege tibi ſancita ſunt, necnon totam legem cuſtodire, nec Paſchæ Domini ſolemnitatem extra Jeroſolymam agere. Verum illud ſcitote, quod ſi legem obſervaveritis, Chriſtus nihil vobis proderit.* Finem faciat Grotius, qui licet ex Proteſtantium grege, ſincere tamen fatetur pluribus in locis ſuorum Operum, præceptum de ſimulacris, vel Imaginibus non efficiendis, nec honorandis, non naturale, nec morale fuiſſe, ſed mere poſitivum. Videatur nedum *in cap. 20. Levit.*, ubi de hac re fuſe agit, ſed in *Annotat. ad Conſul. Caſſandri*, ubi habet: *Non eſſe rem naturale eſſe, & perpetuum, ſatis apparet Cherubinorum argumento, apud quos ſummus Sacerdos poſt anniverſarium ſacrum Deum venerabatur. Poſitiva autem illa, quæ fuere in lege veteri, & nihil ad mores pertinentia, ſed Judæos ſeparantia a Gentium inſtitutis, nihil obligant Chriſtianos, non magis, quam lex Sabbati, quæ & ipſa in Decalogo eſt poſita. Propterea Chriſtus* (bene nota) *cum perpetuo manſura Decalogi præcepta repetit, horum nullam facit mentionem.* In voto autem *pro pace Eccleſiaſtica*: *Præcepto ſic ſecundum verba explicato, videt quilibet id eſſe poſitivum, & ex eorum genere, quæ Iſraelitas quam longiſſime ritibus vicinarum gentium arcebant, quo magis a ſuperſtitione earum ſibi caverent ... In Evangelio nihil nobis de Imaginibus eſt præceptum. Sunt ergo li-*

cita

erta ea omnia, quæ non natura ipſa, & recta ratio docent eſſe illicita. Hæc Grotii doctrina Andreę Riveto ut tu jurato Calviniſtæ non placuit; ille tamen in diſcuſſione *Rivetiani Apologetici* eam ſic ſtrenue propugnavit: *Grotius poſitivum eſſe interdictum de Imaginibus etiam ex eo probaverat, quod exceptiones habeat, nam naturalia præcepta non habent exceptiones, ut explicavit Grotius de jure belli, ac pacis lib. 1. §. 10., poſt Thomam 1. 2. quæ. 95. ar. 5. Quæ vero neque naturalia ſunt, neque in Evangelio poſita, ea Chriſtianos non obligant. In Evangelio nullum eſt interdictum contra Imagines extantes, aut pictas, & naturale non eſt interdictum illud legis veteris. Videt jam quivis inde conſequi, Chriſtianos eo non teneri.* Sic Picenme domeſtici mucronis vulnere cadis. Legatur idem Grotius in voto *pro pace Eccleſiaſtica, ad art. 20.*

§. VIII.

De Serpente æneo, de duobus Cherubim, & nonnullis textibus peſſime a Calvino propoſitis.

45. NOn Panigarola ſolus in ſcenam ſe profert, ut tu blateras, cum *Serpente æneo, cum Cherubinorum Imaginibus, palmarum, malorum punicorum, leonum, arborum,* etenim tot abhinc ſeculis Leontius Nemeſius ipſi præceſſerat, ſimilibus Hebræo oppoſitis in Nicæna 11. *Act.* 4., jamque oſtenditur, in veteri lege nullum Imaginum, ſive ſculptilium genus fuiſse prohibitum, quod ind fferenter adhiberetur; vel ſi prohibitum erat, non certe morali præcepto: alias Deus non præcepiſſet Moyſi Serpentem æneum, & duos Cherubim ædificare, nec paſſus eſſet in Templo leones, & alia ſculptilia haberi. Tertullianus *de Idololatria cap.* 5. Idolorum artifices alloquebatur, qui cum Moyſis exemplo excuſationem quærerent, quod iſte æneum Serpentem conflaſſet, optime reſpondet: *Si & præceptum facta poſtea ſimilitudinis reſpicis, & tu imitare Moyſen, ne facias adverſus legem ſimulacrum aliquod, niſi & tibi Deus juſſerit.* Adverſus tamen Marcionem *Lib. 2. cap. 22.*, cum ſermonem haberet de Imaginibus a Deo abſolute prohibitis, & de Serpente, ac Cherubim ex Dei mandato conſtructis, differentiam indicat quam ob rem prima fuerint vetita, altera vero nedum conceſſa, ſed & præcepta, nempe quod illa ad ſuperſtitionem, iſta vero non item, dum Serpens ad medelam, & Cherubim ad decorem poſita ſint, circa quæ ais *Calvinum jam reſpondiſſe Lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 3.*; hinc audaciter Panigarolam improperare non ceſſas, quod, ut blateras, reſponſis tuis, validis non occurrerit rationibus. Calvinus aſſerit, Cherubim indicaſſe, Imagines nullam habere convenientiam ad divina myſteria repræſentanda, dum ad hoc facta eſſent, *ut aſis velantes Propitiatorium, non oculos modo humanos, ſed omnes ſenſus prohiberent a Dei intuitu.* Sed hæc ſomnia tua ſunt vaniſſima, nulla Patrum auctoritate confirmata. D. Auguſtinus *Lib. 2. quæſt. ſuper Exod. qu. 105.* non ita interpretatur; & D. Joannes Damaſcenus *Orat. 3 de Imag. ne lus num. 9.* teſtatur: *Non dixi, ne feceris Imagines Cherubim, quæ ad inſtar ſervorum Propitiatorio adſiſtant; ſed non facies tibi Deos conflatiles, non facies tibi ullam ſimilitudinem tanquam Dei.* Eia tamen, Calvini dictis inſiſtamus. Ergo Imago illa ſenſibilis Cherubim velantium Propitiatorium id ſaltim deſignabat, Dei ſcilicet majeſtatem eſſe indeſignabilem, & incomprehenſibilem; tum etiam Seraphim, qui apud Eſaiam *Cap. 6. ver. 2.* Dei faciem alis velabant, incomprehenſibilem ſaltim Dei naturam in myſterio abſconditam eſſe repræſentabant. Cum autem in myſterio illo Cherubim gloria Dei coleretur, conſequens fit, in hujuſmodi ſymbolis adorabilem eſſe divinam majeſtatem. Quæ ſymbola ſi abſcondita erant profanis oculis, & Sacerdotum dumtaxat aſpectui pervia, fit inde quod ſacra eſſent, & plus quam civili cultu venerabilia: quanquam Imagines eſſent minus ap-

ta

tæ, & defectibiles. Poſſibilis itaque eſt Imago, quæ ſacra ſit, & cultu digna. Item Calvinus aſſerit: *Quanquam Cherubim, de quibus nunc agitur, ad veterem legis pædagogiam pertinuiſſe agnoſcunt quicunque recte judicant: & incongruum eſt in exemplum noſtræ legis illa proponere. Præteriit enim ſeculum illud puerile, ut ita loquar, cui ejuſmodi rudimenta deſtinata erant.* Poſtquam hactenus contenderat veteris legis exemplo, in nova etiam Imagines interdici, nunc ſcenam vertit, & ex quo ad veterem legem pertinuiſſent, puerile quoddam præſeferre prętendit, ad legem Chriſti non revocandum. Sed poſt dictata magiſtri, attendamus rudimenta diſcipuli: *Palmarum Imagines* (ais) *diverſæ omnino erant ab Imaginibus Fratris. Non illæ Dei Patris Imagines, non Spiritus Sancti, non Sanctorum, & Sanctarum; neque ipſis ullus cultus.* Imagines tamen erant, idcirco contrariæ præcepto. Quod vero Dei Patris Imagines non eſſent, nec colerentur, cum palmas, poma punica, boves, & leones repręſentarent, parum refert; neque enim per iſta Dei Patris, nec Spiritus Sancti, nec Sanctorum effigies repræſentabantur: conſimilia autem & nos ad ornatum in Eccleſiis unice habemus.

46. Panigarolam reprehendis *pag.* 449., quaſi quod iſte ad ea Chriſti verba ad mulierem Samaritanam *Joann.* 4. 24.: *In ſpiritu & veritate oportet adorare*, Calvino imponat quæ non dixerat; hinc profers *Lib.* 3. *Inſt. cap.* 20. §. 30., & *Lib.* 4. *cap.* 10. §. 14. Comperio autem loco primo citato Calvinum fateri, in Templis manufactis Deum poſſe coli, dummodo in Eccleſiis nulla ſanctitas eſſe nec affirmetur, nec concipiatur: *Ne aut propria eſſe Dei habitacula ducamus, unde propius aurem nobis admoveat, aut ſecretam neſcio quam illis affingamus ſanctitatem.* Altero vero loco in Eccleſia Chriſti ritus haberi permittit ſenſibiles, dummodo *is modus adhibeatur, qui Chriſtum illuſtret, non obſcuret*: nimirum, qui ſint numero pauci, faciles, & in ſignificatione ſua excellentes. Quid porro dicturus eris Picenine, ſi probem, præter iſta, Panigarolam prætendiſſe nihil ultra a Calvino dictum fuiſſe? Calvinus Templa admittit, & ſenſibiles ritus in Eccleſia ad divinum cultum inſtituta: quamobrem autem, ſubdit Panigarola, *nequit Imagines permittere*? Nonne Templa corporea ſunt? Quare igitur tanquam media iſta conſtruitis ad ſpiritualem cultum? Prædicantium vox nonne ſenſibiliter inſonat? Sacramenta ipſa nonne ſenſibus percipiuntur? Ritus etiam per ſenſus miniſtrantur. Porro ſi Templa, ſi prædicatores, Sacramenta, ritus adhibetis, cur non & Imagines? Templa venerationis ſunt incitamenta, prædicatores, Sacramenta fidei ſunt monumenta, ritus oblectamenta ſpiritus; quid non & Imagines eadem præſtare valent? Forte ais, nec Deum intra Templorum ſepta cogere, nec virtutem ullam in ipſis te agnoſcere? Atqui idem & ego fateor de Imaginibus. Panigarola ſcribit, quod etſi *cultus ſpiritualis eſſe debeat, media tamen ad eum excitandum corporea & ſenſibilia, haud prohibita, quam utillima eſſe*; cur porro & ipſas Imagines non recipis? *Si prohibitum foret noſmetipſos, mediis Imaginibus, per oculos excitare ad cultum, prohibitum item foret mediis concionibus ad eundem cultum per aures adhortari*: quod Panigarola ex ipſa Calvini doctrina deducit. Quis porro reprehenſione dignus, Panigarola Calvinum ſuiſmet principiis oppugnans, an tu, qui fallaciis tuis Panigarolam vexans, quaſi dixerit quæ Calvinus non dixerat, interim ad ea quæ Panigarola urget reſpondere refugis?

47. Calvinus Imaginum cultum oppugnat plurimis divini verbi textibus, quos Panigarola diſſimulat, ſi tibi fides adhibeatur *pag.* 449., ubi doles *tibi verba deficere quibus reſpondeas, dum ille ſibi umbras fingat, quibus occurrat.* Reor me jam oſtendiſſe palam, umbræ ſint, an corpora, quæ Panigarola adoritur. Nihilominus Calvini relatos textus ad trutinam revocemus.

cemus. Primus eſt *Iſaiæ 44. verſ. 15.: Arbor facta eſt hominibus in focum, ſumpſit ex eis* (homo), *& calefactus eſt, & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt Deum, & adoravit: fecit ſculptile, & curvatus eſt ante illud*. Iterum Iſaias *cap. 2. verſ. 8.: Opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum*. Et *cap. 31. verſ. 7.: In die illa abjiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui; quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum*. Hæc Calvinus opponit. Veruntamen ajo, Panigarolam probe intellexiſſe hujuſmodi ſibi contraria non eſſe, ſed dumtaxat Idolorum cultoribus, ut conſtat ex ipſo contextu verborum. Ecquando lignum, opus manuum noſtrarum, aurum, argentumve colimus? In Imaginibus noſtris, non quæ ipſæ ſint, ſed quid repræſentent contemplamur: etenim ſi lignum in ipſis coleremus, omne lignum adoraremus; ſed non eam ex qua componuntur materiam colimus. Ex eadem enim materia ſi Chriſti Imago hinc, hinc vero Judæ, vel Diaboli forma fiat, illam adoramus, iſtam autem exſecramur. Prototypum per Imaginem adoramus.

§. IX.

Nicæni II. vindiciæ.

48. INter Concilia univerſa in Eccleſia Dei habita, præter Tridentinum, deteſtabilius Proteſtantibus, & exſecrabilius eſt Concilium Nicænum II., utpote quod cultum ab Iconomachis Imaginibus ſublatum reſtituit. Ut in ipſum Picenine excandeſcas, Panigarolam criminaris, reſponſum reddere neglexiſſe *cuidam Libro notato a Calvino Lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 14., in quo ſub Caroli Magni nomine refutantur eorum documenta, qui pro cultu Imaginum decertabant*. Verum ſi Calvini, cujus dicta ille refellit, totum intentum eſt præfati Libri ſententias recoquere, quid Panigarola debuit ſingillatim iſtas rejicere, cum ipſum Calvinum affatim retuderit? Porro autem cum nec Calvinus certo ſciat Librum illum eſſe Caroli Magni, ait quippe: *Extat refutatorius Liber ſub Caroli Magni nomine, quem ex dictione colligere licet eodem tempore fuiſſe compoſitum*, potuit Panigarola flocci illum facere, tanquam apocryphum Librum, ratus muneri ſuo ſatisfeciſſe Calvino jam refutato, qui medullam illius Libri hauſerat; tum vel maxime, quod dato Librum illum Caroli Magni opus eſſe, nullum propterea ex eo detrimentum trahit legitimus Imaginum cultus, dum ibi ſuperſtitioſa tantum cultus depravatio damnetur. Caroli Magni temporibus Galliarum Epiſcopi, errore facti, reputarunt Nicænos Patres, qui uni Deo debetur, Imaginibus cultum tribuiſſe, ac talem in ipſis ſanctitatem intrinſecam agnoviſſe, quod Chriſtiani tenerentur in Imaginibus ſpem ſuam collocare, & non minus ac Deo iſtis ſervire. Hujuſmodi errori occaſionem præſtitit, tum æquivocatio ſumpta in voce *adorationis*, quam vocem Synodus illa adhibuerat, tum profeſſio Conſtantini Epiſcopi Conſtantienſis Cypri, Imaginibus eundem decernens cultum, ac Sanctiſſimæ Trinitati. Æquivocationem auxit Latina verſio illius Synodi, oſcitanter, & incompoſite concinnata: quare Galli judicarunt, Nicænos Patres in decretis ſuis modum exceſſiſſe. Sic inter ceteros commentatur Natalis Alex. *Diſſert. 6. Sec. 8. Hiſt. Eccleſ. §. 7.*, non pauca referens momenta: quanquam non deſint opinantes, Galliarum Epiſcopos re vera qualemcunque cultum Imaginibus negaſſe, permittentes in Eccleſiis Imagines dumtaxat haberi ad fidelium diſciplinam, & ornatum. Melioris tamen notæ viri tenent, Caroli Magni, & Gallorum mentem unice fuiſſe, Nicænorum PP. doctrinam, & Iconoclaſtarum ad frugem revocare, in hac re Græcos videntes invicem pugnare, dum Iconomachi omnem cultum Imaginibus negarent, eas conculcantes, Catholici vero eaſdem cultu honorandas aſſererent. Quocirca Galli ad partes componendas, medium excogitarunt inter

extre-

extrema. Quæ præſumptio fundamentum habet in Capitularibus Ludovici Pii *ad ann.* 824., ubi inter documenta Jeremiæ Senonenſi Epiſcopo commiſſa, & Jonæ Aurelianenſi, quos ad Eugenium II. miſit, mandat: *Ad menſuram, quæ in habendis Imaginibus retinenda eſt, cum deducere valeatis.* Et in Epiſtola ipſis tradita ad Eugenium, ait: *Novit quippe ſanctitas veſtra, qualiter populus Græcorum in hac Imaginum veneratione diviſus ſit. Ideo rogamus, ut almitas veſtra curam, & diligentiam habere dignetur, quomodo per veſtram ſaluberrimam doctrinam, atque admonitionem, magis ad concordiam, et unitatem revocetur, quam propter hoc ad majorem diſcordiam, et diſſenſionem impellatur.* Hujuſmodi Pii ſenſa communia fuerunt Carolo, & Gallis. Utcunque tamen res fuerit, certum eſt Carolum debito cultu Imagines minime privaſſe, immo ab ipſo, & a Chriſtianiſſimo illo Regno perennem Imaginibus venerationem uſquemodo retentam fuiſſe: quod maxime facit adverſus Calvinum, & Piceninum.

49. Doles *pag.* 450., Panigarolam deteſtari velut Satanę *Conſtantinopolitanam Synodum ſub Leone Iſauro* a Calvino propoſitam; quamobrem audes ipſum dicere *temerarium*, *impudentem*, *diſſolutum hominem*, inquiens: *Calvinus Concilia refert, tu Concilia refers; Calvinus Conſtantinopolitanum ſub Leone a Iſauro adverſus Imagines, tu Nicænum II. ſub Irene in favorem Imaginum. En altare contra altare, Concilium contra Concilium.* Ita; ſed altare Belial contra altare Dei, impiorum corruptela contra Patrum cœtum ex pietate coactum. Tu vero bone vir poſtulas, qui modus ſit, quo legitimum ab illegitimo dignoſcamus? Quomodo te gereres, ſi pro divinitate Filii aſſerenda, propoſita Nicæna I. Synodo, Sirmii, ac Seleuciæ conventiculis Ariani tecum pugnarent, quæ Conſtantii illius ſectæ Imperatoris favore contra Nicænæ veritatem coacta fuerunt? Nonne & hic Concilium ſtaret contra Concilium, altare contra altare? Quodnam autem legitimum eſſet? Sic in præſens. Legitimum ne habebitur Conſtantinopolitanum tuum, non a Leone Iſauro, jam denato, ſed a Conſtantino Copronymo ejus filio coactum, ad quod nec Epiſcopi Imaginum aſſertores vocati fuerunt; partem autem in ipſo nullam habuerunt, non dicam Romanus Epiſcopus, ſed nec Patriarcharum quiſpiam, non Alexandrinus, non Antiochenus, non Jeroſolymitanus, in quo ſoli Iconomachi judices & partes aderant, impiiſſimi Conſtantini profani adultores; illegitimum autem erit Nicænum II., inſtante Paulo Conſtantinopolitano, & Tharaſio hujus ſucceſſore, Conſtantini, & Irenis opera coactum, ad quod vocati fuerunt, pręter orientales Patriarchas, ipſi etiam Iconomachi, qui & convenerunt, ut conſtat *Actione* 1., in qua Baſilius Ancyræ, Theodorus Myrenſis, & Theodorus Amorienſis, aliique plurimi errores ſuos deteſtati ſunt? Tridentinum ajebas te non recipere, utpote ex ſolis Catholicis Proteſtantium hoſtibus compoſitum; modo autem Conſtantinopolitanum legitimum eſſe prętendis, Iconomachorum præciſe conventum, ad quem ceteri nec invitati fuerunt, atque illegitimum damnas Nicænum II., in quo non vocati tantum, ſed & præſentes fuerunt Iconomachi, errores ſuos exſecrantes?

50. Tharaſius vix Patriarcha electus, ſupplices litteras *Adriano I.* dedit Summo Pontifici, poſtulans ab ipſo Concilii coactionem. Ipſimet *Conſtantinus, et Irenes* Imperatores, Conſtantinopolim eum invitantes ad ipſum ſcripſerunt, ut Synodo præeſſet, vel ſaltim Legatos mitteret. Epiſtolæ autem ſunt in prælusoriis hujus Synodi. Adrianus Conſtantino, & Ireni reſcripſit, cujus litteræ *Actione* 2. lectæ fuerunt, miſſis Legatis ſuis Petro Archipreſbytero tituli S. Petri, & Petro Abbate S. Sabæ, qui Actione I. ante Tharaſium Patriarcham Conſtantinopolitanum nominati fuerunt, *ut tenentes locum Apoſtolicæ Sedis almi, et Sanctiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Ro-*

ma Adriani. Porro unde conſtat auctoritate Papæ non eſſe coactum? Quia legimus *in incboatione illius Synodi, coactum fuiſſe ex Dei gratia, et nutu Imperatorum Conſtantini, et Irenis in praelariſſima Urbe Nicaa*, non *Nizza*, ut ais, inſipienter tibi ſuadens, libellos omnes ſupplices ad Adrianum, & præludia omnia ipſo annuente parata, his duabus vocibus eliminari *Imperatorum nutu*. Nunquid *Act*. 3. illius Concilii Tharaſii litteræ lectæ non fuerunt, ad Synodum convocantes tres Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Jeroſolymitanum, deindeque eorum reſponſa, nempe Barbarorum invaſionibus impediri, cuncta tamen Summi Pontificis auctoritate ſuppleri, ut alias factum erat? *Hoc autem ſubtilius eſt conſiderandum, etiam ab ipſa ſacra univerſali ſexta Synodo, in qua nullus eorum, qui per idem tempus in bis partibus Epiſcopi erant, conveniſſe repertus eſt propter. Barbarorum tyrannidem, ſed nullum ex boc ſancta adhaſit Synodo prajudicium: neque vires habuit probibitio aliqua ſtatuendi, et manifeſta faciendi recta dogmata pietatis, pracipue cum ſanctiſſimus et Apoſtolicus Papa Romanorum concordaverit, & in ea inventus ſit per Apocriſarios ſuos. Et nunc, ſanctiſſimi, boc cum auxilio Dei ſimiliter fiat. Nam ſi tunc illius fides in Orbis terra perſonuit fines; ita & Synodi, qua nunc per gratiam Dei congreganda eſt, per interventionem veſtram, & ejus qui moderatur Apoſtolorum Principis Sedem, pradicabitur in omni loco, qui ſub Sole eſt*. Ita de Pontificis auctoritate in Oecumenicis Synodis loquuntur orientales Patriarchæ. Tu vero oppoſitum dicere non erubeſcis, tum etiam *Synodos ſub Carolo Magno, Ludovico Pio, Lothario, & Carolo Calvo, coactas fuiſſe inconſulto Papa*: quod & falſiſſimum eſt: ſed & cum iſtæ Provinciales fuerint, nulla expreſſa mentio Pontificii mandati neceſſaria erat.

51. Verum, ſubdis *pag*. 450. 451., ut pateat *quanam ex duabus illis Synodis legitima ſit, fas eſt earum decreta divini verbi ſcrutinio pendere*. Atqui ſcrutinio facto, cujus erit judicare, & definire, quæ decreta Dei verbo adhęreant? Num Calvinus judicabit, Piceninus, Proteſtantes? In hujuſmodi negotio prudens nemo tanquam legitimos judices iſtos ſuſcipiet, pręſertim adverſus Eccleſiæ judicium, octo & amplius ſeculis retentum. Sed nugas tuas audire pręſtat; riſum quippe nimium movent: *Juxta boc ſcrutinium* (ais) *Conciliabulum eſt Concilium Nicanum tuum ab Irene directum, contra viſcera ſua crudeli fœmina paganiſmi ſobole, Imaginum cultui addicta, fœmina tandem, qua concepta ſpe recuperandi, quod in Occidente perdiderat Imperium, ſancitum voluit Imagines adorari. Ita Adrianus Papa avebat, qui ut rem conficeret, e Vaticano in Irenem ſpiritum transfudit*. Libellus hic adverſus Irenem, nihil omnino tangit ſcrutinium decretorum ejuſdem Synodi ad normam verbi Dei. Etſi autem Irenes qualem exhibes fuiſſet, quis quæſo Leo Iſaurus, quis fuit Conſtantinus Copronymus? Iſtorum vitia, feritatemque ubique lugent hiſtoriæ Latinæ, & Græcæ; a Teophane vero Leonis exitus ita deſcribitur: *Taliter mortuus eſt Leo, tum anima, tum corporis morte: & imperat ejus filius*, nempe Conſtantinus Copronymus, de quo ſubdit: *Hic enim pernicioſiſſimus, & ferus tyrannice abuſus Imperio, primo quidem a Deo, & intemerata Matre ipſius, & ab omnibus Sanctis abſcedit, magicis maleficiis, & luxuriis, cruentiſque ſacrificiis, & caballinis ſtercoribus, atque otio delectatus, mollitiebus, ac Dęmonum incantationibus gaudens, atque omnibus animam corrumpentibus adinventionibus a tenera atate convivens*. E tumulo ſublatum ejus cadaver, flammis inſumendum traditum fuit: atque ex hujuſmodi virorum pietate, auctoritatem ſortitum eſt Conſtantinopolitanum Conciliabulum, quod Picenine ſacroſanctum veneraris. Neque hic Irenis partes aſſumere contendo, tantumque ejus laudo pietatem, religionem, conſtantiam in adverſis; quare Nicephoro Imperii raptori pronuntiare non dubitavit: *Ego*

qui-

quidem, o homo, Deum deputo, & pridem, cum eſſem orphana, exaltaſſe me, ac deinſuper ſolium, cum eſſem indigna, provexiſſe me; cauſam vero depoſitionis mihimet applico, & peccatis meis adſcribo. Ita Theophanes, Zonaras, Cedrenus, aliique Græci hiſtorici. Falſum tamen eſt, Imperii occidentalis ambitu Irenem deſignaſſe Synodum quærere, & Imaginum cultum reſtituere, ut more ſolito mendaciſſime blateras, ſed a Paulo Patriarcha Conſtantinopolitano morti proximo exorata, & a Tharaſio ſucceſſore electo ſolicitata, hujuſmodi curam in ſe ſuſcepit, & apud Adrianum I. re procurata, Imperiali deinde protexit auctoritate.

52. Nec mentiri ceſſas *pag.* 451., inquiens: *Conciliabulum aſſero Nicænum II., quatenus cultum ſanxit Imaginum contra Dei verbum, & praecedentium ſeculorum praxim.* Et tamen Synodus illa circa Imaginum cultum teſtatur Traditionem ſequi, & vetuſtam praxim, nec non Dei verbo inhærere. Legatur *Actio* 3. 4. & 7. Quis porro magis expertus habendus erit eorum quæ prioribus ſeculis facta fuerunt, num Nicæna Synodus, VIII. Seculo celebrata, an Proteſtantes, octingentos poſt annos tumultuantes? Si de cultu Imaginum decernebantur quæ praxi, quæ Scripturæ Sacræ contraria erant, Iconomachorum Epiſcopi Synodo præſentes, Theodorus ſcilicet Myrenſis, Baſilius Ancyranus, aliique obſtare debebant; & quin Imaginum intentatas ab ipſis injurias palam deteſtarentur, cultum potius exſecrari debebant, non datis manibus approbare. Subdis: *Decet ne Imagines ipſis orationibus meliores reputari? Una pariter, ac ipſa Evangelia adorari?* Me latet ubinam hæc Synodus Imagines aſſerat orationibus præſtantiores. Utique aſſero, quemadmodum aſpectus Arcç fœderis Iſraelitas excitabat ad orandum ferventius, homo quippe per ſenſibilia trahitur, ita Crucifixi effigies animum movet efficacius, & ad prototypum, Jeſum ſcilicet, affectum allicit, ut exoretur ardentius. Imagines autem fore adorandas ac Evangelia, certiſſimum eſt, ſi utrumque ſcite intelligatur, nimirum Evangelia ſumendo non in papyro, & litteris, ſed in propria ſignificatione, & Imagines non in tabulis, & coloribus, quibus efformantur, ſed in eo quod repræſentant. Quare quemadmodum verba quæ Evangelia componunt ſigna ſunt, ad oculos nobis repræſentantia Dei verbum qualiter Evangeliſtis traditum fuit, ita Dei Patris, & Spiritus Sancti Imago ad oculos noſtros refert Deum Patrem, quomodo Prophetis revelatus fuit, & Spiritum Sanctum, qualiter ſuper Jordanem apparuit. Verba autem ſcripta, ſicut ſunt hominum, nempe Evangeliſtarum opera, ab ipſis conſcripta, ſive interpretum calamo traducta, ſive typis mandata, ita Imagines opera ſunt hominum mediis coloribus efformata. Nihilominus tamen ſi Evangelia honorare debemus, quin papyrum, vel characteres colere timeamus, dum per iſta illorum auctorem Deum colimus, cur non & ipſæ Imagines adorare poterimus, quin tabulam, vel colores adoremus, ſed in ipſis, & per ipſas Deum colamus, vel Sanctos quos repræſentant?

53. Suſcipis *pag.* 451.: *Si legitima fuit Synodus Nicæna II., a Papa coacta, & firmata, cur ejus decreta Minorita non obſervat? Cur Chriſti Imaginibus Latria cultum tribuit? Cur non ea obſervat Romana Eccleſia? Cur Evangelia ſicut Imagines adoranda non exhibet?* Jam dictum qua ratione, quin Nicænæ fiat injuria, Chriſti Imaginibus *Latria* honor tribuatur, *Latria* ſcilicet non propriæ, ut ipſa Synodus explicat, ſed impropriæ, quia, ut eadem habet *Act.* 7., *Imaginis honor in prototypum reſultat, & qui adorat Imaginem, in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Porro cum Chriſtus, ut Deus, ſit cultu *Latria* dignus, ſequitur propterea, in ejus Imaginem hujuſmodi cultum ex quadam analogia attributionis, & reſpectus redundare. Quis porro tibi Picenine dixit, Romanam Eccleſiam Evangelia eadem veneratione, & cultu ac Imagines non habere?

Dum

Cum a noſtris Evangelium ſolemniter legitur, fideles ſurgentes ſtant nudato capite, accenduntur lumina, thura ipſi dantur, & oſcula, quæ nimirum eſt ratio illa cultus, & ritus a Nicæna præſcripta: *Ita ut in iſtis* (Imaginibus) *ſicuti figura pretioſa, ac vivifica Crucis, & Sanctis Evangeliis, et reliquis ſacris monumentis, incenſorum, et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis pia conſuetudinis erat*. At in Conſtantinopolitana pſeudoſynodo hæreamus pede. Si Synodus legitima fuit, cur ejus decreta Piccenine non ſervas? quandoquidem in ipſa Sanctiſſimæ Virginis interceſſio ſancita fuit, anathemate dicto eam negantibus: *Si quis non confitetur, Sanctam ſemper Virginem Mariam, proprie, ac vere Dei Genitricem, ſublimiorem eſſe omni viſibili, et inviſibili creatura, et cum ſincera fide ipſius non expetit interceſſiones, tanquam fiduciam habentis ad Deum noſtrum, qui ex illa genitus eſt, anathema*. Sic ex ore Gregorii Neocæſarienſis legitur, Canones referentis illius Synodi in Nicæna II. *Act.* 6. Inſuper anathema dicit in eos, qui in Sanctorum interceſſiones ſperare negant. Ibi *defin.* 17.: *Si quis non confitetur omnes Sanctos, qui a ſeculo uſque nunc ſunt, quique ante legem, in lege, et in gratia Deo placuerunt, honorabiles eſſe coram ipſo, anima, et corpore, vel horum non poſtulat orationes, tanquam fiduciam habentium pro Mundo intercedere, ſecundum Eccleſiaſticam Traditionem, anathema*. Ad hæc. Si in illo Concilio *Art. de Eucharistia* §. 14. *num.* 126., non rejecta, ſed probata fuit realis præſentia Chriſti in Euchariſtia, cur iſtud dogma Piccenine non recipis cum ſectariis tuis?

54. Sententiam iterum de more profers *pag.* 451., ſcilicet, *Synodum Nicænam II. ſatis cognoſci, ſi perpendantur præcipua rationes, quibus innixa Imaginum cultum decrevit. Deus creavit hominem ad Imaginem ſuam: ergo Imagines oportet adorare. Oſtende faciem tuam, quia pulchra eſt; ergo oportet Imagines adorare. Qui plura deſiderat, legat apud Calvinum Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 14. 15. 16. *Hæc a Panigarola ſilentio occultantur*. Nullo negotio hujus Nebulonis mala fides deprehenditur. Nicæna II. Imaginum cultum non ipſa introduxit, ſed ab Iconomachis profanatum reparavit, quod facere teſtata eſt, ut vetuſtam teneret Traditionem. Scripturæ momenta, quæ Nicæni Patres ad ſuorum decretorum firmitatem ſumpſerunt, non ea præciſe ſunt, quæ irridenda infamis ſcurra propinas, ſed plura alia, quorum ſeries videri poteſt in Epiſtola Adriani I. ad Imperatores, & Tharaſium, in diſputatione Leontii cum Hebræo, & Actis ejuſdem Concilii. Ais mimice: *Deus creavit hominem ad Imaginem ſuam: ergo Imagines oportet adorare*. Adrianus, cujus eſt ſermo, vult *Imaginem omnem in Dei nomine factam bonam eſſe, & ſanctam, quia aliud eſt Imago, aliud eſt vilis animalis ſimulacrum. Cum Deus hominem fecis, ait faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et fecit hominem ad Imaginem Dei. Nunquid enim quia Imago Dei eſt homo, ideo ſimulacrum eſt, idolum, ſculptura eſt, & impietas? Nequaquam fiat. Si enim Adam Imago Dæmonum eſſet, abjectus utique, & inacceptabilis eſſet. Sed quia Imago Dei eſt, honorabilis, & acceptabilis eſt. Omnis enim Imago in nomine Domini, aut Angelorum, aut Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut juſtorum facta, ſancta eſt. Non enim lignum adoratur, ſed id quod in ligno conſpicitur, & memoratur, & honorificatur. Omnes enim nos adoramus Principes, & ſalutamus, licet peccatores ſint. Cur ergo non debemus adorare Sanctos Dei ſervos, & in memoriam eorum conſtituere Imagines eorum, ne oblivioni tradantur? Sed dicis quia ipſe Deus interdixit adorare manufacta. Sic itaque, o Judæe, quid eſt ſuper terram, quod non ſit manufactum, cum a Deo ſit factum? Nunquid arca Dei, quæ ex lignis Setim fabricata, atque constructa fuit, manufacta non eſt, & altare, & propitiatorium, & in qua erat manna, &*

men-

menſa, & candelabrum, et tabernaculum interius, et exterius, non fuerunt ex hominum operibus manuum, quæ Salomon fecit? Et cur Sancta Sanctorum vocantur, manufacta exiſtentia? Nunquid Cherubim, et ſenarum alarum animalia, quæ in circuitu altaris erant, non fuerunt Imagines Angelorum, opus manuum hominum? Et quomodo non abjiciuntur? Quia vero per praeceptum Dei Imagines facta ſunt Angelorum, ſancta ſunt, et hæc animalia erant. Etenim idola gentium, quia Imagines fuerunt Dæmonum, Deus depoſuit, et condemnavit ea. Nos autem ad memoriam Sanctorum Imagines facimus, Abrahæ videlicet, Moyſi, Eliæ, Iſaiæ, Zachariæ, et reliquorum Prophetarum, Apoſtolorum, et Martyrum Sanctorum, qui propter Dominum interempti ſunt, ut omnes qui vident eos in Imagine, memorentur eorum, et glorificent Dominum qui glorificavit eos. Ita loquitur Adrianus Pontifex, Calvinum confundens, ejuſque Apocriſarium Piceninum.

55. Textus alter, quem irridendum aſſumis, nempe quod a Nicæna II. adhibeatur, eſt: *Oſtende faciem tuam, quod pulchra ſit; ergo Imagines oportet adorare.* Textus hic *oſtende mihi faciem tuam*, ab Epiphanio Diacono *Act.* 6. propoſitus fuit, ex fine tamen omnino diverſo ab eo, quem tu ſycophanta ſomniaris. Volebat Gregorius, partes Iconomachorum agens, Imagines omnino tolli, quod Chriſtus Idolorum cultum prohibens, adorare docuit in ſpiritu, & veritate. Epiphanius autem Diaconus probandum aſſumit, in ſpiritu, & veritate adorare, a ſenſibilium atque Imaginum uſu non impediri, quemadmodum ſenſibilem Evangelii lectionem non excludit. Hinc comparat libri lectionem contemplationi picturæ, inquiens: *Nam quæ leguntur, ubi ad aures venerint, ad animum deinde legamus, et transmittimus; et quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur. Atque ita per duo iſta invicem conſequentia, lectionem, et picturam, unam cognitionem acquirimus, quæ ad recordationem rerum geſtarum pervenitur.* Quę ut explicet, Canticorum textum *cap.* 2, adhibet: *Oſtende mihi faciem tuam*, quo aſpectus picturæ efficacia exprimitur; & illum: *Sonet vox tua in auribus meis*, quo lectionis libri virtus declaratur, quibus addit illud *Pſ.* 47.: *Sicut audivimus, ita et vidimus.* En Epiphanii verba: *Unde ex duobus iſtis ſenſibus in Canticis Canticorum invenire licet efficacem conjunctionem. Sic enim ibi dicitur: Oſtende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam; quibus & adjungimus illud: Sicut audivimus, ita & vidimus.* Epiphanius igitur textum illum profert, ut oſtendat ad animum excitandum non minus valere ſenſibile ad oculum, quod fit per picturam, quam ſenſibile ad aures, quod fit per Evangelicæ lectionis auditum. Ex hoc diſcurſu notum fit, quantum perfidia valeas in adulterandis ſententiis, quas tecum pugnare deprehendas. Iconomachi non modo adorationem reprobabant, ſed & Imaginum uſum inſectabantur, quare ab Epiphanio affertur textus ille, quo utilem eſſe probet Imaginum uſum, non earum adorationem. Ejuſdem rationis ſunt ceteri textus plerumque deſumpti ex Epiſtola Adriani, quos Calvinus irridet citato loco §. 15., quanquam a Pontifice non aſſumantur ad cultum Imaginum directe probandum, ſed ut oſtendat Deo gratum ſemper fuiſſe per ſenſibilia ab hominibus honorari.

56. Adhibita omni arte ad Nicænæ II. elevandam auctoritatem, Conſtantinopolitanam tuam extollere ſtudes, inquiens *pag.* 452.: *E contra verbo conformes erant ſanctiones Conſtantinopolitanæ adverſus Imagines.* Inde garrire non ceſſas D. Epiphanii auctoritate, quam ſic refers: *Attendite dilecti filii Imagines in Eccleſias non introducere, neque in cæmeteria Sanctorum eas collocare, ſed Deum in cordibus veſtris inceſſanter circumferte; quin & in communibus domibus Imagines eſſe non permittantur.* Item Theodorum Ancyræ ſic loquentem introducis: *Non honorabile credimus Sanctorum effigies ſenſibili-*

Digitized by Google

bilibus delineare coloribus, ſed maxime decet eorum virtutes tanquam vivas Imagines frequenter contemplari. Item Amphilochii Iconii: *Nos non curamus Sanctorum facies pingere, ſed eorum virtutes mente revolvere.* Hæc, ais, Dei verbo conſona ſunt, & D. Pauli pręcepto *Heb.* 13. 7.: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum ... imitamini fidem.* Hæc Patrum dicta, a Gregorio Neocæſareæ pro Iconomachorum partibus in Nicæna II. recitata *Act.* 6., tanquam falſa & inepta ab Epiphanio Diacono rejecta fuerunt. Cur autem dictum illud D. Epiphanio non ſit tribuendum, ratio potiſſima eſt, quod ſi ille Pater octoginta capitum Librum ſcripſit, ubi Gentium, & Judæorum hæreſes retulit univerſas, quæ Chriſtianam religionem profanaverant, nullam tamen hæreſim notat circa Imaginum cultum, quam certe non omiſiſſet, ſi Iconomachis adhæſiſſet. Suppoſitos vero contra Imagines Libros, præter Iconomachos, Chriſtianorum nemo recepit. Epiphanii etiam ſeculo D. Baſilius, ambo Gregorii, Nyſſenus, & Nazianzenus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Cyrillus Jeroſolymitanus floruerunt, quorum tamen nemo damnavit, quinimmo Imaginum uſum in Templis una ſimul omnes commendarunt. Quamobrem Epiphanius Diaconus concludit: *Commentarium illud rejicimus, beatum autem Patrem Catholicæ Eccleſiæ Doctorem cognoſcimus... judicate ergo omnes qui auditis, & verum a falſo diſcernite, quia editiones iſtæ non ſunt beati iſtius Patris, ſed potius Manichaicę, quas veluti amara bile plenas fugiamus. Manichæi etenim, & quicunque confuſionis fuerunt auctores, contemplationem iſtam nunquam ferre potuerunt.* Hoc reſponſum confirmat Joannes Damaſcenus *Orat.* 1. *de Imaginib. num.* 26., *et Orat.* 2. *num.* 18., ubi Pater Lequien in ſuis notis, cenſet germanum illius Libri auctorem quemdam hæreticum eſſe, nomine *Epiphanidem*, ſecta Manichæum, quodque dolo malo a nomine *Epiphanidis* abraſa littera, æquivocandi ratio præſtita ſit Librum illum vero Epiphanio adſcribendi, quod & Nicephori auctoritate confirmat. Hæc autem animadverſio optime cohæret dictis Epiphanii Diaconi mox prælaudati, qui Manichææ editionis Librum illum eſſe arbitratus, fidem auget dictis Patris Lequien, a quo etiam tanquam illius Libri auctor traditur *Xenaias Hierapolitanus* Epiſcopus Manichęus, ſacrarum Imaginum juratus hoſtis: quæ dicta ſint, quatenus Liber ille vero Epiphanio non ſit adſcribendus; etſi enim pręfato Patri tribuatur, reſponderi poſſet cum D. Joanne Damaſceno *Orat.* 1. ,, Quemadmodum ſcimus a D. Athanaſio prohibitum, ,, corpora Sanctorum in capſis reſervari, ,, præceptumque potius terræ ,, mandari, ut ſuperſtitioſa Ægyptiorum ,, conſuetudo tolleretur, qui mortuos ,, ſuos non ſub terra, ſed in lectis ,, collocabant, ita fortaſſis ſenior ,, ipſe Epiphanius (ſi tamen Libri verus ,, auctor fuit) ad aliquem errorem ,, corrigendum, Imagines faciendas ,, non eſſe ordinavit,,. Quod vero Imagines omnino tollere Epiphanius nunquam conſenſerit, teſtis eſt ipſamet Eccleſia ejus, quæ ad hæc uſque tempora Imaginibus undique ornata conſpicitur. Tandem concludit Damaſcenus: *Quod a paucis, & raro fit, vim legis in Eccleſia non habet; nam, ut Greg. Theologo Orat. 38. placet, una hirundo non facit ver, nec unius ſententiæ tanti roboris fuit, ut univerſa Eccleſia, quæ ab extremo terræ ad aliud extremum diffuſa eſt, Traditionem poſſit evertere.*

57. Theodori Ancyrani dictum apocryphum eſſe, idem Epiphanius Diaconus probat in Nicæna II. *Act.* 6. his verbis: *Multi noſtrum diligenter quærentes, et indagantes in ſermonibus hujus Theodori, præſentem ſententiam nuſquam ſane invenimus. Ex quo convincitur ementita eſſe teſtimonia ab iſtis citata, ideoque nec locum ſermonis, nec librum, unde hæc ſententia deſerẽpta eſſet, deſignarunt.* Addo hujuſmodi verba in pſeudoſynodo Conſtantinopolitana non fuiſſe lecta ex codice

Ope-

Operum Theodori, ſed in mobili charta. D. Amphilochii dictis pariter reſpondet Epiphanius Diaconus eadem *Act.* 6. ,, hęreticis gentile eſse mutilas extorquere ſententias; ſubditque, ſi quiſpiam recte conſideret, ,, vix prehendet hanc ſententiam venerabilium Imaginum repręſentationi contradicere, etenim tantummodo vult nos ſolicitos eſse non debere Sanctorum vultus ita pingere, ,, quaſi carnali affectu ducamur, ſicut ,, filius defuncti patris vultum pingi deſiderat, ſed ut eorum virtutes & ,, fidem in memoriam revocemus, ,, ac imitemur: & quemadmodum in ,, libris eorum acta exaramus, ita in ,, tabulis eos pingimus, non quod ,, ipſi id flagitent, ſed quia ſic utilitas noſtra poſtulat; hoc autem eſt ,, quod D. Paulus volebat ,,. Ceterum adeo indubium eſt Amphilochium reputaſſe Imagines in Eccleſiis utiles eſſe, quod eas inutiles dicere a Dęmonis arte venire pronuntiaverit. Ita in *Orat. de Pœn t.* de tartareis artibus ſermonem habens, ait: *Alios contra venerabiles Imagines exſecrabiles ille efferat, inutiles illas dicens, & quæ nihil proſint.* Si Conſtantinopolitana tua Synodus his tantum innititur fundamentis, facile cadit. Aſt quęcunque ſint, bona, aut mala, a Calvino, Dallęo, aliiſque congregare ſatagis, male ſuaſus nugas tuas quotquot eas legere contigerit, benignis, ęquiſque oculis fore recepturos.

§. X.

Illiberitani Concilii Canon expenditur.

58 AD Concilium Illiberitanum nunc confugis, cujus Canon 36. hęc habet verba: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* De mente hujus Concilii in prælaudato Canone variæ ſunt auctorum opiniones, quarum duæ a Panigarola referuntur. Prima eſt: ex hoc nempe dumtaxat ſequi, Imagines divino cultui non eſſe neceſſarias, ſed tantum valde utiles. Dogmata quidem fidei eadem ſemper ſunt, nulli mutationi obnoxia, non ita tamen quæ ad diſciplinam pertinent, hæc enim ſecundum diverſas locorum, & temporum circumſtantias variantur. Hæc Panigarola, & recte quidem; etenim in veteri Eccleſia ante Evangelii propagationem bis mille annis & ultra nullæ fuerunt Imagines, quas deinde Deus fieri inſtituit in duobus Cherubim. In negotio igitur Imaginum, ut jam dictum eſt, uſum, & cultum oportet diſtinguere. Suppoſito uſu, ad diſciplinam iſte ſpectat Eccleſiæ, cultus vero dogma reſpicit. Ille Conciliorum auctoritate varationi ſubjicitur, attentis locorum ac temporum circumſtantiis, iſtud vero immutabile eſt, non minus ac ipſa fides. Eccleſia autem ſi non ſemper Imaginum uſum retinuit, ſemper tamen tenuit, ſuppoſito uſu, poſſe Imagines quæ Deum, Chriſtum, vel Sanctos repręſentent, honorifice, & reverenter coli. Concilium porro Illiberitanum Imaginum cultum Canone illo non prohibet, quin ipſum ſupponere indicat, dum ait: *Ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Prohibet in Hiſpania Imagines haberi in parietibus, non ubique, utpura in telis, & tabulis, ſive in Eccleſia, ſive alibi. Atque hic eſt litteralis ſenſus Canonis: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Canon igitur illorum temporum diſciplinam tangit, quæ in Hiſpania opportuna erat, quod conſtat ex verbo *Placuit*, ſiquidem Canones ad dogma pertinentes, non exarantur verbo *placuit*, ſed *ſtatuit*, *definivit*, addito deinde *anathemâte.* Bene ergo habet Panigarola, ſcilicet de uſu tangente diſciplinam hic haberi ſermonem, quodque ſi univerſalis Eccleſia bonum judicaret Imagines eſſe non debere, ad evitandum aliquod inconveniens, ſive ſuperſtitionis, ſive alterius generis, primus ipſe in illis tollendis dexteram ſuam conſecraret, ſicut Ezechias

4. *Reg.* 18. 4. æneum Serpentem a Moyſe ex Dei præcepto conflatum ſancte comminuit, cum vidiſſet ad ſuperſtitionem, & idololatriam male adhiberi.

59. Reſponſum hoc tibi non placet, etenim ſubdis: *Si Imagines neceſſariæ non ſunt, cur pſeudoſynodus Nicæna Evangeliis eas æquiparabat?* Nicæna Evangelio pares facit Imagines ſacras quo ad venerationem; at vero ſi male ipſis uti cerneret, eas tolleret, non minus ac alia multa ex eadem ratione abrogavit. Petis: *Quare Frater ait, Deum eas præcipere? Mihi videtur quodlibet a Deo præceptum eſſe neceſſarium.* Minime aſſerit, Deum præcepiſſe Imaginum uſum, ſed dumtaxat cultum, & venerationem; quemadmodum autem quod a Deo præceptum eſt, neceſſarium eſt, ita ſuppoſito ſacrarum Imaginum uſu, neceſſe eſt eas venerari. Iterum faſtidis. *Si Imagines non ſunt neceſſariæ, quare eas oppugnantes habentur hæretici? Cur Conſtantinum Cæſarem Iconomachum deteſtabilem dicit, propterea quod eas abolere vellet attento damno non apparenti, ſed certiſſimo?* Plane conſtat, quod nihil capias. Non hæreticos Iconomachos Calviniſtas ex hoc tantum dicimus, quod Imaginum uſum non admittant, ſed potiſſimum quia falſum dogma cum non uſu conjungunt, negantes poſſe adorari cultu honoris, qui ad earum prototypum refeRatur, & aſſerentes ſuperſtitioſum eſſe atque idololatricum hac ratione eas adorare. Conſtantinum autem Copronymum Imagines abrogare diſpoſuiſſe attento *damno certiſſimo*, hujus *certiſſimi damni*, cujus cauſa adverſus Imagines tam crudeliter exarſit, certam rationem attendam, niſi eadem fuerit, quam Proteſtantes ſibi conſtituerunt, nimirum pertinax illa, ac mendax ſuaſio, videlicet earum cultum idololatriam eſſe. In hiſtoria Iconoclaſtarum non aliam lego cauſam exterminandi Imagines, quam Hebræorum perfidiam, quibus cum Leo juramento ſe obſtrinxiſſet, ex divinatione ſibi facta Imperii, petitionem quamlibet ipſis conceſſurum, horum inſtigatione Imagines tanquam idololatriæ reliquias abolere conſtituit. Hujus rei teſtes partim ſunt Tharaſius *Act.* 4. Nicænæ II., Cedrenus, Zonaras, & Conſtantinus Manaſſes Græci hiſtorici. Petis Apolog. *pag.* 452.: *Quomodo Eccleſia regi poteſt a Spiritu Sancto, dum contradictoria præcipit? Ergo ne divinus Spiritus dictare valet Imagines in Eccleſia modo eſſe debere, modo non debere? Modo in parietibus pingendum non eſſe quod colitur, modo vero adorandum quod in parietibus pingitur?* Circa dogma de cultu ſacrarum Imaginum Eccleſia idem ſemper tenuit, & præter Hebræos, Marcionitas, Manichæos, & pſeudoſynodum Conſtantinopolitanam, nemo auſus eſt id negare. Circa vero Imaginum uſum, vel non uſum, quod meræ diſciplinæ momentum eſt, Eccleſia pro circumſtantiis locorum & temporum diverſimode egit, neque ulla hic contradictio. Num ſibi Deus contradixit, dum aliquando adorari voluit ſine ritu, ſine Templo, abſque Arca, & Propitiatorio, aliquando vero his omnibus ſub præcepto poſitis? Profecto *ſperandum non eſt Eccleſiam Romanam decretum ſuum circa Imagines immutaturam*, ſiquidem, longe quam ex iſtarum uſu oriri abſurda, ſummam potius in ipſis experitur utilitatem, ad fidei, ac pietatis incrementum: & ſane mirum, quod pauci Proteſtantes oculos habeant ad ea perſpicienda inconvenientia, quæ nec Græca, nec Latina Eccleſia valet diſcernere. Sed rebellium ſemper ars iſta fuit, prætextu zeli, ac malorum Reipublicæ, rebellioni ſuæ fucum facere.

60. Illiberitano Canoni aliud Panigarola reſponſum adhibet; tu vero *pag.* 452. 453. ſuſcipis: *Suaſus Frater hac ſua reſponſa ſibi nihil prodeſſe, ſcenam mutat.* At *ſcenam non mutat*, qui pluribus occurrit rationibus, immo potius veritate redundat: quæ ſi dicenda eſſet *ſcena mutatio*, quoties ſcenam Picenine mutaſti, qui in anguſtiis poſitus mendacia tua involvere tot commentis ſtuduiſti, licet ine-

neptiſſimis? Panigarola ait, Canonem 36. Illiberitanum tam alienum eſſe a contentione Imaginum, quod potius earum cultum promovet, earumque cauſam mirabiliter juvat, propterea quod nunquam loquatur de Imaginibus generatim, ſed de depictis: *Placuit picturas non eſſe*; immo picturas tantummodo tangit *in parietibus* depictas. Cum graviſſima eſſet tunc in Hiſpania contra Eccleſiam preſecutio, Chriſtiani fugam cogebantur arripere, Templa ſua deſerentes, quæ dum perſecutores interim invaderent, ea impietatum monſtra committebant, quæ poſtremis temporibus in Galliis, & alibi viſa ſunt. Quo circa Epiſcopi illi ſacrarum Imaginum zelo tacti, nihil ſtatuerunt de depictis tabulis, quæ fugiendo poterant aſportari, ſed de picturis in parietibus, quæ cum deportari non poſſent, idololatrarum contumeliis ſubjiciebantur. Lactantius in lib. *de mort. perſec. cap.* 12. furorem explicans Paganorum in Templa Chriſtianorum irruentium, ait: *Devulſis foribus, ſimulacrum Dei quæritur, Scriptura reperta incenduntur, datur omnibus præda.*

61. Hoc tamen reſponſum tanquam *falſum* rejicitur a Picenino *pag.* 453., *tum propter ipſam decreti rationem, quam* (ut ais) *Frater iniquè tacet, tum propter actionem Epiphanii, quæ ſtatim profertur, cum ex ipſa adverſariorum confeſſione.* Ratio ipſius decreti fuit: *Ne quod adoratur, in parietibus depingatur*; quo prohibetur quidem quod colitur depingi in parietibus, neutiquam vero abſolute depingi. Epiphanii facto jam dictum eſt cum Joanne Damaſceno *num.* 56. Quod vero quidam ex noſtris, ſicut Sixtus Senenſis *Lib.* 5. *annot.* 247., in ea opinione verſentur, ſcilicet Synodum illam Illiberitanam Imagines omnino abrogaſſe ad reſecandam idololatriam, & Melchior Canus *de loc. Theolog. lib.* 5. *cap.* 4. Synodum illam redarguat, quod *nonniſi impiè, ac imprudenter Imagines damnaverit*; quo ad Canum attinet, reſpondetur, ſibi perſuaſiſſe, Synodum illam, utpote Provincialem, errare potuiſſe, & re vera erraſſe in decreto illo de Imaginibus ab Eccleſia eliminandis: quæ opinio ſi adoptetur, perperam Picenine Canonem illum oſtentas. Sixtum vero Senenſem attentius explorare debebas, ſic enim comperiſſes primum reſponſum Panigarolæ probaſſe, ſiquidem poſt verba a te relata immediate ſubjicit: *Nam etsi Patres illius Synodi ſcirent ſacrarum Imaginum cultum Eccleſiæ jam adultæ utilitatem maximam conferre, tamen cum animadvertiſſent, gentes illas nuper ab Idolorum ſuperſtitione ad Chriſtum venientes adhuc ad priſtinam idololatriam inclinari, & divinos honores Imaginibus in Eccleſiis Chriſtianorum depictis impendere, ac ſi illis aliquid ineſſet divinitatis; judicarunt præſenti morbo non poſſe aliter mederi, quam Imaginum interdictione. Proinde cum nunc Chriſtianus populus non ſit, ut olim Hiſpani illi, ad idololatriam pronus, nulla apparet cauſa, cur Imagines de Eccleſia auferantur: nam etſi unus, aut alter ſimplicitate quadam deceptus in colendis Imaginibus eſſet, non ſunt illorum gratia Imagines omnino abolendæ, ſed eorum ſimplicitas inſtruenda. Leges enim non paucorum numero, ſed majori gentium multitudini proſpiciunt.* Sentit ergo Sixtus Senenſis, ex aliquo inconvenienti Synodum illam hujuſmodi legem tuliſſe, quam & propria auctoritate ferre poterat, ſiquidem, ut Dupinius ait *tom.* 2. *Bibliotheca: Ad diſciplinam iſta pertinent, quæ in uſu, & non eſſe poſſunt, abſque ullo fidei Catholicæ periculo.* Ad hoc etiam ſuadeor, cum videam in præcedenti Canone mulieribus prohiberi in Cœmeteriis vigilias habere, quod *ſub obtentu orationis ſcelera latenter committunt.* Quemadmodum igitur mulieribus prohibetur in Cœmeteriis vigilare, non quod de ſe malum eſſet, ſed quia re bona abutebantur in malum, ita vetitum fuit Imagines depingi, non quod illicitum de ſe eſſet, ſed ex perverſo earum uſu; nimirum, juxta Sixtum, vel quod gentes illæ nuper ab Idolorum ſuperſtitione ad Chriſtum ve-

venientes, adhuc ad priſtinam idololatriam inclinarentur, vel quod gentes ipſæ eas videntes, facile crederent Chriſtianos ad Idola converti, necnon Catechumeni ſcandalum paterentur; unde ſubditur: *Ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur*, ideſt ne credatur pictura eſſe quæ colitur. Alias in hac re prætereo animadverſiones, facile notas cuique legenti Concilia Hiſpanica Cardinalis Joſephi Aguirre.

62. Sed ais *pag.* 453.: *Sibi blanditur Frater hinc reparare quod illinc amittit. Quippe ſi Illiberitanum decretum Imagines ſuas deſtruit, alia ſunt decreta Jejunia ſua, & ſacros Ordines ſtatuentia*. Panigarola jam probavit, Illiberitanum Canonem ſacrarum Imaginum doctrinam non reprehendere, & de reliquo quod juſtum eſt ſancire, etenim Canone 23. Jejunia quolibet menſe implenda mandantur; tu vero nullum habere vis, ut Epicureo ventre gulæ indulgeas. Nec juvat dicere, Jejunia illa non fuiſſe illis Panigarolæ ſimilia: *Jejunia, ſeu abſtinentias per ſingulos menſes placuit celebrari;* quippe ſi Panigarolæ Jejunia tibi non placent, cur illa Illiberitanæ Synodi non recipis? Nimirum quia nec nova, nec vetera vis habere Jejunia. Petis: *Cur Panigarola jejunat Sabbato, ſi 26. Canon id abſolute vetat?* Si in Hiſpania jejunare Sabbato prohibebatur, Romæ tamen jejunabatur; & D. Ambroſius, ut fatetur D. Auguſtinus *Epiſt.* 118. nunc 54. *ad Januarium*, cum Romæ eſſet jejunabat: quis porro tibi dixit Panigarolam jejunaſſe Sabbato ex præcepto Eccleſię? Præterea Illiberitana Synodus *Can.* 19. 29. 33. quatuor Majores Ordines Sacros numerat, *Epiſcopatum, Preſbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum;* hi autem in pſeudo-Eccleſia tua ubi ſunt? Ais, *in veteri Eccleſia duos tantum fuiſſe, Preſbyteratum ſcilicet, & Diaconatum*. Verum ſi Illiberitana quatuor recenſet, cur tot non recipis? Forte quod Urbanus II. apud Gratianum id aſſerat *diſt.* 60. *cap. Nullus*, & Petrus Lombardus *in* 4. *diſt.* 24. *num.* 14. *lit. L.*? At Urbanus loquebatur *de ſolis ſacris Ordinibus*, ait Gloſſa, ſiquidem Subdiaconatus mentio fit Apoſtolorum temporibus *diſt.* 35. *cap. Epiſcopus*, quanquam ea ætate nondum inter ſacros Ordines haberetur: & in hoc ſenſu loquitur Petrus Lombardus. Age tamen, ut libet. Si Apoſtolorum ætate duo tantum, Illiberitanæ vero Synodi temporibus quatuor erant Ordines, quid tu haud quatuor, quam duo rejicis? Cur pſeudo-Eccleſia tua nec Apoſtolicam recipit, nec Illiberitanam regulam? Ad hæc. *Can.* 37. habetur: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, poſitis in miniſterio, abſtinere a conjugibus ſuis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Canon iſte placet ne pſeudoreformatis? Nonne te Picenine audivimus Cælibatum, & Eccleſiaſticorum continentiam exſecrantem? Canonem 36. Proteſtantes valde magnificant, quod ſibi favere, & Imagines tollere autument; aliorum vero obſervantiam abominantur. In his quæ ad eorum ingenium faciunt, ſummæ auctoritatis Concilia reputant, ſed in his quæ ſibi adverſari cognoſcunt, nulla auctoritas, nulla Conciliorum antiquitas valet.

§. XI.

Expenduntur Picenini commenta ad Synodum Francofordienſem.

63. NE a præceptore tuo Calvino lato diſtare ungue videaris, nedum *Nicænam II.*, ſed *Romanam*, & *Tridentinam Synodum* Panigarolæ dimittis, eaſque non tantum Oecumenicas, ſed legitimas eſſe negas, atque uſurpatorem pronuntias *Monachum. ſi ſuam aſſerat eſſe legem, ſuum Evangelium, ſua eſſe vera Concilia, & Oecumenica.* Deinde ſuſcipis: *Videte hujus Monachi frontem! Suam affirmat Francofordienſem Synodum. In hac Synodo ſub mitiſſimo Caroli Magni ductu Imaginum cultus excluſus fuit,* qui

qui in Nicano Conciliabulo ſancitus fuerat. Paſę Theologi aperte id aſſerunt. Sic pronuntias *pag.* 454. gentilitia modeſtia tua; & propria auctoritate Judex, legis & Evangelii reum dicis quemlibet tuis partibus non adhærentem, & venerabiliora Concilia, quod ad placitum tuum non definierint, ab antiqua poſſeſſione veritatis, & univerſalitatis exturbas. Ea nimirum a te modo prolata fuiſse videntur, quæ olim apud Vincentium Lirinenſem Commonitorio *num.* 21. quidam ſuæ ætatis hæretici dicebant: *Audias etenim quoſdam ipſorum dicere: Venite, o inſipientes, & miſeri, qui vulgo Catholici vocitamini, & diſcite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis ante ſeculis latuit, nuper vero revelata, & oſtenſa eſt!* Verum, quare Panigarola *effrons* eſt *uſurpator?* Quod *ſuum* eſſe dicat *Francofordienſe* Concilium. Expendamus an quæ ipſi ſuppeiat ratio.

64. Ad Francofordienſem Synodum anno 794. a Carolo Magno coactam, 300. Epiſcopi convenerunt ex Gallia, Germania, Anglia, & Italia, cauſa erroris Elipandi Toletani, & Felicis Urgelliani, qui, ut refert Jonas Aurelianenſis *Lib.* 1. *adverſ. Claud. Taurin.*, pertinaciter aſſerebant, Chriſtum, ut hominem, non verum Dei Filium eſſe, ſed adoptivum: quo Neſtorianæ hæreſi viam ſternebant. Quanquam autem iſtorum errorem damnaverit Synodus a *Paulino Aquilejenſi* coacta, tum etiam Synodus alia Ratiſponenſis, eorum tamen contumacia Francofordienſi Synodo occaſionem potiſſime præſtitit; qua in Synodo, damnatis prius duobus iſtis hæreticis, de Imaginibus deinde tractari cœpit, & ſub cenſura poſitis his quæ Græci jam ſanciverant, ſtatutus fuit Canon 2. his conceptis verbis: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt, in qua ſcriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati ſervitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui ſupra Sanctiſſimi Patres noſtri omnimodis adorationem, & ſervitutem renuentes, contempſerunt, atque conſentientes condemnaverunt.* Cum reliquis Sectariis tu præſertim Picenine tuba canis de hoc Canone, putans Nicænam II. per iſtum Canonem collapſam eſſe, & noſtræ communionis turbam auctorum profers quaſi tuæ cauſæ Patronos, quorum tamen auctoritatem, dignitatemque infra expendemus. Plauſus tamen, quibus hanc Synodum adverſarii tam magnifice extollunt, ſatis indicant, non attentis ceteris ejuſdem Synodi regulis hanc unam conſideraſſe, quam ipſorum deſperatiſſimę cauſæ multum prodeſſe ſibi adulantur. Ceterum, præterquamquod Adriani Papæ Legatis præſentibus celebrata eſt, quæ præſentia apud Novatores ſi non illegitima, ſuſpecta ſaltim facit Concilia etiam Oecumenica, quædam inſuper ſancita ſunt, quæ pſeudoreformationi exoſa valde ſunt, nimirum Canone 8. contentiones ortæ inter quoſdam Galliæ Epiſcopos ad Apoſtolicę ſedis judicium dimittuntur, ut: *Quidquid per Pontificem Romana Eccleſia definitum fuerit, hoc teneatur.* A decimo, uſque ad 19. Canonem, præſcribuntur regulæ pro Monachorum diſciplina. Canone 25. ſtatuitur, *Clericos, & Monachos in ſuo propoſito permanere*, quo decreto probantur vota. Canon 46. præſcribit Canonum obſervantiam in velandis Virginibus. Canon 50. mandat poſt Miſſę celebrationem pacem invicem reddere; quodque animadverſione dignum eſt, Canon 42. ſtatuit illos tantum velut Sanctos eſſe colendos, *qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt:* quæ omnia dictatis, falſiſque Proteſtantium dogmatibus opponuntur. Hæc porro Synodus tot Epiſcoporum conventu illuſtris, & tibi adeo commendabilis, ęqualis ponderis, & auctoritatis merito habenda eſſet in omnibus ſuis regulis, non in ſola ſecunda, neglectis reliquis.

65. Ad manus tamen aſcendat ſecundus Canon; etenim nullatenus offendit Imaginum cultum, nec veram definitionem Nicænæ II., ſiquidem in

hec

hoc Canone dicitur: *Allata eſt in medium quæſtio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Conſtantinopoli fecerunt*. Hic igitur de Nicæna II. ſermo non eſt, quæ Nicææ Bithyniæ, non Conſtantinopoli habita fuit; quamobrem non eſt aſpernanda eorum opinio, qui in hoc negotio tria aſſerunt coacta fuiſſe Concilia. unum Iconomachorum Byzantii ad tollendas Imagines, aliud pariter Byzantii a quibuſdam Epiſcopis nimium ſuperſtitioſis, qui ad extremam partem declinantes, decreverunt Imaginibus eundem ſervitutis cultum eſſe exhibendum, qui Trinitati debetur, cujus rei indicium præbet D. Joannes Damaſcenus in lib. *de hæreſ.* circa finem. Tertium Nicęę legitima auctoritate habitum, propterea Nicænum II. nuncupatum, mediam tenet viam, Imaginibus tribuens proprium cultum, minorem eo qui debetur SS. Trinitati: hinc Francofordienſe Can. 2. damnaſſet, non quę in Nicæna II., ſed quę in Conſtantinopolitana Synodo ſancita fuerant. Verum, dato etiam Francofordienſe in ea animadvertiſſe, quę in Nicena II. lata fuerant, eaque Conſtantinopoli ſancita eſſe reputaſſe, exinde tamen minime ſequeretur quidpiam Nicæę ſtatutum damnari; ſiquidem quid quæſo Francofordienſe damnat? Nempe dicens: *Ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut deificæ Trinitati, ſervitium, aut adorationem non impenderent*. Id autem a Nicęna II. nunquam vel ſancitum, vel dictum, quinimmo in decretis ſuis tam caute ſe continuit, quod ubicunque Imaginibus cultum tribuendum ſtatuit, ſemper declaravit nonniſi adorationem honorariam *ſalutationis* ipſis concedere, nunquam vero *Latriæ* ſoli Deo debitam. Hoc evidens eſt in profeſſione fidei Baſilii Ancyrani, in illa Theodori Myrenſis, & Theodori Amorii *Act.* 1., in quibus non eſt ſermo niſi cultus honoris, & ſalutationis, & *anathema dicitur* aſſerentibus, *quod ſicut ad Deos Chriſtiani ad Imagines accedant*. Inſuper *Act.* 6. expreſse declaratur: *Sive igitur placebit ſalutationem, ſive adorationem, idem profecto erit: modo ſciamus excludi Latriam ... non autem in ſeditione Satanica, aut timiditate ſuſpicionis occaſionem maligna habeat, quod ſcilicet Latriam ſit illi exhibiturus. Abſit iſta ſuſpicio*. Tandem *Act.* 7. definite decernitur Imaginum cultus, ſcilicet: *Salutationem, & honorariam adorationem exhibeant, non ſecundum fidem noſtram, veram Latriam, quæ ſolum divinæ naturæ competit*. Teſtem hujus veritatis te Picenine appello, qui Apolog. *pag.* 443. Panigarolam traducebas velut ſanctionum Nicænæ II. tranſgreſſorem, quod Cruci adorationem exhibeat Latriæ, contra, ut ais, illius Concilii mentem; quocirca, ſi tui memor eſſes, nunquam vir mendax aſſereres, Nicænam II. Imaginibus cultum decreviſſe, qui SS. Trinitati debetur.

66. Certum porro habemus, ego, & tu, Nicænam II. non decreviſſe eam Imaginibus adorationem exhibendam, quæ ſoli Trinitati habetur, immo oppoſitum ſtatuiſſe. Francofordienſe autem Concilium, per te, Nicænam damnat, quod eandem Imaginibus adorationem ſtatuerit, quæ Trinitati. Inter hujuſmodi anguſtias, quid habes refugii? Eodem errore quo Carolinorum librorum auctor deceptus fuit, ipſum etiam Concilium hallucinatum, Nicænæ imponens, quæ Nicęna nunquam pronuntiaverat. Error tamen iſte, utpote ſolius facti, non eam quæ hujuſmodi Concilio debetur reverentiam offendit. Suſpicabantur Patres illi zelo ardentes, ſive ex depoſitionibus, & calumniis Iconomachorum, ut ipſa Nicæna *Act.* 6. dolebat, ſive ex perverſa interpretatione Actorum illius Concilii, eandem Trinitatis adorationem Imaginibus ab ipſo decretam fuiſſe: hac autem hallucinatione capti, non *honorariam* Imaginum *adorationem* proſcripſerunt, ſed male ſuaſum exceſſum. Bene igitur habet Panigarola, ſuam affirmans tum *Nicænum*, tum *Francofordienſe*, quippe quemadmodum, juxta, falſam tamen, opinionem tuam *pag.* 434., *Hieronymus*, *& Vigilantius in eandem ſententiam*

con-

convenicbant, *exceſſum bonoris erga Sanctos debortantes*, *licet Hieronymus*, *bilo abreptuc*, *non adverteret*, ita Nicęnum II., & Francofordienſe eandem mentem habuerunt, exceſſum adorationis, & cultus damnantes erga Imagines, quanquam Francofordienſe errore captum non adverteret. Si impoſſibile Picenine dicas, tercentum Patres, & Papæ Legatos hujuſmodi hallucinatione captos fuiſſe, reponam, hujuſmodi ſcrupulum in ore tuo ridiculoſum eſſe, & inanem, ſiquidem cum Calvino *Lib.* 4. *Inſt. cap.* 8. 10. *& cap.* 9. 9. pronuntiare non dubitas, Concilia, etiam Oecumenica, quoquo Patrum numero ſint, errare poſſe errore juris, definiendo contra Dei verbum, & tanquam Dei verbum ſumendo quæ Dei verba non ſunt; quid ergo hic prætendis, Francofordienſem Synodum Nationalem, non Oecumenicam, errore facti non erraſſe, in eo quod crederet Nicænam ea dixiſſe, quę minime dixerat? Neque hujuſmodi Concilii error imprudens omnino fuit, utpote quod a Carolinis libris normam accepit, & latinam Nicænæ verſionem attendit, adeo ineptam, & incompoſitam, ut Anaſtaſius Bibliothecarius coactus fuerit alteram edere prorſus novam. Græci in ſua Synodo adorationis nomine nihil ultra meditati ſunt, quam *licite Apoſtolis bonoris aliquod externum ſignum exbiberi apud ipſorum Imagines*, *nam omnia talia ſigno* ωροσκυνσιν: *proſcinisſin adorationem dicere mos eſt Gracic*. *Quod Latinos non intellexiſſe*, *alicubi etiam ſenſum ſibi imaginatos longe alium*, *quam is*, *qui Graccrum fuerat*, *ita apertum fecimus ex mendoſa verſione eorum*, *qua dixerat in illa Synodo Conſtantinus Conſtantia Cypri Epiſcopus*, *ut ne in ſpeciem quidem contradici quicquam poſſit*. *Id quod bac de re Francofurti*, *aut Pariſiis conſtituere Germani*, *& Galli*, *non improbo*, *ſed doleo male ab ipſis acceptam Graccrum ſententiam*; *qualia & nunc quotidie fieri*, *& inde ali diſſidia cum dolore conſpicimus*, nimirum ut Proteſtantes faciunt, & præſertim Piceninus, Catholicorum ſententias male acceptas improbe damnantes. Quę hactenus dixi, Proteſtantis calculo habeo comprobata; Grotius nempe in voto ſuo *pro pace Eccleſiaſtica*, & in *diſcuſſione Rivetiani Apologetici* habet: *In iſta autem mala verſione fundari totam iſtam criminationem*, *qua Francofurtenſic Synoduc Nicanam ſecundam inſectatur*, *apparet &c.*

67. Quidam opinati ſunt, illorum temporum Gallorum ſententiam fuiſſe, nulla ratione teneri ſacras Imagines, certis ſaltem ſignis religionis proteſtativis, venerari, ſed ſatis eſſe eaſdem in Eccleſiis reverenter obſequenterque cuſtodire. Quod ex Anaſtaſio Bibliothecario deducitur in pręfatione ad Synodum VII., ubi ait: *Qua enim ſuper venerabilium Imaginum adoratione praſens Synodus docet*, *bac & Apoſtolica Sedec veſtra*, *ſicut nonnulla conſcripta innuunt*, *antiquitus tenuit*, *& univerſalis Eccleſia ſemper venerata eſt*, *& hactenus veneratur*, *quibuſdam dumtaxat Gallorum exceptis*, *quibus utique nondum eſt barum utilitac revelata*. *Ajunt namque*, *quod non ſit quodlibet opuc manuum hominum adorandum*; *quaſi non ſit codex Evangeliorum opus manuum hominum*, *quem quotidie oſculantes adorant* ... *Similiter & forma Sancta Crucic*, *quam ſe adorare omnes ubique Chriſtiani fatentur*: *in quo conſiderare libet*, *quia ſi quamlibet Crucem auream*, *argenteam*, *vel ligneam adoramus*, *qua utique non eadem eſt ipſa Crux*, *in qua ſaluc noſtra patrata eſt*, *ſed figura*, *& Imago ejus*, *quare non adoramuc figuram*, *& Imaginem ejus*, *quę eandem ſalutem operatuc eſt in medio terra*? *Venerabilior namque eſt qui ſalutem operatus eſt*, *quam ea materia*, *in qua ſalutem operatus eſt*. *Ac per boc magic eſt adoratione digna Imago Chriſti ſalutem operantis*, *quam Imago Crucic ſalutem tantummodo bajulantic*. Huic opinioni adhæret Hincmarus *Lib.* 55. *cap.* 20., qui tamen errat cum Adone in *Chronico ann.* 794., dum ait pręfatam VII. Synodum

nulla

nulla auctoritate Papę coactam fuiſse. Hoc plane indubitatum, Francofordienſes Patres non proſcripſiſſe Græcæ Eccleſiæ ſententiam tanquam hæreticam, nec ab ipſa diſceſſiſſe, ſicut nec a Romana. Catholicam eſſe reputarunt Nicęnæ II. definitionem circa cultum Imaginum; & ſi quidpiam erratum judicarunt, converſationis potius, quam dogmatis errorem eſſe intellexerunt, periculo plenam metuentes hujuſmodi diſciplinam, quæ facile poſſet ſimplices, idiotaſque ad ſuperſtitionem ſeducere, & durum ipſis viſum eſt anathemate ferire renuentes rem ſuſcipere, quam omnino indifferentem reputabant: Concilium quippe Nicænum II. non Oecumenicum, ſed Nationale habebant, cui poſſe refragari abſque criminis nota ſibi ſuadebant. Nihilominus tamen proprio judicio pertinaciter non adhæſerunt, ſed caute ſe geſſerunt ſemper, *reſervato per omnia juris privilegio Summi Pontificis, Domini, & Patris noſtri Adriani primæ Sedis Beatiſſimi Papæ*, ut legitur in *Sacroſyllabo* circa finem: cujus rei argumentum evidens eſt, quod Gallicana Eccleſia poſterioribus ſeculis, ſui conſcia, nedum a Nicęni II. cenſura, & ab Imaginum cultu abſtinuit, ſed Oecumenicum ipſum habuit, & decreta ejus reverenter ſuſcepit. Ergo quomodocunque a Proteſtantibus ſumatur Francofordienſis Synodus, non ipſis favet.

68. Non ita tamen tibi ſuades *pag.* 454., immo Panigarolam provocas ad ſolvendum dilemma a Carolinis libris excuſſum *Lib.* 3. *cap.* 14.: *Tu qui Imaginem adoras, aut religionis, aut charitatis, & ſalutationis cultu ipſam adoras, ſicut homines, quos civiliter ſalutamus. Sed nefandum eſt præter unum Deum, alium adorare cultu religionis, ſtultum autem ſalutatione civili Imagines honorare, ſenſu, & ratione carentes.* Imagines ergo Chriſti, & Crucis, nec ipſa civili ſalutatione erunt honorandæ. Libris ipſis Carolinis id contradicit, quorum auctor profecto non negat quidpiam honoris Cruci deberi. Tuum dilemma falſo innititur ſuppoſito, nimirum adorantes Imaginem, eandem propter ſemetipſam adorare, quaſi in ipſa, ut Gentes aſſerebant, quidquam inſideret divinitatis; quocirca ait hujuſmodi cultum *nefandum* eſſe, quia uni Deo debitum: Imaginibus vero ſi tribueretur, idem eſſet ac cultus Idolorum; qua etiam ratione *civilem* ipſam *ſalutationem* illis denegas, quippe quemadmodum nullam in ſemetipſis habentes divinitatem, religionis cultum non merentur, ita ſenſu omni carentes, nullo civili cultu capaces reputantur. Verum nec ibi conſiderantur Imagines ſecundum ea, quæ repręſentant: quod & patet ex differentia, quæ ibidem ſtatuitur inter Imagines, Crucem, & ceteras Reliquias *Lib.* 3. *cap.* 24., ubi dicitur iſtas honorandas eſſe, quia Sanctorum Reliquiæ, et oſſa, vitam quondam habuerunt, et iterum habitura ſunt in reſurrectione; Imagines vero *nec vixiſſe unquam creduntur, nec unquam reſurrectura.* Patet ergo ſermonem ibi eſſe de Imaginibus quo ad earum propriam ſubſtantiam, et rationem, non quo ad rem ab ipſis repræſentatam, ad quam referuntur, ſiquidem repręſentatum per ipſas ſemel vixit, et reſurrecturum erit aliquando. Tu qui Carolinos libros tanti facis, dum adverſus Imagines ſentire videntur, cur non ipſis attendis, cum docent Papam a Deo Primatum aſſequi, et ſupremum Judicem eſſe in cauſis fidei? Item cum tradunt Sanctos eſſe invocandos, Reliquias honorandas, utiles eſſe Imagines, et in Eccleſiis retinendas? Dum contra nos pugnare videntur, omnem merentur fidem, nullam vero ſi pro nobis pronuntient. Finem huic quæſtioni faciat Adrianus I. *Epiſt. Apolog. pro Imaginibus ad Carol. Magn. cap.* 5.: *Porro & prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis quondam Dominus Stephanus Papa Quartus ſimiliter cum Epiſcopis partium Franciæ, atque Italiæ, præſidens in Baſilica Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ appellatur Conſtantiniana, præceſſoris ſui venerabile Concilium confirmans, at-*

que

quæ amplectens, magis magiſque & ipſe una cum omnibus Epiſcopis Sanctorum Patrum decretis adhærens, adorare, ac venerari ſacras Imagines ſtatuerunt. Ecce in Synodo ante Nicænam II. Imaginum cultum, & honorem definitum, de qua Synodo mentionem facit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani IV., ad quam duodecim Franciæ Epiſcopi convenerunt. Poſſibile ne autem, in Francofordienſi Synodo, & in Carolinis libris cultum illum Imaginibus omnino detrahi, qui antea ipſorum Francorum conſenſione Romæ fuerat conſtitutus? Certo itaque certius eſt, Gallos non quemlibet cultum negaſſe Imaginibus, ſed tantum ſuperſtitioſum, & immoderatum, quem, quanquam falſo, a Nicæna II. propoſitum ſupponebant.

69. Concilia *Francofurti, & Pariſiorum*, ſi te audiamus in Triumph. *pag.* 397. *prohibuerunt oſcula, & thura Imaginibus dare, accendere lumina, genua ipſis flectere: immo Pariſienſis Synodus Papam introducit dicentem, Imagines nunquam feciſſe, nullius detrimenti futurum unquam fuiſſe vel fidei, vel ſpei, vel charitati.* Verum ex primo tantum evincitur, Patribus diſplicuiſſe modum, quo a Græcis conſtitutus fuerat Imaginum cultus, quaſi timentes id ſuperſtitionis offendiculum futurum eſſe, non autem quod cultus ſubſtantia diſpliceret. Chriſtiani tunc temporum invicem diſcindebantur, alii Imagines lacerantes, alii adorantes. Galli primos damnabant velut ſacrilegos, neque vero ſecundos commendabant, quaſi ſuperſtitioſos; quare medium tenentes, quæ pacis erant cogitaſſe exiſtimarunt. Id conſtat in Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Ludovicum Pium, & ad Lotharium Imperatores, ex qua evincitur in hunc ſcopum ipſorum conventum colliſmaſſe. Profecto ſi ad ea attendamus, quæ Michael, & Theophilus Græci Imperatores ad Ludovicum Pium ſcripſerunt, jam patet, ab extrema impietate profanandi, caleandique ſacras Imagines, in aliam extremam declinaſſe eas adorandi iniqua ſuperſtitione. Propter hujuſmodi exceſſus, veros, aut ſuppoſititios, quos Imperatores ipſi Græci confitebantur, rationabilem cauſam habuerunt Pariſienſes Patres caute procedendi circa Imaginum cultum, ne hujuſmodi abuſus in Galliam etiam irreperent. Francofordienſes, ac Pariſienſes Epiſcopi, pronuntiata ſententia circa Imaginum cultum, Romani Pontificis judicio ſe commiſerunt, ut conſtat ex ea quam ex Patrum conſilio ad Eugenium II. Ludovicus, & Lotharius ſcripſerunt Epiſtola, Tom. 1. Capitularium pag. 635. deſcripta.

§. XII.

Veterum Patrum textus a Calvino depravati, & de cultu Sanctæ Crucis.

70. Panigarolam Picenine damnas duplicis mendacii reum apud Calvinum tuum, quorum primum eſt, quod cum a Calvino quatuor tantum Patres proferantur adverſus Imagines, ceteros inferat ſibi favere; alterum vero, quod de Lactantii, & Euſebii relatis a Calvino textibus, loca indicare prætermiſerit. Itaque ais: *Quatuor Patres Calvinus profert adverſus Imagines; ergo reliquos propitios eſſe concedit? O argumentum firmum! Nempe & ego poſſem dicere: Frater ſuum eſſe aſſerit Concilium Nicænum II., Romanum, Tridentinum, Francofordienſe; ergo putat cetera ſibi eſſe contraria?* Si ex vi formæ, ut ajunt Logici, non valet: *Calvinus quatuor Patres profert adverſus Imagines, ergo admittit reliquos eſſe propitios*, in ſubjecta tamen materia optime valet, quippe ſi Patres alii præſto fuiſſent, Calvinus, ceteroquin non improvidus in promovendis negotiis ſuis, eos retuliſſet. Probas deinde, *Calvinum ad marginem Patres citare, indicatis libris, & capitulis:* quod non inficior; ſed cum ſubdas *pag.* 454.: *Si Frater eos elfeciſſet, quædam inveniſſet ſibi ingrata*, videamus quæſo quid Lactantius proferat *Lib.* 2. *Inſtit. cap.* 15. De his loquens, quos gentes ut Deos colebant, ex i-

ſtorum origine potiſſime probat Deos eſſe non poſſe, qui homines jam erant, qui mortis fato ceſſerant, qui morum ſceleſtiſſimi fuerant: *Quis enim tam demens, qui conſenſu, & placito innumerabilium ſtultorum aperiri Cælum mortuis arbitretur? Aut aliquem, quod ipſe non habeat, dare alteri poſſe?* Hoccine nobis ingratum erit? Digna Picenini argumentatio! *Quotquot, quorum ſimulacra conſpiciuntur, mortales erant*, ergo immortali Deo ſimulacra poni nequeunt, nec Imagines? Si ita, neque Deo immenſo & illimitato Templa erigi poterunt. Templa Deo excitantur, non tamen ad coercendam ibidem majeſtatem ejus, ut Calvinus ait *Lib. 3. Inſt. cap* 20. §. 30., neque Dei Patris delineantur Imagines, quaſi naturam ejus repræſentare velimus, quam incorpoream optime ſcimus, ſed ut captui noſtro ipſius majeſtas adumbretur ſub ea ſpecie, qua Prophetis ſe ſe manifeſtavit. Pari paſſu ad ea reſpondeo quę dicit Euſebius *Lib. 3. Præparat. Evangel. cap. 3. &* 4., ſtultiſſimum eſſe pingere, & ſculpere Deum, ſcilicet illa Dei idea, qua gentes movebantur ſua numina fingere. Euſebius ſimiliter Templa erigere Deorum gentibus improbat, ac ſimulacra efformare; ergo ſi iſta facienda non ſunt, neque illa erunt conſtruenda? Calvinus *Lib. 4. Inſt. cap.* 1. §. 5. ſcribit, Xerſem inconſiderate egiſſe, cum ex Magorum conſilio Templa Græciæ everrit, abſurdo ſibi viſo Deos, quibus omnia libera eſſe debent, *parietibus, & tabulis includi*. Inconſiderate ergo egit Calvinus, ab Eccleſiis ſuis removendo quamlibet Dei Patris Imaginem, putans naturam ejus prætendi hac ratione circumſcribere; quemadmodum quippe, ut ait, Templis utimur, non quod Deus velit *nos affigere terrenis mediis*, ſed potius *vehiculis quibuſdam nos efferre ad cæleſtem ſuam gloriam, quæ ſua immenſitate omnia replet*, ita ipſius utimur Imaginibus, non quod iſtis affingamus divinitatem, ſed potius ut mediis iſtis Imaginibus, quaſi vehiculis, ad ejus majeſtatem contemplandam, colendamque aſcendamus.

71. Reliquum eſt videre qui ſint D. Auguſtini textus a Calvino citati, a Panigarola vero prætermiſſi, territo eos *olfacere*, ut eleganti utar phraſi tua. In *Lib. 4. de Civit. Dei cap. 9.* 3. ille refert probatque Varronis dictum, *qui primi Deorum ſimulacra induxerunt, eos & metum demiſiſſe, & errorem addidiſſe*, quare Calvinus *Lib. 1. Inſt. cap.* 11. §. 6. infert, corporeas Imagines Deo eſſe indignas, quia erga Deum timorem minuunt, & augent errorem. At quis iniqui hæreſiarchæ errorem non videt? Auguſtinus damnat Deorum ſimulacra fingere, quæ depicti Dei naturam repræſentare credantur, aut a Deo informari quaſi ſimulacri anima: quod profecto erat metum demittere, hominibus ſuadendo Deos eſſe ejuſdem naturæ hominum, immo etiam brutorum; ſicut & errorem addere, ſiquidem præter id quod Deus ſit, qui re vera non eſt, alius addebatur error, credendo divinitatem ſcilicet in trunco, vel ſaxo inhabitare. Quod autem gentium hęc eſſet opinio, teſtatur Auguſtinus *Lib. 8. de Civit. Dei cap.* 23., ubi de Triſmegiſto ſic loquitur: *At illa viſibilia, & contrectabilia ſimulacra, velut corpora Deorum eſse aſserit: ineſse autem his quoſdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores, & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo ſpiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata, & ſubdita ſimulacra. Hoc eſse dicit Deos facere, eamque magnam, & mirabilem Deos faciendi accepiſse homines poteſtatem.* Quis porro Deum Patrem depingendo hanc inſaniam mente revolvit? Carolinis libris ſatis dictum; idcirco ad alia procedamus.

72. Tanto odio *Crucem* inſectaris, quod audito, ſignum *Crucis* quondam in Cælo Conſtantino apparuiſſe, id negas Apolog. *pag.* 455., contendens non Crucis ſignum illud fuiſſe, ſed *nominis Jeſu characterem, idque inſpici in variis*

riis numiſmatibus antiquis Conſtantini, nec non aliorum Imperatorum Chriſtianorum. Si præ manibus habuiſſes Joannis Alberti Fabritii exercitationem *Tom.* 6. Græcæ ſuæ Bibliothecæ inſertam, in qua probandum aſſumit, Crucem Conſtantino in ſublimi apparentem phænomen fuiſſe a Solis radiis in nubibus refractis naturaliter efformatum, quot clamoribus ſtreperes? Aut ſi inſanos Atheos illos exaudiſſes, qui paucis ab hinc annis Romæ deliria ſua ſolemniter ejurarunt, quibus inſigniora Scripturæ miracula naturę viribus patrata eſſe mentiebantur, quanta ſolicitudine iſtorum partes ſuſcepiſſes, naturæ opificio tribuens illius Crucis viſam ſpeciem? Verum id affirmare vanum eſt, contra omnium veterum hiſtoricorum fidem, aſſerentium *Crucem* apparuiſſe. Euſebius *Lib.* 1. *de vita Conſtan. cap.* 22. *edit. Valeſ. cap.* 28. ſcribit: *Horis diei meridianis, Sole in occaſum vergente, Crucis trophæum in Cælo ex luce conflatum, Soli ſuperpoſitum, ipſis oculis ſe vidiſse affirmavit, cum hujuſmodi inſcriptione: Hoc vince*. Quid plus, quam Conſtantini teſtimonium, qui oculis vidit? Narrat Conſtantinus *cap.* 23., ſive 39., quod „ ſibi dubitanti, in „ ſomnis Chriſtus apparuit, eodem il„ lo ſigno antea in Cælo viſo, ac „ præcepit, quod vexillo facto ad in„ ſtar illius, quod viderat, eo utere„ tur velut ſalutis ſingularis præſidio „ in præliis. Eluceſcente vix die, „ illico ſurgens, arcanum pateſecit, & „ accerſitis artificibus, in medio eo„ rum ſedens, ſigni formam deſcripſit, „ ac juſſit ſimile fieri, ideſt haſtam „ aliquantum longam, auro contectam, „ gemmiſque, & in ipſa monogram„ mos Salvatoris, quod & in galea „ deferre conſuevit „ *Erat autem hujuſmodi haſta longior, auro contecta, tranſverſam habens antennam inſtar Crucis*.

73. Gratioſe tamen id confiteri non dubitas, inquiens: *Quid Panigarola obtinet, ſi ipſi dem, Monarchæ illi inclyto e Cælo ſignum Crucis viſum fuiſſe perſpicuum?* Obtinet extorſiſſe a te veritatem, quam fugiebas admittere: obtinet, quod inſerta a Conſtantino Cruce in omnibus ſui exercitus ſignis, ut narrat Euſebius, & inſuper cum ſimulacro ſuo Romę erecto in dextera Crucem apponi mandaverit, ea Epigraphe, quæ apud Euſebium legitur *Lib.* 1. *de vita Conſtant. cap.* 40., ex facto hujus Imperatoris confirmatur uſus ille, quem in ſua Aſtenſi Diœceſi Panigarola ſervabat, *habendi* ſcilicet *Templa, & Coæmeteria Crucibus plena*. Id obtinet Panigarola; hoccine vero parum? Inſtas, *Panigarolam adorare Crucem, & ſuos Italiæ populos ipſam adorare: Ecce Crux, adoremus. Quomodo probat Conſtantinum Crucem adoraſſe? In ſacris locis collocaſse, & a Chriſtianis illius ſeculi fuiſse adoratam? Contrarium jam ego probavi*. Vis ſcire, an Conſtantinus Crucem adoraverit? Lege Sozomenum *Lib.* 1. *cap.* 4., ubi poſt narratum, Conſtantinum juſſiſſe, vexillum, quod a Romanis *Labarum* dicebatur, in formam Crucis commutari, ſubdit: *Illud vexillum bellicum honoratius erat, quam reliqua, eo quod Imperatorem ſemper præcedere, & adorari a militibus conſueviſſet*. Immo addit, Labarum *in Crucem* convertiſſe *eo conſilio, ut continuo ejus aſpectu, cultuque, Romani a patriis ritibus paulatim abducerentur, eumque ſolum Deum exiſtimarent, quem Imperator coleret, & quo duce, atque adjutore contra hoſtes tueretur*. Conſtantinus itaque exiſtimabat adorationem, & cultum Crucis, ad cultum veri Dei conducere. Explicatius tamen Crucem a Conſtantino adoratam traditur *cap.* 8. *Lib.* 1. Sozomeni, ubi de illo ſic loquitur: *Crucem enim divinam maximo cultu veneratus eſt, tum ob victorias, quas ejus ope retulerat in præliis adverſus hoſtes, tum ob ſignum, quod de illa oſtenſum ipſi divinitus fuerat. Denique ſupplicium Crucis, quod apud Romanos antea erat uſitatum, lege lata ſuſtulit*. Nemo autem ex hoc Conſtantinum idololatram eſſe dixit. Quid ergo Picenine timeres idololatram dici, ſi Crucem adorares? Hoc eſſet non *Crucifixi efficaciam Cru-*

ci tribuere, ut ſomniaris, ſed Crucis virtutem Crucifixo: quod Conſtantinus faciebat, in hoc ſigno vincens. Enimvero ſi Deus in illa viſione ait *in hoc vinces*, ſeu *hoc vinces*, quæ culpa erit, ſi in ſalutifero ſigno illo repoſita ſpe, poſt Conſtantinum, Cæli oracula proſequamur? Ezechias æneum ſerpentem confregit, ratus Deum verum a populo derelinqui, ut illum adoraret; ſed Conſtantinus Crucem extulit, ſuaſus ex ejus cultu Romanos a patriis ritibus paulatim abduci, & ad cultum veri Dei ſenſim diſponi.

74. Chriſtiani ætate D. Auguſtini Crucem in fronte gerebant: at reſpondes *pag.* 455., *eam geſtaſſe ut oſtenderent Chriſtianos eſſe, quod & ego facerem, ſi inter Paganos verſarer, quibus Crux ſcandalum eſt, aut ſtultitia. Sed in his non verſamur circumſtantiis*. D. tamen Auguſtinus ait, Chriſtianos nedum hoc ſigno muniri, ſed Deo etiam conſecrari in Baptiſmo, *Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 11.: *Signabar jam ſigno Crucis, & condiebar ejus ſale*. Proinde modos deſignans, quibus Chriſtianus Deum poſſider, *Tract.* 50. *in Joann.* hæc habet: *Habes per ſignum Crucis, per Baptiſmatis Sacramentum, per Altaris cibum, & potum*. Id parum tamen intereſt, ſi Petrus ipſe Molinæus *Lib.* 5. *cap.* 33. *Anat. Miſſæ* id fateatur: *Veteri admodum conſuetudine receptum fuit hoc ſignum Crucis fronti defigendum*; & de facto temporibus uſque Cyrilli Jeroſolymitani id invaluerat, *Catecheſ.* 13.: *Non pudeat vos Crucifixum confiteri: & in fronte confidenter ſignaculum Crucis digitis imprimatur: & in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egreſſu, & in ingreſſu, ante ſomnum recumbendo, & ſurgendo, eundo, & quieſcendo, magna hæc eſt cuſtodia: quæ propter pauperes gratis data, ſine labore propter infirmos, cum a Deo ſit hæc gratia, & timor Dæmonum: triumphavit enim de illo hoc ſigno: oſtenta illi audacter: quando enim viderint Crucem, recordantur Crucifixi, metuunt enim eum, qui contrivit caput Draconis*. Hæc Cyrillus. Si Dæmones conſpectu Crucis horreſcunt, & contremiſcunt, reminiſcentes Salvatoris humani generis, videtur quod Crucem deberes adorare, recordatus Jeſum in ea crucifixum ut ſalvum te faceret. Id etiam Tertulliani, & Juſtini martyris temporibus conſueverat, ut ex eorum ſcriptis apparet: quamobrem credendum eſt ab Apoſtolis ritum hunc deſcendiſſe. Signo Crucis quod Dæmones ejicerentur, Origines teſtatur *Hom.* 6. *in Exod.*; quod ſolverentur incantationes, tradit Athanaſius *de Incarnatione Verbi*. In ſigno Crucis omnem ineſſe virtutem, & poteſtatem, oſtendit D. Cyprianus *Lib.* 2. *Teſtimon.* adverſus Judæos, & Lactantius *Lib.* 4. *Inſtit. cap.* 27. De hac re conſuli poteſt Proteſtantium heros, Iſaacus Caſaubonus *Exercit.* 13.

§. XIII.

Expenditur D. Epiphanii factum, & Iconoclaſtarum hæreſis.

75. FActum celebre D. Epiphanii ſic *pag.* 455. referendo deſcribis: *In templo Anablata viſo velamento, in quo Imago Chriſti, vel hominis picta erat, velum laceravit, nolens contra Scripturæ auctoritatem in ſacro loco Imaginem appenſam pendere*. Inde ſubdis: *Factum hoc Epiphanii, Panigarola vanam differentiam prodit circa Imagines in parietibus, & in tabulis pictas, quæ ponitur ad eludendum decretum Elibertinum. Epiphanius Imaginem in tela pictam laceravit: factum hoc noſtri Monachi offendit oculos. Hinc fit, quod cum ſuo Nicæno Conciliabulo factum neget*. Prorſus me latet factum hoc a Synodo Nicæna II. fuiſſe negatum, in qua nec ulla de hac re mentio habita eſt. Iconomachi quidem alium Epiphanii textum retulerunt, de quo diximus §. 9. *num.* 56. ſcilicet tanquam apocryphum rejectum fuiſſe: ſed de iſta velamenti laceratione ſi nulla prorſus fuit mentio quomodo Nicæni Patres eam negarunt? Ipſius meminit D. Joannes Damaſcenus *Orat.* 1. *de Imaginibus*, quam & ſuſpe-

ſuſpectam habet, ac D. Epiphanii Epiſtolæ interpolatam cenſet: *Reſponderim libellum illum ſuppoſititium, fictumque eſſe, qui eum ab alio elaboratus ſit, alterius nomine inſcriptus fuerit, quod quidem multi ut patrarent, in more habuerunt*. Hæc Damaſcenus ſcripſit octingentis ab hinc annis. Videatur Baronius *ad ann.* 392. *num.* 48., & Bellarminus *Lib.* 2. *de Imaginibus cap.* 9., qui reputant Epiphanii Epiſtolam ad Joannem Jeroſolymitanum *apud Hieronymum Epiſt.* 60., ſive 110., in qua hoc factum narratur, interpolatam eſſe, cujus rei rationes multæ ſunt eruditis notiſſimæ, ut eas repetere vanum ſit.

76. Hinc fit, factum illud *oculos meos non adeo offendere*, quemadmodum tuos Picenine offendit, in his rebus valde rudis, & hebes. Eja tamen, gratis demus rem, ut libet, ita ſe habere. D. Joannes Damaſcenus & ipſe conſentit *Orat.* 1. *de Imaginibus num.* 26., *& Orat.* 2. *num.* 18., cujus reſponſa ſupra retulimus §. 9. *num.* 56., quæ lector ibi habeat. Factum porro nunc expendamus ut a te narratur: *D. Epiphanius in Templo velamentum vidit, in quo picta erat Christi, vel hominis Imago*. Imago igitur erat tam incompoſita, & impropria, quod an Imago Chriſti, an vulgaris hominis eſſet, incertum erat; quamobrem velamentum illud Epiphanius ſcite, prudenterque laceravit: quod & ſimiliter faciunt optimi Paſtores, & Quæſitores nacti Imagines indecoras, vel novitatem redolentes; eas quippe a loco removent, & interdum ſcindunt, nec propterea in Eccleſiis Imagines eſſe prohibent, dummodo ad decorem valeant, ac pietatem, nimirum ſicut Tridentina Synodus ſtatuit *Seſſ.* 25.: *Nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia, etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit*. D. Epiphanius cum Epiſcopus eſſet, & in Templo illo, extra licet ſuam Diœceſim, Imaginem pendere vidiſſet, quæ, cujus eſſet, Chriſti, an vulgaris hominis, non apparebat, eam laceravit, & merito, cum Scripturæ contrarium eſſet *in Eccleſia Chriſti hominis Imaginem pendere*: ubi nota non dixiſſe contra Scripturam eſſe Imaginem Chriſti in Eccleſia pendere, ſed *hominis*, ne plebs illicitum quidpiam forte coleret. Quæ expoſitio majorem habet probabilitatem ex ipſo plebis murmure circa factum, etenim murmurabant quidem quod D. Epiphanius velum laceraſſet, minime vero quod offendiſſet Imaginem: *Illique contra murmurantes, dixerunt, ſi ſcindere voluerat, juſtum erat ut aliud daret velum, atque mutaret*. Si illa Chriſti fuiſſet Imago, de ea conqueri non ceſſaſſent, quippe quod Sancti Baſilius, Gregorius Nyſſenus, & Joannes Chryſoſtomus, illatum partium Epiſcopi, in ſuis Diœceſibus eas publico exponi permittebant. Quoniam autem profani hominis Imaginem eſſe cognoverunt, ideoque illicitam, de velo dumtaxat conqueſti ſunt, & ab Epiphanio ſciſcitati ſunt ut alterum mitteret. Hoc reſponſum inter cetera a me num. 56. relata amplector, quod congruentius videatur.

77. Verum etſi D. Epiphanius velum illud laceraſſet ex intentione ſcindendi Imaginem Chriſti, vel Sancti, ad ſummum ſequeretur, quod privato judicio ſuo Imaginum uſum in Eccleſiis non probaſſet, attentis illorum temporum circumſtantiis, in quibus nondum defecerat idololatria, ne Pagani, & ipſi Neophyti, reputarent Chriſtianos Idola non excindere, ſed tantum mutare, ut de facto calumniabantur Fauſtus Manichæus, & Julianus Apoſtata. Lutherus tamen, & ejus gregarii, cum quibus tanquam jurati fratres communionem habent moderni Calviniſtæ, nunquam ſuſpicati ſunt Imaginum uſum Scripturæ oraculis, ac religionis puritati contrarium eſſe; quod Forbeſius ſcribit *Lib.* 7. *ſua Inſtruct. cap.* 15., inquiens: *De ejiciendis Imaginibus Lutherus ipſe, & qui ſe ipſius eſſe diſcipulos gloriantur non magnopere laborarunt: quamvis earum cultum conſtanter improbent*. Arnoldus Polemburg Calviniſta, *Præ-*

ſtant.

ſanſ. viror. Epiſt. 601., quæſtio num Imagines ſint lacerandæ ? negative reſpondet, & ſuorum facinora reprehendit, his verbis: Etſi autem per religioſam venerationem in abuſum vertantur, eas neque deturpandas tumultuoſe puto, quod in prima reformatione factum nonnullis in locis....

78. A Panigarola petis pag. 456., quomodo Iconoclaſtæ valeant ab ipſo hæreticì appellari, qui Imagines ſcindebant, ne cultus ipſis exhiberetur? Peto ex te, quomodo læſæ majeſtatis reus eſſe valeat, qui Regis ſimulacrum frangat in foro erectum? Nonne tu ipſe fatebaris in Apologiæ tuæ abyſſo pag. 349., reum eſſe Corporis, & Sanguinis Domini, qui Euchariſtiam ſumit indigne, quanquam ex te merum ſignum, & ſola Imago ſit Corporis, & Sanguinis Domini? Nunquid occurres ad primum, injuriam ſimulacro intentatam moraliter recenſeri injuriam Regis, quemadmodum ad ſecundum ais, ſignum contemnentem, reum eſſe violationis ſignati, & dum Sacramenta profanantur, ille profanatur, cujus ſunt Sacramenta? Verum enimvero idem fateri teneris, videlicet Crucifixi Imaginem, & ſignum Crucis lacerantem, Chriſtum ipſum offendere, qui in illa Imagine colitur, ſicut eum dehonoraret qui Euchariſtiam, vel Sacramentum aliquod ped bus calcaret, quæ per te non ſunt niſi mera ſigna. Sic te ipſum jugulas, nec porro ceſſas adhuc oblatrare: Hæreſis ergo eſſe poterit Imaginem ſcindere, quæ ad fidem non pertinet, nec eſt neceſſaria? Apud me hæreſis eſt articulos pervertere fidei, & quæ fidei ſunt fundamenta neceſſaria. Neque neceſſe eſt Regis ſimulacrum eſſe in foro, quod tamen ſi ibi ſit, reverentia ipſi debetur, & læſæ majeſtatis reus erit, qui injuriam ipſi faciat: ſimiliter, etiamſi neceſſe non ſit Imaginum Chriſti, Crucis, Sanctorum uſum haberi, ſemel tamen quod extent, conteri non debent; contra facientes autem rei ſunt, quaſi ipſum Chriſtum, ejus Crucem, & ejus Sanctos male tractarent. Imagines habere profecto non eſt fidei articulus, nec fidei neceſſarium fundamentum; utique tamen articulus, & fundamentum fidei eſt, Jeſum, & amicos ejus non dehonorare, verbum quippe Dei eſt: Qui vos ſpernit, me ſpernit; quare injuria Imagini Jeſu intentata, cum ipſius perſonam moraliter offendat, non minus quam profanatio Euchariſtiæ ipſum Corpus, & Sanguinem Domini, inde fit Jeſum ipſum ſpernere, qui ejus Imaginem ſpernit, nec dumtaxat hęreticum pręſumi, ſed & omnino impium. Nec juvat oblatrare: Si Iconoclaſtæ hæretici erant, Epiphanius quoque talis fuit, & Iconoclaſta, quod Imaginem laceravit; ſiquidem jam oſtenſum fuit quantum Epiphanius velum lacerando, corde, & animo diſtaret ab Iconoclaſtis Imagines conculcantibus.

79. Pergis pag. 456., Iconolatras Imagines adoraſſe, Iconoclaſtas vero eas laceraſſe ne colerentur. Qui porro hæretici? Imagines adorare a Deo vetitum eſt, præceptum autem eas ſcindere ſi idololatriæ fomenta ſint, quod & viri ſancti fecerunt. Deus (Exod. 34. 13.) Iſraeli mandavit Idola comminuere. Commentum hoc ineptiſſimum jam refutavimus, ubi oſtendimus non eſſe Iconolatram, qui Chriſti Imaginem veneratur velut medium, quod ſenſibus exhibitum, ad Chriſtum elevat mentis aciem, omni ſpe in ipſo repoſita, non in Imagine. Ita pręſcribit mea Tridentina Synodus Seſſ. 25. Purus tamen purus Iconoclaſta eſt, qui ſuaſus licet in Imagine Chriſti nihil præter Chriſtum coli, eam tamen ſcindere vult, & lacerare, impius adverſus Jeſum, cujus perſonam in Imagine contemnit. Si Deus Iſraeli præcepit gentium Idola comminuere, Amorrhæorum, Chananæorum, Pherezæorum, probetur quęſo, non tamen manibus verbis, Imagines Chriſti, & Sanctorum re vera eſſe quaſi gentium Idola, vel ſaltim ad idololatriam cultores ſuos pellicere. Ais, jam ad hæc providiſſe, ac dixiſſe, atque iterum dicere, quamlibet Imaginem, cui cultus exhibeatur religioſus, Idolum eſſe. Tum ego iterum iterumque reſpondeo, jam oppoſi-

poſitum omnino probaſſe. Tuum nunc eſt rationes meas ſolvere, ſi tanti valeas.

80. Dimiſſo Panigarola, Patrem Segneri aggrederis, quod *Iconoclaſtas feriat* his verbis: *Quia Sanctorum in Cælis, & Catholicorum in terris facti ſunt inimici, vita ſua curriculum ſumma calamitate conſummarunt*. Hinc ipſum interrogas: *Quis in ejus aures inſuſurravit, mala e Cælo contra Imperatores Orientis immiſſa, cauſam habuiſſe ex eo quod Imaginum cultum valide conſtanterque oppugnaverint?* Et poſt plura conſimilia verba, mox referenda, ſtatuis hoc eſſe *judicium temerarium*, ipſumque adhortatis *cum D. Paulo Rom. 11. 33. clamare: Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* Pater Segneri neutiquam prætendit Dei judicia inveſtigare, ſed unice inſtituit, vitam ſimul & mortem conferre Leonis Iſauri, ejuſque filii Conſtantini Copronymi, qui certanter ſacras Imagines inſequebantur, quorum vita, cum immanitatis, ac impietatis horrendum exemplum fuiſſe conſtet, probabiliter intulit, ipſorum infelicem exitum ſtipendium fuiſſe ipſorum vitæ ſceleſtiſſimæ, & crudelitatis, qua ſacrarum Imaginum cultores vexarunt, attento præſertim cunctos iſtarum hoſtes homines fuiſſe falſæ fidei, morum corruptiſſimos, ut hiſtoriæ ferunt, e contra vero earum vindices integræ vitæ viros habitos fuiſſe. Si Irenes, quæ Imaginum cultum procuravit, miſerrime obiit, ipſamet faſſa eſt, in pœnam immoderatæ ambitionis ſuæ id ſibi accidiſſe, non quod Imaginum cultum adauxerit. Si autem Irenis miſera mors ambitionis ſuæ pœna fuit, quid non etiam dicendum, perſecutorum Imaginum deſperatiſſimum exitum eorum impietatis ſtipendium fuiſſe? Sed mittamus hæc, de quibus fuſe diximus integro cap. 5. Tomi I.

81. Porro inquis, *Gregorium II. rebellaſſe a Leone Cæſare, quod Imaginibus adverſaretur, ac Italiæ populis rebellionis ſenſus inſtillaſſe*. Hęc abunde tractat Dominus Fontanini *de dominio temporali Sedis Apoſtolicæ*, in cujus Tomo 1. *pag.* 333. & 334. oſtenditur, Gregorium II. nec ſubditum, nec rebellem unquam fuiſſe Leoni Iſauro, minus vero hujuſcemodi fuiſſe illius ſucceſſores erga alium quemlibet. Ad Leonem conceptis hiſce verbis ſcripſit: *Scis Imperator, Sancta Eccleſia dogmata, non Imperatorum eſſe, ſed Pontificum, qui tuto aſſolent dogmata tradere. Idcirco Eccleſiis præpoſiti ſunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abſtinentes. Et Imperatores ergo ſimiliter ab Eccleſiaſticis abſtineant, & quæ ſibi commiſſa ſunt capeſſant*. Ita cum Leone Gregorius, ſed quid inde retulit fructus? S. Pontificem Leo iterum minis exaſperavit, ſcribens: *Quod ſi nobis inſolenter inſultes, & minas intentes, non eſt nobis neceſſe tecum in certamen deſcendere. Ad quatuor & viginti ſtadia ſecedet in regionem Campaniæ Romanus Pontifex. Tum tu vade, ventos perſequere*. Poterat ne Gregorius humanioribus verbis reſcribere? Poſt hæc Conſtantinopolim Legatos etiam ad eum mulcendum miſit, quos Imperator exules fecit, qui & triſti fato ceſſerunt, ut teſtatur Nicolaus I. *Epiſt. ad Michaelem Imperatorem*. Porro cum poſt tot ſuaviſſimos conatus, ferox adhuc, & pertinacior Leo Eccleſiam inſectaretur, quid ergo Gregorius? Si, ut blateras, *juſſu Gregorii Italiæ populi a Leonis obedientia receſſerunt*, ſignum in ipſo ſupremam agnoviſſe auctoritatem; & ſi *hæc fuit Orientalis Imperii ruina*, profecto patet Deum non probaſſe Imaginum iniquam direptionem. Item ſi Gregorii mandata, abſque armis, ſine terrore imperantis, cuncti populi ſponte ſuſceperunt, ſacrarum Imaginum cultum ultro citroque tuentes, ſignum, rem Deo placentem aggreſſos fuiſſe, cujus hoſtes divinæ Majeſtati adverſabantur.

§. XIV.

§. XIV.

Quidam D. Auguſtini textus inique citati.

82. Panigarolam iertum carpis *pag.* 458. *de mendacio*, cum dixerit, *Calvinum aſſeruiſſe D. Auguſtinum Imaginibus eſſe contrarium, ſed non indicare quibus in locis*. Panigarola recte loquutus eſt, quia abs re loca citare, idem prorſus eſt quam nulla citaſſe. Sed Calvinum audiamus, qui *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 2. textum refert, ex *Lib.* 6. *de Civit. Dei cap.* 10. deſumptum, in quo D. Auguſtinus de Seneca ſcribit: *Cum de ſimulacris ageret, ſacros, inquit, immortales, inviolabileſque Deos, in materia viliſſima atque ignobili dedicant: habitus illis hominum, ferarumque, & piſcium, quidam vero mixto ſexu diverſis corporibus induunt, numina vocant: quæ ſi ſpiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur*. Hujuſmodi verba vere ne tangunt Imagines Dei Patris, Chriſti, & Sanctorum, quos quis unquam piſcium, ferarumque habitu cinxit? Ecquando in Imaginibus noſtris divinitatem ullam ineſſe faſſi ſumus, in ipſis ſpem aliquam, fiduciamque reponentes? Longius etiam diſtat alter D. Auguſtini textus a Calvino deſcriptus *Lib.* 1. *Inſtit. cap.* 11. §. 10.: *Quis autem adorat, vel orat intuens ſimulacrum, qui non ſic afficitur, ut ab eo ſe exaudiri putet? Ab eo ſibi præſtari quod deſiderat, ſperet?* Cum de hoc textu verba fecerim ſupra num. 28., iterum hic reſpondeo, dictum hoc D. Auguſtini poſitum eſſe ad evincendos Paganos ſuiſmet principiis, cum alias dicerent ſimulacra illa non adorare, niſi tanquam ſigna eorum quæ colebant, aſſerentes Neptuni ſimulacrum ſignificare maria, Junonis aerem, cum interea faterentur, numina quæ adorabant, ſimulacra illa inhabitare: *Effigies enim a fabro factas, appellando nominibus earum rerum, quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium; res autem ipſas pro Diis habendo, & venerando, ſerviunt creaturæ potius, quam Creatori.* „ Cum autem dicitis non ſimulacra, „ ſed numen quod ipſis præeſt adorare, vobis contradicitis; quomodo „ enim ſimulacra non adoratis, ſi in „ ipſis ſimulacris numen eſt quod adoratis? *Plerumque ad ipſum Solem dorſum ponunt, preces fundunt ſtatuæ, quam Solem vocant.* Sic D. Auguſtinus Paganos redarguit, oſtendens re vera ſimulacrum adorare, in illud ſperantes, & ab eo ſe exaudiri putantes. Sed quid inde contra Imagines noſtras? Nunquid ad libitum noſtrum Imagines fingimus Dei Patris, Spiritus Sancti, Deiparæ Virginis, aliorumve Sanctorum perſonas repræſentantes? In illis ſtatuis num aut Virginem, aut Sanctos colimus quaſi Deos? Num inhabitantem in ipſis agnoſcimus divinitatem, aut Sanctorum animas? Nunquid ad ſimulacrum preces fundimus, num in ipſum ſperamus, habentes fiduciam? Eja tandem, Domine Picenine confitere, nos Imagines & ſimulacra habere tanquam ſola, ac nuda ſigna illorum quos veneramur, neque ullam in ipſis virtutem, & efficaciam agnoſcere, ſed eas retinere quatenus mentem noſtram excitant, elevantque ad cultum Virginis, Sanctorumque, in quibus unum Deum verum glorioſum in Sanctis ſuis adoramus.

83. Atqui inſurgit Calvinus, Picenino interprete, *Lib.* 1. *Inſt. cap.* 11. §. 10.: *Cur inter ejuſdem Dei ſimulacra tantum diſcrimen, ut altero prætérito, aut vulgariter honorato, alterum omni ſolemni honore proſequantur? Cur in viſendis ſimulacris, quorum ſimilia domi ſua habens, votivis peregrinationibus ſe fatigant?* Quid porro Calvinus prætendit ex his nobis imponere? Scilicet quaſi Idolum a nobis Imaginem adorari? Optime novimus, per hanc, vel illam Imaginem eandem haberi Chriſti repręſentationem, nec aliud quidpiam Imaginem prętare, quam repręſentare Chriſtum. Verum cum etiam ſciamus, Chriſtum indicaſſe, tum gratiarum largitione, tum vel etiam quibuſdam apparitionibus, gratum ſibi eſſe in hac

potius

potius, quam in illa Imagine adorari, hinc devotione trahimur ad ejus cultum in hac potius, quam in illa Imagine, ſicut etiam longiſſimas interdum ſuſcipimus peregrinationes. Ita D. Auguſtinus in re gravi ſuadet peregre proficiſci ad memoriam cujuſdam Martyris *Epiſt.* 137., *vel* 78.: *Elegi aliquod medium, ut certo placito ſe ambo conſtringerent, ad locum ſanctum ſe perrecturos, ubi terribiliora opera Dei non ſanam cujuſcunque conſcientiam multo facilius aperirent.... Ubique quidem Deus eſt, & nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum a veris adoratoribus in ſpiritu, & veritate oportet adorari.... Veruntamen ad illa, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare aliis in locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci, ubi Beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui ut pergerent.* Docet autem quamobrem uno potius, quam in alio loco impetremus exaudiri, ſiquidem quemadmodum Apoſtolus ſcribit non omnibus Sanctis eadem dona fuiſse conceſsa, ſed gratiam curationum uni, alteri vero diſcretionem ſpirituum, *ita nec in omnibus memoriis Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.* Deus ubique eſt, attamen locus in quo ad ſummitatem Scalæ Deus apparuit Jacob, ſingulari quodam modo ſanctus dicitur *Gen.* 28. 16.: *Vere Dominus eſt in loco iſto... Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta Cæli.* Ibi Jacob erexit lapidem ad inſtar altaris, oleum fudit deſuper, & quadam *conſecrationis* ſpecie *votum vovit.* Deinde ex Meſopotamia revertens *Geneſ.* 35., eodem loco ſacrificium obtulit Domino ſuper erectum lapidem. Unde D. Auguſtinus *Quæſt. ſuper Geneſ. qu.* 116. ita ſcripſit: *Super lapidem libavit Jacob, non lapidi libavit; non ergo ſicut idololatræ ſolent aras ante lapides conſtituere, & tanquam Diis libare lapidibus.* Deus profecto ubique eſt, Hebræi tamen tenebantur Templum ingredi ad eum adorandum ſedentem ſuper Arcam in medio Cherubim. Quod ſi Calvinus domi poterat Deum adorare, cur ſuis præcipit ſtatis diebus Templum adire, ut Deum colant?

84. Quam maxime facit ad vetuſtatem uſus Imaginum comprobandam textus D. Auguſtini a Panigarola deſumptus ex *Lib.* 1. *de conſenſ. Evangeliſt. cap.* 10., ubi habetur: *Occurrit eis* (Gentilibus ſcilicet) *Petrus, & Paulus, credo quod pluribus locis ſimul cum eo* (ideſt Chriſto) *pictos viderunt, quia merita Petri, & Pauli, etiam propter eundem paſſionis diem, celebrius ſolemniter Roma commendat.* Quidam ex Gentilibus putabant Chriſtum Epiſtolas ſcripſiſse ad D. Petrum, & Paulum, rati, dum Chriſtus in terris nobiſcum ageret, jam D. Paulum fuiſse inter Apoſtolos numeratum. D. Auguſtinus vero cenſet errorem hunc irrepſiſse, quod paſſim viderentur Petrus, & Paulus picti ſimul cum Chriſto, cum e contra id fieret, quod eorum memoria eadem die ſolemnis ageretur. Qui textus mirum in modum probat, D. Auguſtini temporibus antiquum jam fuiſse paſſionis Sanctorum Petri, & Pauli ſolemnem memoriam Romæ celebrari, & per conſequens eos a fidelibus religioſe coli. Neque ad rem facit reſponſum a te adhibitum, quod latinis litteris deſcriptum ad marginem perperam conſignaſti, inquiens: *Reſpondeo eiſdem verbis, quæ apud D. Auguſtinum immediate ſequuntur: Errare meruerunt, qui Chriſtum, & Apoſtolos ejus non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſiverunt.* D. Auguſtinus id unum vult indicare, nempe ex pictis tabulis nullum poſse validum argumentum deſumi, quod duo ſint tempore coævi, cum qui variis temporibus viverent, inſimul pingi facile valeant, ſed ex codicibus id eſse inveſtigandum, in quibus eorum geſta, & vitæ tempora deſcribuntur. Neque blaterare juvat, *quæſtionem non eſſe, num D. Auguſtini ætate, & in illo ſeculo exſtarent picturæ, ſiquidem eas habebant Armeniani, & Gnoſtici, apud*

quos Gentiles vidiſſe poterant. Quæſtio eſt num Eccleſia Catholica illas picturas probaret. Enimvero loquente D. Auguſtino de picturis Romæ viſis dum SS. Apoſtolorum feſta celebrarentur, profecto non de illis tractabat quas habebant *Armeniani, & Gnoſtici*, bene vero quas Romana Catholica Eccleſia fidelibus proponebat in feſtis illorum Apoſtolorum. Num vero adorarentur, Auguſtini textus non aſſerit, nec Panigarola id inferre ex illo textu prætendit, ſed uſum dumtaxat. Veruntamen ſi picturæ illæ in Eccleſiis appenſæ erant, dum paſſionis Apoſtolorum anniverſaria ſolemnia celebrabantur, veroſimile videtur a fidelibus veneratione habitas fuiſse, præſertim quod tu nec probas oppoſitum, nec unquam probaturus eris.

§. XV.

Quædam facta, & hiſtoricæ Traditiones circa Imagines vindicantur.

85. PIceninus Luna inconſtantior antea negabat, nunc vero conceſſiſſe contendit, ac ſibi blanditur de mendacio Panigarolam redarguere, quod aſſerat Calvinum negaſſe Imaginum uſum ante Synodum Nicænam II. Ergo in Apologia *pag.* 459. ait, *temporibus uſque Gregorii I. quempiam Imaginum uſum invaluiſſe, nimirum Seculo VI., dum ad decorem, & hiſtoriam adhiberentur, non tamen adorabantur. Non ergo de aliquali uſu loquor, ſed de veneratione, & adoratione Imaginum, & nego uſum obtinuiſſe cunctis ſeculis. Cultus Imaginum in Græcam Eccleſiam ſubintroductus fuit a tuo Nicæno Conciliabulo, & vix antea in Italiam a Gregorio II., & ab alio tuo Papa.* Verba et verba, mendacia jam rejecta §. 3. et 4. At ſi a Nicæno II. ad hæc uſque tempora, octo et amplius revolventibus ſeculis, poſſeſſio, et uſus invaluit Imagines honorari, et adorari in Eccleſia Græca, et Latina, cujus erit meritum cauſæ? Gregorius II. ſcribens ad Leonem Iſaurum, Adrianus I. ad Conſtantinum, et Irenem, et Nicæna Synodus adverſus Iconomachos, pro cultu Imaginum defendendo, Traditionis vetuſtatem ſemper opponebant, quodque a Patribus antiquis receperant: quod ſi Conſtantinopolitana plebs ſcandalum paſſa eſt adverſus auctores hujuſcemodi novitatis, nonne argumentum hoc evidens eſt, ante Nicænam II. Imaginibus cultum exhiberi ſolitum? Aſſerere iſtos omnes fuiſſe deceptos, et Gregorium II. hominem *ignarum fuiſſe*, ut tu modeſte profers in Triumpho *pag.* 300., alia evomendo ſcommata vere te digna, ineptiſſimum eſt ſummæ temeritatis commentum; ſiquidem, cui uſus rerum illorum ſeculorum melius poterit innoteſcere, num Picenino mille annis diſtanti, an illis qui proxime ſuccedebant?

86. *Pag.* 459. oppugnas hiſtoriam illius Imaginis Chriſti repræſentativæ, quam Hebræi crucifixerunt, tanquam, ut ais, *fabulis plenam; neque Athanaſii eſſe, quia, juxta Sigebertum, miraculum illud accidit anno Chriſti 765. Quomodo autem Athanaſius miraculi hiſtoriam texere potuit annis 400. poſt mortem ſuam?* Verum tu, qui ſemper ineptiſſimis laboras fallaciis, putas a nobis hujuſmodi narrationem teneri tanquam a D. Athanaſio Alexandrino deſcriptam, cum e contra eam adſcribamus cuidam *Athanaſio Syro*, aliiſve qui vixerunt VIII. Seculo parum ante Nicænam II., in qua *Act.* 4. recitatum fuit miraculum, quod juxta Sigebertum accidit tempore Conſtantini Copronymi cultum Imaginum inſequentis crudeliſſime. Quod vero attinet ad circumſtantias, quas Picenine conſuis, nimirum *Imaginem illam a Nicodemo factam fuiſſe, quam Hebræi cum reperiſſent, Summos Sacerdotes vocarunt*, nec apud Sigebertum, nec apud Nicænam Synodum hæc lego, ſed ſic factum narratur „ Beryti Imagine Chriſti a quodam Chriſtiano domi relicta, ab Hebræo deinde aſportata, et variis ludibriis ab ipſo aliiſque contaminata, cœpit ex ipſa copioſus valde ſanguis e-

„ rum-

,, rumpere; magna autem miracula ,, quæ facta ſunt, innumeros excita- ,, runt Hebræos ad fidem Chriſti am- ,, plectendam,,. Sigebertus eadem refert, ſubjicitque, hujus rei ſolemnem memoriam ab Adeodato Berytenſi Epiſcopo inſtitutam fuiſſe die 9. Novembris, juxta Uſuardum apud Bolland. Tom. 7. Junii. Hic de Nicodemo, de Summis Sacerdotibus, ſive de alia quacunque re nulla fit mentio. Leontii liber habetur in Actis Concilii Nicæni II. Porro ſcire averem, qua ratione aſſerere audeas, *veritati non reſpondere quæ a Monacho referuntur, in Synodo nempe Nicæna lectos fuiſſe circa Imagines libros Leontii, & Baſilii*. Leontii liber legitur in omnibus illius Concilii editionibus; liber Baſilii contra Julianum, citatus etiam a Legatis Adriani I., et ab ipſo Adriano in Epiſtola ad Imperatores, etſi Baſilii non eſſet, tacere adhuc deberes, ſi in tuo Conſtantinopolitano Conciliabulo propoſiti fuerunt adulterini textus, quos propterea Epiphanius Diaconus rejecit. Fœtus eſt legitimus Sancti Baſilii liber *de Spiritu Sancto*, qui licet Eraſmo ſuſpectus videatur, oppoſitum tamen tenet Caſaubonus *Exercit.* 16. *num.* 53. Baſilius ergo *cap.* 18. ejuſdem Libri a Nicæna II. relati *Act.* 4. aſſerit, *propterea Regis Imaginem appellari Regem, neque duos eſſe Reges, non enim dividi Imperium, eo quod Imaginis honor ad prototypum tranſeat*. Quæ verba totam doctrinam cultus Imaginum comprobant.

87. Velis, remiſque *pag.* 460. fabulas eſſe contendis quaſdam hiſtoricas Traditiones de Imaginibus, quæ quanquam apud nos non omnino certam, & indeclinabilem obtineant fidem, attamen cum neque hic ſanum verbum proferas, optimum cenſeo excutere te, ut quiſque videat quantum ubique hallucineris. Primum eſt, *D. Lucam plures noſtræ Dominæ Imagines pinxiſſe. Hæc fabula, inquis, & Panigarola ex D. Auguſtino hanc tentat expiſcari, caput tamen, & librum non indicat; alii ex Simone Metaphraſte eam venantur*. Nec ego apud D. Auguſtinum valeo id reperire. De hoc loquuntur Metaphraſtes, & Nicephorus *Lib.* 14. *Hiſt.* *cap.* 2., & Theodorus Lector *Lib.* 1. *Collect.*, ubi ſcribit: *Eudocia Imaginem Matris Chriſti, quam Lucas Apoſtolus pinxerat, Jeroſolymis miſit*. Theodorus mille annis ante pſeudoreformationem vivebat. Nicephorus, in aliis apud te integræ fidei hiſtoricus, quod nunc ad genium tuum non ſcribat, fabulas ſcribit? Pulcheria Auguſta Martiani Imperatoris uxor in honorem Virginis Templum erexit, *Hodegori* dictum, in quo ipſius Imaginem a D. Luca pictam collocavit, quam ab Eudocia Auguſta Theodoſii junioris uxore Jeroſolymis acceperat, ut fert Nicephorus cohærenter ad ea quæ ſcripſerat Theodorus Lector. Et *Lib.* 15. *cap.* 14. narrat, præfatam Imaginem antea Antiochiæ fuiſſe, *ſecundum Templum*, a Pulcheria conſtructum: *Illud fuit, quod Hodegorum vocant, ubi Antiochia miſſam Verbi Matris Imaginem dedicavit, quam Lucas divinus Apoſtolus ſuis ipſe manibus depinxit, illa adhuc vivente, & tabulam ipſam vidente, gratiamque adeo illi formæ ſuæ immittente*. Videatur Ducanges *Lib.* 4. *Conſtantinopolis Chriſtiana* §. 2. *num.* 24., qui §. 15. *num.* 5. loquens de Monaſterio Corenſi, quo tranſlata fuerat Imago, ſubdit, quod in expugnatione Conſtantinopolis: *Omnia Templa urbis Turcæ ſpoliaverunt, & Imaginem quandam Beatæ Virginis manu Beati Lucæ pictam, quæ in maxima veneratione habebatur ... per civitatem ignominioſe traxerunt, eamque ſordidis pedibus conculcantes, tandem in fruſta confregerunt*: quæ deprompta ſunt ex libro inſcripto *Magnum Chronicum Belgicum, ex relatione Henrici Zomereri pag.* 378. Nihilo ſecius dices fabulas eſſe. Quæſo quare? *Quia D. Lucas erat Medicus. Sic, ais, eum nominat D. Paulus Coloſſ.* 4. 14. *Ita D. Hieronymus in Catal. Scriptorum illuſt.* Aſt quæ repugnantia, Medicum ſimul eſſe Pictorem? Scriptura D. Lucam *Medicum* appellat, quod hæc ars

ejus eſſet, ſicut D. Petrus Piſcator erat, D. Joſeph Faber lignarius, & D. Matthæus Teloncarius. Id tamen non impedit pingendi arte peritum fuiſſe: quod ſi Pictorem fuiſſe Scriptura taceat, non tamen negat. Inſtas, *D. Lucam fuiſſe Judæum. Quomodo ergo Pictor eſſe poterat, ſiquidem ars iſta Hebræis erat exoſa?* D. Lucam Judæum fuiſſe, res eſt dubia valde, quippe qui *Antiochenus* erat, juxta D. Hieronymum *Catal. pag.* 394., & Nicephorum *Lib.* 2. *cap.* 42., & omnes hiſtoricos. Porro Antiochiæ Hebræi erant, ſed & Græci, & Macedones, quibus Seleucus, qui eam fundavit, habitandam conceſſit. Quanquam autem Hebræis etiam id permiſerit, additio civitatis jure, & honore, inferiores tamen erant numero, & poteſtate, quamobrem eorum privilegia paſſim periclitabantur. Ita Joſeph Hebræus *Antiquit. Judaic. lib.* 12. *cap.* 3. D. ergo Lucas quia Antiochenus, non propterea certo Judæus; quinimmo ex eo quod græce ſcripſerit, eumque Nicephorus Thebis converſum, & a patriis erroribus revocatum aſſerat his verbis: *Thebis ad Paulum venit: atque ibi nuncio patrio errori remiſſo, ad Chriſtum acceſſit*, vehemens indicium habemus, ex Gentilitate evaſiſſe; etenim qui Judaiſmo renuntiabat, non renuntiabat errori, neque Joſeph Hebræus ſuam legem errorem appellaſſet. Grotius (*annot. in Luc. cap.* 1.) natione Syrum eum facit: *Erat noſter hic Syrus, ut veteres conſentiunt, & medicinam fecit*. Conditione antea ſervus; poſt vero accepta libertate in Patriam rediit. Quod autem ad Judaiſmum tranſiiſſet dum Romæ eſſet, ſive jam in Patriam reverſus, certum non eſt. Satis eſt ſcire origine Hebræum non fuiſſe: *Syria multos Romanis ſervos exhibebat: & medicina, ut ex Plinio, atque aliis diſcimus, munus erat ſervile ... Credibile eſt, cum Romæ medicinam factitaſſet, aliquamdiu accepta libertate rediiſſe in Patriam. Judaicam religionem domi, an Romæ imbiberit, incertum. Romæ jam multi libertinæ conditionis quotidie ad Judaiſmum tranſibant, qualis Cæcilius ille, quicum Cicero de Verre accuſando certavit &c.* Ita Grotius, qui tamen Proteſtans erat, & D. Hieronymus, qui *Lib. quæſt. Hebraic. in Geneſim*, juxta opinionem ſuis temporibus magis communem, aſſerit D. Lucam gręce ſcripſiſſe, etenim Proſelytus ignorabat Hebræas litteras: *Licet plerique tradant, Lucam Evangeliſtam, ut Proſelytum, Hebræas litteras ignoraſſe*. Veruntamen cum pertinaciter contendas ipſum ab origine Judæum eſſe, ut inferas nullatenus Pictorem eſſe potuiſſe, peto: Etſi Lucas Hebræus fuiſſet, vel *Helleniſta*, quomodo probares Pictorem eſſe non potuiſse? Salomon in ędificatione Templi certe inter Hebræos quoſdam reperiit artifices ad formandos Cherubim, palmas, boves, aliaſque picturas in Templo poſitas 3. *Reg.* 6. Quod ſi ad hoc opus de Tyro vocavit quemdam *Hiramum*, de quo ſermo fit 3. *Reg. cap.* 7. *verſ.* 13. & 14., & 2. *Paralip. cap.* 2. *verſ.* 13. & 14., Hiramus tamen iſte pręfectus erat ſuper omnia ſculptilia, interim tamen tot artifices ſub ipſo deſtinati ad opus, Gentiles ne omnes de Tyro venerant? Id profecto Scriptura non dicit: & ego dico hunc Hiramum Judæum fuiſſe, ex matre de Tribu Dan, ex patre vero de Tribu Nephtali, & dictus eſt Tyrius, quod Tyri diu moratus ſit. Re vera Joſephus Hebræus *Antiquit. Judaic. lib.* 8. *cap.* 2., *Hirami* patrem *ex Iſraele oriundum* appellat. Quæ animadverſio hebræo textui innititur, & verſioni LXX., ubi Hirami mentione habita, legitur *ipſe*, ſive *hic de Tribu Nephtalim*. Id potiſſimum confirmat D. Hieronymi auctoritas, ſive alterius, quicunque ille ſit, auctoris traditionum aut quæſtionum hebraicarum ſuper *L. 3. Reg.*: *Hiram in Malachim*, ideſt in libris Regum, *dicitur fuiſſe de Tyro, & filius mulieris viduæ de Tribu Nephtalim, patre Tyrio. Sciendum, quod de Tribu Nephtalim pater ejus fuerit, quo mortuo, uxor ejus, quæ hic mulier vidua ſcribitur, eundem Hiram in Tyrum miſiſſe docendi gratia di-*

dicatur, & a quo doctus in Tyro fuit, pater ejus Tyrius vocatur. Idcirco patre Tyrio fuiſſe dicitur, quum utique pater ejus de Tribu Nephtalim fuerit. Videatur Spondanus *ad ann. Mundi* 3020. *num.* 12., & Joannes Mariana in ſcholiis ſuper *cap.7. lib. 3. Regum.* Porro ſi unus origine Judæus, Tyri natus, vel a matre miſſus, artem ibi ſculptilem, vel fuſoriam apprehendit, quem Salomon accerſere non dubitavit, ut ſculptilia in Templo faceret, & nemo Hiramum redarguit, quod Hebræus hanc artem didiciſſet, nemo Salomonem, quod hujuſmodi operibus ipſum præficeret, non ergo ars pictoria, ſculptilis, fuſoria adeo exoſa erat Hebręis, ut tu prædicas. Ita pariter D. Lucas poterat Hebręus eſse ſimul. & Pictor. Attamen mitto, apud Hebræos exſecrabilem fuiſse publice Pictorem eſse, non autem ex uſu privato, & ſolatii cauſa; præſertim Chriſti temporibus, quibus Pilato procurante Cæſarum imagines Jeroſolymam palam introducere, ut refert Joſeph *de bello Judaic. cap.* 8., credibile eſt aliquem Pictorem illuc conveniſse. Pręterea quis ſcit, num D. Lucas hanc didicerit artem antea, vel poſt converſionem ſuam? quoniam, ut Grotius cenſet, D. Lucas Romę annis multis manſit, & forte antequam Judæus fieret. Quidquid tamen ſit. certe tam hiſtorica traditio, quam quicunque de his loquitur, aſserunt antiquitus ſemper creditum fuiſse hujuſmodi Imagines a D. Luca fuiſse depictas; quare picturæ illæ, ſint necne D. Lucæ. Imaginum tamen antiquiſſimum uſum certiſſime probant.

88. Euſebium commemoras *pag.* 460., narrantem hiſtoriam *ſtatuæ quam mulier a Chriſto ſanata fecit erigere, Lib.7. Hiſt. cap.* 18. Hanc hiſtoriam, de qua num. 10. §. 3. egimus, duplici cenſura falſo notare de more non dubitas. Prima eſt, *Euſebium ipſam referre velut rem dubiam, ab aliis narratam, cujus narrationem ſic incipit: Ferunt.* Altera vero eſt, *id factum eſſe Gentilium conſuetudine.* Quot mendacia gentili arte tua ſycophanta componis! Euſebius teſtatur: *Non incongruum fuit rem quandam memoria dignam poſteris tradere.* Hoc autem eſt *rem dubiam* tradere? Utique ſubdit *ferunt, dicitur*; ſed oculis etiam ſuis eam conſpexiſse aſserit: *Noſque adeo urbem illam ingreſſi, ipſam conſpeximus*; ſtatuam ſcilicet Servatoris, & mulierem ab infirmitate ſanatam quaſi adorantem; ad pedes vero ſtatutæ ignotus ſurgebat frutex, omnium infirmitatum medicina. Id autem refert non ex dicto unius, vel duorum, ſed ex communi, & antiqua fama. Hoccine *incertum?* In hac hiſtoria duo conſidero. Primum, Cæſareæ ſtatuam fuiſse repręſentantem Servatorem, ad cujus pedes mulier ad inſtar adorantis proſtrata videretur. Alterum, quod ſtatua illa a muliere, cui Chriſtus ſanitatem donaverat, erecta fuiſset. *Ferunt, dicitur*, a te Picenine oppoſitum, appellat ſupra hoc ſecundum, non ſupra primum, quod Euſebius teſtatur ſuis oculis conſpexiſse. Euſebius aſserit ſtatuam illam Chriſti eſſe, ad cujus pedes mulier orat, adoratque; populi vero illi ferunt ex traditione, ſtatuam illam erectam fuiſse a muliere, quæ a Chriſto ſanitatem impetravit: quamobrem verum necne ſit hoc ſecundum, adeo tamen antiqua habebatur, quod Apoſtolorum temporibus facta crederetur, & in illa Civitate ſervabatur etiam poſtquam Chriſti fidem ſuſceperat; quod probat, primis illis ſeculis a Chriſti Imaginibus populos non abhorruiſse, alias hanc exterminaſsent: eo vel maxime, quod ad ipſius pedes muliere adorantis ad inſtar procumbente, excitamentum erat ad eum adorandum. En Euſebii verba: *Nec vero mirandum eſt, Gentiles a Servatore noſtro beneficiis affectos hæc præſtitiſſe, cum & Apoſtolorum Petri, & Pauli, Chriſtique ipſius pictas Imagines, ad noſtram uſque memoriam ſervatas in tabulis viderimus. Quippe priſci illi abſque ullo diſcrimine, cunctos de ſe benemeritos, Gentili quadam conſuetudine, tanquam ſervatores, colere hujuſmodi honoribus conſueverant.*

Hæc

Hæc conſuetudo ponendi ſtatuas, & imagines benefactorum, quam Chriſtiani a Gentilitate venientes retinebant, non ad Idololatriæ veſtigia ſequenda, ſed ad grati animi ſignificationem exercebatur erga benemeritos viros; neque enim quælibet conſuetudo a Gentilitate introducta debet aboleri, ut Auguſtinus contra Fauſtum animadvertit *Lib.* 20. *cap.* 23., ſed illæ dumtaxat, quæ ad falſi numinis cultum ordinantur. Hinc ſequitur Euſebius *cap.* 19. exemplo populi Jeroſolymitani, qui ſumma veneratione Cathedram ſervabat, in qua ſederat D. Jacobus Epiſcopus, inde concludens: *Satis perſpicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum noſtri temporis Chriſtiani viros Sanctos ob ipſorum erga Deum amorem debito ſemper honore venerati ſunt, & hactenus venerantur.* Verum ut omnis opponendi ratio tollatur, legatur Sozomenus *Lib.* 5. *hiſt. cap.* 21., ubi habetur: *Cum Imperator didiciſſet, Cæſarea Philippi, qua urbe eſt Phœnicia quam Paneadem nominant, inſignem eſſe Statuam Chriſti, quam mulier ſanguinis profluvio, quo jamdudum laborabat, liberata ibi dedicavit, ea ſubverſa, imaginem ſuam ejus loco poſuit. Statim vero ignis ſumma vi e Cælo delapſus, pectus Statuæ, & vicinas pectori partes diſcidit, caputque una cum collo dejecit, & pronum humi infixit, quatenus pectoris pars dirupta erat. Atque ex eo tempore Statua ad hunc uſque diem ejuſmodi ſpecie perſeverat fuligine fulminis obſita. Chriſti vero Statuam tunc quidem trahentes Pagani per urbem, confregerunt. Poſtea vero Chriſtiani collectam in Eccleſia repoſuerunt, ubi etiam nunc ſervatur.* Si Juliani temporibus Chriſtiani ſtatuam Chriſti ab impio Apoſtata comminutam venerabantur, & fragmenta collegerunt, in Eccleſia ea collocantes, qui Paganus? Panigarola, qui ſtatuam Chriſti colit, adoratque, aut tu Picenine, qui eam exſecraris?

89. Imago etiam, quam Chriſtum miſiſſe fertur ad Abgarum Edeſſenorum Principem, tanquam fabula a te irridetur *pag.* 460. Quanquam autem Evagrius de ea loquatur *Lib.* 4. *Hiſt. cap.* 27., parum refert, *cum VI. ſeculi Scriptor ſit; hanc hiſtoriam ipſe compoſuit, & chimæram ſcripſit.* Hujuſmodi etiam eſt Epiſtola ad Abgarum a Chriſto miſſa, etſi mentionem de ipſa faciat Euſebius *Lib.* 1. *Hiſt. ſap.*13. *Gelaſius in Synodo LXX. Epiſcoporum talem eſſe definivit; & licet Papa ſit, in hoc caſu omnem meretur fidem*, ex ampliſſima gratia tua. Quod ad Epiſtolam attinet, duorum primi nominis Proteſtantium auctoritas mihi favet, Erneſti Grabii *Tom.* 1. *Spicilegii Patrum pag.* 1., & Guilielmi Cave in exordio Hiſtoriæ ſuæ litterariæ Eccleſiaſticorum Scriptorum. Favet etiam S. Ephrem Syrus ejuſdem Civitatis Diaconus, qui in ſuo teſtamento de hac hiſtoria mentionem facit, & Evagrius eam commemorans, certam ſupponit, miraculum de ea narrans: *Itaque ad inopiam conſilii redacti, afferunt divinitus fabricatam Imaginem, quam non hominum manus affinxerant, ſed Chriſtus Deus ad Abgarum miſerat, qui ipſum videre magnopere cupiebat.* De ipſa mentionem faciunt Nicephorus *Lib.* 2. *hiſt. ſap.* 7., & D. Joannes Damaſcenus *Lib.* 4. *de fide orthod. cap.* 17. Quod vero *apud Evangeliſtas nulla de ea fiat mentio*, attamen cum D. Matthæus ſcripſerit *c.*4.24.: *Abiit fama ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes.* cur dici nequit, Abgarum Syriæ Principem graviter decumbentem opem rogaſſe a Servatore noſtro adeo fama celebri, cui Chriſtus dignatus ſit ſolatium præbere, data ad eum Epiſtola, & propria effigie? Tametſi vero a Chriſto miſſa non fuiſset, erat tamen ipſius Chriſti Imago, & hæc perantiqua, quam Edeſſeni credebant a Chriſto veniſse, quod profecto ſufficit pro vetuſtate, & cultu Imaginum.

90. De ſacra Sindone, & Sudario ſic blateras *pag.* 461.: *Authenticum amplius non eſt, quod de ſancto Sudario dicitur. Primus qui de hac re ſermonem habuit, Epiſcopus qui-*

dam

dam fuit ann. 1474. Antea vero de eo locutus fuerat nemo? Sed tres Evangeliſtæ, Matthęus, Lucas, Joannes, ante ann. 1474. non ſcripſerunt? D. Matth. 27. 59. ſcribit: *Et accepto corpore Joſeph involvit illud in Sindone munda.* Idem profert D. Lucas 23. 5., & Cap. 24. 12. addit, D. Petrum in Sepulcro *vidiſſe linteamina ſola poſita, & abiit, ſecum mirans quod factum fuerat.* D. Joannes ait: *Acceperunt corpus Jeſu* (19. 40.), *& ligaverunt illud linteis.* Inſuper *cap.* 20. 7. ſubdit, quod Petrus & Joannes venientes ad Sepulcrum, viderunt *linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum.* Igitur Evangeliſtæ teſtantur, Chriſti corpus in *Sindone*, ſive linteamine fuiſse involutum, & caput ejus Sudario coopertum. Ergo non Epiſcopus quidam de hac re primus ſermonem habuit; neque Beda *Lib. de locis Sanctis cap.* 5. primus fuit, qui de *Sudario* mentionem fecerit. Mitto quæſtionem, de qua diſputas, num idem ſint *Sudarium*, *& Sindones*; diſtincta enim hęc ſuppono, quemadmodum D. Joannes præcitatus tradit. Verum tamen eſse non concedo, Baronium *ad ann.* 34. *num.* 138. de hac re loquentem nullum magni momenti auctorem citare, etenim quod omnia Paſſionis Chriſti inſtrumenta generatim ſervata fuerint velut trophęa redemptionis humanę, teſtes invocat Gregorium Turonenſem *de glor. mart. cap.* 7., & Bedam *de locis Sanct. cap.* 20. Circa vero *Sudarium* Bedam nominat. De Sindone vero tractantem introducit Marianum Scotum *in Chronico ad ann.* 39. Porro ſi quęſtio tota ſit, quomodo præfata Sindon Taurini habeatur, videantur auctores id pertractantes; etenim me Picenine provocas ad majoris momenti quæſtionem, dum ais: *Verum hæc nihil reſpectu Idololatriæ. Franciſcus Panigarola ſuam adorat Sindonem, & ego Dominum meum adoro.* Ponamus, Taurini Sindonem ſive Sudarium veneratum Romæ, vel alibi, eadem linteamina eſse quibus involutum fuit ipſum cruentum corpus, & caput Jeſu jam mortui. Hæc pretioſiora pignora ſunt redemptionis noſtræ, nec ipſis oſcula dare licet, atque tam ſacra ſalutis noſtræ pignora venerari nefas erit? Veſtes Joſeph ſanguine tinctas dum aſpexit Jacob, tactus eſt dolore cordis, & triſtitia magna, quia diligebat eum valde, *Geneſ.* 37. 33. Veſtes autem Chriſti, propter noſtram ſalutem pretioſo ſanguine conſperſæ, nec unam piam lacrymam merentur excitare?

§. X V I.

Refutantur varia quæ in Triumpho Picenine ſparſit.

91. IN tuo Triumpho *pag.* 295. Picenine prætendis, quod *P. Semery probet, per Imagines Chriſtum adorare, ſpeciem eſſe cultus a Deo præcepti, & ab Eccleſia omnibus ſeculis retenti: hoc autem eſſe potiſſimum quæſtionis momentum.* Prius oſtende, per Imagines Chriſtum adorare, ut nos facimus, cultum eſse a Deo vetitum, nullo ſeculo frequentatum, vel ſaltem antiquis temporibus fuiſſe damnatum. Sic inſtare adverſum te didici a Tertulliano, qui quæſtione orta, num Chriſtiano militi Dei præcepto prohibitum eſset coronam caſtrenſem capiti imponere, in libro *de corona militis cap.* 2. aſserit, contrariam partem exigere ubi ſcriptum ſit ne coronemur, ſe vero petere ubi ſcriptum ſit ut coronemur: *Facile eſt ſtatim exigere, ubi ſcriptum ſit ne coronemur? At enim ubi ſcriptum eſt ut coronemur? Expoſtulantes enim Scripturæ patrocinium in parte diverſa, præjudicant, ſuæ quoque parti Scripturæ patrocinium adeſſe debere. Nam ſi ideo dicitur coronari licere, quia non prohibeat Scriptura; æque retorquebitur, ideo coronari non licere, quia Scriptura non jubeat. Quid faciet diſciplina? Utrumque recipiet, quaſi neutrum prohibitum ſit? An utrumque rejiciet, quaſi neutrum receptum ſit? Sed quod non prohibetur, ultro permiſſum eſt. Immo* præ-

prohibetur quod non ultro eſt permiſſum? Qui non vult eſse permiſsum niſi quod ſcriptum eſt, & prohibitum quod ſcriptum non eſt, reſpondeat Tertulliano. Si in Imagine Chriſtum colere ſcriptum non eſt, ubi Chriſtum in Imagine non adorare ſcriptum eſt? Si ideo dicitur adorari non licere, quia Scriptura non jubeat, æque retorquebitur ideo adorari licere, quia non prohibeat Scriptura.

92. Sequitur Tertullianus: *Et quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus, habentes obſervationem inveteratam, quæ præveniendo, ſtatum fecit? Hanc ſi nulla Scriptura determinavit, certe conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de Traditione manavit.* Legatur ſequens *Caput* 3., ubi Tertullianus oſtendit, in Eccleſia plurima fieri, quæ Scriptura non præcepit, ſed conſuetudo introduxit, invexit Traditio. Ad hæc. D. Baſilius *de Spiritu Sancto cap.* 27. ſcribit: *Dogmata, quæ in Eccleſia ſervantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex doctrina Apoſtolorum, ad nos delata, in myſterio recepimus.* Conſuetudo igitur adorandi Deum, Chriſtum, & Sanctos per Imagines, inveteratam habet obſervationem in myſterio receptam ab Eccleſia, tanquam piam, ac utilem, quam Deus nec jubet, nec prohibet, quemadmodum aliæ plurimæ in Eccleſia ſunt conſuetudines Traditione introductę: *Harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum (ibid. cap. 4.) ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Atque hoc perpetuo conſtanterque aſſerui, nimirum, *uſum Imaginum diſciplinam eſſe, non dogma. Liberum Eccleſiæ fuit ipſis uti, vel non uti, ſicut liberum ipſi eſſet uſum dimittere, ſi bonum ſibi videretur.* Sed non hic eſt controverſiæ cardo inter nos, et Proteſtantes. Res eſt, nos aſserere licitum, pium, ac utilem eſſe Imaginum uſum; ipſi vero contra aſſerunt illicitum eſse, nocivum, et impium. Quare quæſtio non eſt circa *diſciplinam*, ſed circa *dogma*. Illa libera eſt, hoc neceſsarium. Si *in Eccleſia priorum temporum rarus fuit Imaginum uſus*, Idololatria, quæ tunc exterminabatur, cautos faciebat Chriſtianos illos, ne Gentibus, Hebręiſque videretur Idololatria immutari, non deſtrui. Tyrannorum perſecutiones quemadmodum publicum Templorum uſum impediebant fidelibus, ita et Imaginum.

93. *Gregorius I. Imaginum cultum damnabat: Gregorius* II. *ipſum imponebat.* Ita in Triumpho *pag.* 296. Circa mentem Gregorii I. ſatis jam dixi num. 15. 16. & 17. Nihil enim diſtat a Gregorio II., bene vero a Proteſtantibus, dum ille nollet Imagines conteri, iſti vero eas frangant. Volebat in Eccleſiis eſse ſaltim ad idiotarum doctrinam, Calviniſtæ autem eas non permittunt, illum dicentes *ignarum in ſchola Spiritus Sancti.* Si non velle Imagines ſcindi, non infert velle eas adorari, minus certe infert velle non adorari. Semery ait, ex eo quod ſcindi nollet, inferri, quod *vellet ipſis reverentiam haberi*; ergo Gregorius hanc nobis cauſam obtinet contra adverſarios, qui nullam ipſis reverentiam habent. Equidem, quod reverentia alicui rei pręſtetur, *non inde ſequitur eam adorari*; attamen ſequitur rem illam honore dignam eſse ſaltim civili. Ergo qui vult rei ſacræ reverentiam haberi, judicat hanc honore ſacro, ac religioſo dignam eſse: & quemadmodum qui Euchariſtiam injuriaret, & conculcaret, apud te etiam ſacrilegii reus eſset, quia ſecundum te conculcaret ſigna Corporis Chriſti, ita qui Imaginem Chriſti Crucifixi offendit, ſacrilegus habendus eſt.

94. Gregorius II., ſi te audiamus, *ignarus fuit.* Sic ais Apolog. *pag.* 457., atque iterum in Triumpho *pag.* 300. Sed in quo ignarus apparet? Quod aſsereret *Beſeleel ex Tribu Dan, & diceret, Oziam male ſe geſſiſſe conterendo ſerpentem æneum, ponens pro Ezechia Oziam.* Gregorius minime aſserit *Beſeleel* fuiſse de tribu Dan, ſed

Eliab

Eliab, ut habetur *Exod. cap. 31. verſ. 6.* En Gregorii verba: *Beſeleel, inquam, & Eliab ex prima tribu Dan;* ubi hæc verba *ex prima tribu Dan*, referuntur ad *Eliab*, non ad *Beſeleel*, quem optime noverat Gregorius non ex tribu Dan fuiſſe, ſed ex Tribu Juda, quemadmodum legitur *Exod. 31. 2.* Baronius ad *ann. 726. num. 28.* Gregorii Epiſtolam late refert, & notat, locum illum in Græco textu fuiſſe depravatum, cum credibilis non ſit tam pinguis error apud Gregorium in re adeo nota, ſumendi ſcilicet *Oziam* pro *Ezechia*, & reprehendendi factum in Scripturis commendatum, cum reſpondendi modus non deeſſet, ſcilicet, Ezechiam æneum ſerpentem contriviſſe, quia Hebræi quaſi Deo thura ipſi cœperant adolere. Poſtquam autem Gregorium in omni ſcientia jejunum oſtendere Picenine ſtuduiſti, audes etiam omni ſanctitate vacuum eum vocitare dicens, *pugnaſſe contra Longobardos, ob caſtrum ſibi uſurpatum: quo bello ingens ſanguinis effuſio facta eſt.* Cumarum a Longobardis proditorie, & contra datam fidem Urbe capta, Gregorius invaſores monuit, contra jus ſublatum Eccleſiæ reſtituere, dona etiam ultro promittens, ſi pacifice fieret. Neglectus, cenſuras adhibuit; quæ pariter cum contemptui haberentur, Neapolitanis ſubſidium ferentibus, uſurpatores ejecit. Ita Anaſtaſius. Quid porro Gregorius debuit facere? Cum unicuique licitum ſit ſua ſibi vindicare, uni Eccleſiæ id erit illicitum, poſt adhibitos modos omnes, etiam placatiores? Tuum eſt Picenine ſic loqui, ut pſeudoreformationis tuę patrimonio Eccleſiæ impinguatę latrocinia defendas. Lex plane morum ſanctiſſima, nimirum cum non liceat aliena rapere, licitum ſit Eccleſiam prædari, quin Eccleſiæ liceat deprædata repetere. Taces Gregogorii zelum in propaganda fide per univerſum Orbem; accerſito quippe Bonifacio, ipſum miſit in Alemanniam ad prædicandum Evangelium, & ad confirmandos in fide recenter converſos. S. Corbinianum conſecravit Epiſcopum Friſingæ, eoque cum facultate remi-

ſit annuntiandi Evangelium. Tibi tamen homo *vulgaris, ignaruſque* videtur, quia Leonis Iſauri impietatem adverſus ſacras Imagines repreſſit.

95. Ad explicandum cultum, qui Imaginibus exhibetur, P. Semery hanc phraſim adhibet, ſcilicet *de relativa adoratione Imagini debita religionis cauſa, reſpectu prototypi ad quod refertur.* Reſpondes in Triumpho *pag. 302.*, hanc, & *hujuſmodi diſtinctiones confundere ſuorum Scholaſticorum cerebrum.* Sed tuorum Proteſtantium dicere debueras, dum hæc diſtinctio iſtorum errorem ad evidentiam oſtendat, ſiquidem *cultus abſolutus* tribuitur cui de ſe cultus debetur, relativus vero cui ratione alterius honor defertur: quocirca Imaginem adorare relativo cultu, idem eſt, ac eam adorare non ex eo quod ipſa eſt, ideſt quatenus opus manuum hominum, ſed ex eo quod repræſentat. Hinc accidit, picturam Dęmonis imaginem præſeferentem in deteſtatione haberi, quanquam opus ſit artis excellens, quique eam coleret, impiiſſimus haberetur; e contra vero Deiparæ Virginis Imaginem coli, etſi rude, & impolitum opus ſit. Res tamen eſt, quod diſtinctio hæc recte intellecta, evertit totam illam idololatriæ machinam, quam noſtro Imaginum cultui ſtudes imponere. Nec valet dicere, *hac ratione doctrina quamlibet creaturam poſſe adorari; magiſque adorari poſſet Stella a Deo facta, quam Imago facta ab homine.* Quamvis enim creaturæ omnes Deum repræſentent, non tamen ſemper ſub hac repræſentatione conſiderantur, neque ſub hoc charactere accipiuntur; ideoque non ſemper, & abſolute ſunt adorandæ. At Imago, utpote unice poſita ad repræſentandum, de ſe habet quod repręſentet, idcirco de ſe habet quod adoretur, cultu tamen ſe referente ad prototypum. Hinc Abraham, & Lot non quemlibet ſibi occurrentem hominem adorarunt, ſed Angelos, qui in occurſum eorum venerunt ſub ſpecie hominum, quia noverunt eos divino charactere, & imagine eſſe inſignitos. Ita nos non lignum quodlibet adoramus, ſed ſignum

Crucis ex ligno factum; non omnes tabulas, non colores, non Imagines omnes veneramur, ſed illas tantum, quæ Dei qualis hominibus apparuit Imaginem præſeferunt, ſive Virginis, ſive alicujus Sancti. Reminiſci Picenine deberes doctrinæ ſæpius a te ex D. Auguſtino repetitæ, talem ſcilicet eſse relationem, tantamque affinitatem inter ſignum, & ſignatum, imaginem, & prototypum, quod frequentiſſime confuſe accipiantur, atque unum alterius nomine appelletur. Sic D. Auguſt. *Lib.* 2. *ad Simplic. qu.* 3. monet, nomine Samuelis Scripturam appellare phantaſma viſum a Saule, *quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum ſunt imagines, ſicut omnia quæ pinguntur, atque finguntur ... & omnes fere imagines, earum rerum, quarum imagines ſunt, appellari nominibus ſolent. Quis eſt enim, qui hominem pictum dubitet vocare hominem? &c.* Hac doctrina duce, in articulo Euchariſtiæ, Scripturæ & Patrum teſtimonia interpretatus es, quæ realem præſentiam Corporis Chriſti confirmabant, inde ſtatuens, quoties Euchariſtia dicitur *Chriſti Corpus, id fieri ex ſimilitudine ſigni ad ſignatum, cujus cauſa Sacramenta ipſarum rerum nomen accipiunt.* Sic in *Apolog. pag.* 362., & alibi. Qua poſita doctrina, quam Auguſtini tradis, & tu amplecteris, attenta ſimilitudine ſigni ad ſignatum, imaginis ad prototypum, ſignum ſignati nomine, vel imago nomine prototypi appellatur; atque attenta hac eadem convenientia, Imago adoratur eodem cultu, qui prototypo datur: neque diſcernendus eſt cultus Imaginis Chriſti ab ipſo Domini Jeſu, niſi quatenus iſte ratione ſui, illa vero ut eſt hujus repręſentativa adoratur. Ecce abſoluta, & relativa adoratio, quam arcanum eſse vociferaris, cum re vera ſit ipſa meridiana luce præclarior.

96. Non capio quæ cauſa ſit querelarum, quas Triumph. *pag.* 302. fundis, inquiens, *Romanam Eccleſiam neque in minimo unquam concedere velle, neque Regibus, Cæſari, Galliarum Regina, Duci Bavariæ, Catholiciſque multis hanc largiri gratiam, qui plures novos ritus petebant abrogari. Suaſa omnino erat de novitate plurium rituum, & tamen, ut alibi probavimus, reformationem petentes noluit audire.* Si de ritibus cultus Sanctorum, eorumque Imaginum loquaris, non hi novi ſunt, ſed perantiqui, neque ullus Catholicus unquam petiit iſtorum abrogationem. Si vero de aliis ritibus ſermonem habeas, clarius loqui debueras, indicando quinam iſti ſint. Quod ſi, ut ſupponis, alibi de his locutus ſis, me reſpondiſse certiſſime teneo. In regionibus ſub dominio Cæſaris, Regis Galliarum, & Ducis Bavariæ, iidem ritus nunc ſervantur, qui ante pſeudoreformationem habebantur: quamobrem falſum eſt, Cæſarem, Galliarum Regem, & Bavariæ Ducem petiiſse abrogari; vel ſi id poſtularunt, ab Eccleſia Romana poſtea inſtructi, noverunt juſta non eſse quæ poſtulabant, æquum autem eſse *Romanam Eccleſiam omnium Magiſtram venerari.* Quod ſi ęquum tibi minime videatur quod Romana Eccleſia omnium Magiſtra habeatur, æquum fortaſſis videbitur Genevenſi, vel alteri ex pſeudoreformatis Eccleſiis hoc magiſterium deberi? Romana Eccleſia magiſterium ſuum probat ex perpetua omnium ſeculorum Traditione, cujus teſtes ſunt Irenęus, Tertullianus, aliique jam opportune laudati. De magiſterio autem Genevenſis, vel pſeudoreformatarum Eccleſiarum, ubi documentum, ubi fides, ubi teſtimonium? Eccleſia Romana in ſuis dogmatibus & fide indefectibilis ſemper fuit, ut oſtenſum eſt Tom. II. Part. I. art. II., & Part. II. art. III., & quemadmodum apoſtaticæ ſemper habitę fuerunt Eccleſiæ illæ, quæ doctrinis Romanæ Eccleſię contradixerunt, ita apoſtaticæ ſunt Proteſtantium Eccleſiæ, quæ ipſi opponuntur in dogmate cultus debiti ſacris Imaginibus.

97. Triumphi *pag.* 304. prætendis, *Aſiaticas Eccleſias pueritatem cultus diu ſervaſſe, Imagines non adorando, quas nec in Eccleſiis eſſe permittebant.*

bant. Ad cujus evidentiam hoc unum ſufficiat, quod cum vulgatum eſſet, Paulum, & Macarium in locum eſſe conventuros, ubi res divina celebrabatur, ibique Imaginem collocaturos in altari, Donatiſtæ dixerunt, ibi communicantes, rem exſecrabilem ſuſcepturos. Pauli tamen, & Macarii adventus falſi rumoris famam manifeſtavit. Nullam poſuere Imaginem, & Chriſtianorum oculis horrendum nihil apparuit. Ita Optatus Milevitanus *Lib. 3. de Schiſm. Donat. verſ. finem: Nihil viderunt Chriſtiani, quod horrerent, nihil probavit adſpectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Viſa eſt puritas, & ritu ſolito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt.* Et tandem concludis: *Non tantum Donatiſtarum judicio, ſed & Chriſtianorum, unius Imaginis præſentia exſecrandum faciebat Sacramentum.* Sed cujus Imago tam exſecrabilis in eo ſacro loco? Nunquid Dei, Virginis, vel alicujus Sancti? Non equidem, ſed profana Imperatoris Imago, ut Optati textus ab omnibus explicatur. Mos erat Paganos Imperatores ad Provincias & Urbes ſuas Imagines mittere, & ſtatuas, quæ a populis cultu veluti religioſo, & quaſi Idola colebantur. Sic *in Lib. Carolinis* legitur *Lib. 3. cap. 15.* Chriſtiani Imperatores ritum hunc non admittebant, ſed Donatiſtæ ad conciliandam invidiam adverſus Catholicos, hanc calumniam promulgarunt, nimirum Paulum, & Macarium a Conſtante miſſos, qui ſuper altare ſacrificii ejus Imaginem collocarent: *Dicebantur* (ea Optati verba) *enim illo tempore venturos Paulum, & Macarium, qui intereſſent ſacrificio, ut cum altaria ſolemniter aptarentur, proferrent illi Imaginem, quam primo in altari ponerent, & ſic ſacrificium offerretur.* Hoc Chriſtianis omnibus horrendum viſum eſt, quemadmodum, teſte Joſepho Hebræo *Lib. 2. de bello Judaico cap. 8.*, Hebræi omnes horrore concuſſi ſunt, dum Pilatus Jeroſolymam introducere Cæſaris Imaginem intentaret, atque horrendum ſane Catholicis etiam Romanis videretur, ſi in altari in quo celebrantur myſteria, profana Imago adoranda collocaretur.

§. X V I I.

De Chriſtianorum Templis, & Martyrum Sepulcris.

98. PAter Segneri aſſerit, *cultum quem Eccleſia Templis exhibet, omnibus ſeculis fuiſſe retentum*, tu vero negas in primordiis Eccleſiæ Templa exſtitiſſe. Calvinus tamen ipſorum uſum approbat, & neceſſarium eſſe judicat, *Lib. 3. Inſt. cap. 20. §. 30.* E contra tu primos Chriſtianos, & Apoſtolos, ſine Templis fuiſſe blateras Apolog. *pag. 461.*, inquiens: *En Chriſtiani falſiſſimum ſuppoſitum! Apoſtoli qua habebant Templa? Hæc invenire neſcio in hiſtoria.* Apoſtoli ergo, & primi Chriſtiani, ſi non habebant Templa, ſed ubique indiſcriminatim conveniebant, ubi opportune id facere poterant, quid pſeudoreformati tam avidi ad ea imitanda, quæ ab Apoſtolis, & a primis Chriſtianis ſervabantur, Templa haberi ferunt, ad orandum aperta? Quare pſeudoreformator Calvinus hæc permittit, & mandat? Si Apoſtoli Imagines non habebant, ſed Deum adorabant in ſpiritu, & veritate, & nos reprehenſione digni ſumus, quod ipſarum uſum admittamus, pſeudoreformatio ipſa reprehenſione digna erit, quod Templa habeat, cum prima Eccleſia nulla haberet. Sed nimium conſtat ex D. Paulo, Chriſtianos Eccleſias habuiſſe; etenim conquerebatur de Corinthiis (1. *Cor.* 11. 18.): *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Si Eccleſias non habebant, quid eos redarguens ait: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Si Eccleſiæ non erant, ſed indiſcriminatim ubique conveniebant, quid præcipit (1. *Cor.* 14. 34. 35.): *Mulieres in Eccleſia taceant ... Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent?* Eccleſia hæc a D. Paulo domibus contrapoſita, ſane indicat non ubique indiſcriminatim Chriſtianos

Digitized by Google

conveniſse, ſed ſtatutum locum habuiſse, nempe Templum. Quod autem D. Paulus (*Act. 19. 9.*) *per biennium prædicaret in ſchola cujuſdam Tyranni*, ſive, ut Vulgata habet, *diſputaret*, non id probat Chriſtianos Epheſi non habuiſse Ecclesiam, vel Templum, ſive locum aliquem ad orandum deſtinatum, in quo recenter converſi in myſteriis ſacris communicarent. Conciones ubique haberi poſsunt, & Paulus, qui prædicabat ut Gentes converterentur ad Chriſtum, non in Eccleſia prædicare debebat, quo ſoli fideles conveniebant, ſed pro ſermonibus, & diſputationibus ſuis loca illa procurare debebat, quæ omnibus ad audiendum paterent. Hinc quemadmodum ad Hebræorum converſionem in *Synagoga* prædicavit, ut in Actibus Apoſtolorum ſæpe legitur, ita in ſchola Tyranni prædicavit, quo conveniebant Gentes; & hoc ad imitationem Chriſti, qui non in *Templo*, ſed ubi opportunum eſse videbat, ibi prędicabat.

99. Non hìc de *Templis* loquor rite conſecratis, sive erectis in memoriam Stephani, vel aliorum, ſed de Templis generatim. Videris concedere, primævos Chriſtianos *Arnobii temporibus quadam habuiſſe loca, ad quæ veniebant ſacra ſua celebraturi*; ſed negas, *Templa illa ritu ſolemni conſecrata eſſe, & Arnobius non Templi nomine, ſed Conventiculorum appellatione ea nominabat. Ita Lib. 4. contra Gentes: Vos tanquam impietatis crimen nobis imputatis, quod Templa non ædificemus, nec Deorum imagines in ipſis collocemus: quod altaria non erigamus: quod ſacrificia ipſis non offeramus. Quid Templa Diis proſunt?* Sic Apolog. *pag.* 462. Reſponderi poſset, quod Arnobius, dum libros ſcriberet adverſus Gentiles, nondum callebat ritus, & vocabula Chriſtianorum, atque ex antiquioribus quoſdam abſtinuiſse a vocabulo Templi pro iis locis, in quæ ſe congregabant fideles; & quia intenti erant ad everſionem Paganiſmi, & Judaiſmi proſcriptionem, *Templa*, & Sacerdotes nominare cavebant, ne ipſis nominibus viderentur in eadem re cum Hebræis, & Gentibus convenire: quare potius *Eccleſiæ* nomen uſurpabant, quæ propriæ cœtum ſignificat. Ita Tertullianus in Libro *de Idololatr. cap.* 7., ubi quod Gentes *Templum* dicebant, ab ipſo *Eccleſia* appellatur, *& domus Dei, in qua altare eſt, & ſacrificium de Orat. cap.* 14.; & ante Tertullianum idem præmiſerat D. Irenæus *Lib.* 4. *cap.* 34. §. 18. Nihilominus ſi *Eccleſiarum*, & *Templorum* nomine intelligas *patentes Baſilicas*, facile dabo, fideles priorum temporum eas non habuiſſe, quod a Tyrannis, & Perſecutoribus impedirentur. Eorum autem Eccleſiæ erant domus, vel cœnacula, aliquando etiam catacumbæ, & ſecreta cœmeteria, in quæ conveniebant ad orandum, quando alibi ſe congregare nequibant. Verum id minime probat, ſacra loca non habuiſſe deſtinata ad divinum cultum. Gentes ipſæ contra te teſtimonium praſtant, ſiquidem Lucianus, Apoſtolis coævus, in ſuo Philopatro cujuſdam Critiæ meminit ad ſacratum locum introducti, ut Chriſto nomen daret. Ælius Lampridius in ſuo Alexandro Severo, reſcriptum refert hujus Imperatoris pro Chriſtianis contra propinarios quoſdam, qui ipſis certum locum contendebant ad uſum Eccleſiæ, vel Templi: *Cum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra propinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit, melius eſſe ut quomodocumque illic Deus colatur, quam propinariis dedatur.* Apud Flavium Vopiſcum in Aureliano, legitur monumentum pro Eccleſiis Chriſtianorum, in reſponſione Aureliani ad Senatum: *Miror vos Patres Sancti tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in Templo Deorum omnium tractaretur.* Habebant igitur priorum temporum Chriſtiani ſacra loca ad Dei cultum deſtinata, a profanis locis diſtincta, quanquam *Templa* ea non appellarent ſicut Ethnici, ſed *Eccleſias*. Quid refert in hac re tem-

pus

pus terere, ſi D. Paulus apertiſſime id aſſerat?

10. Subjicis pag. 462.: *Si Chriſtiani in illis ſeculis Templa habebant Altaribus plena, & Imaginibus populata, cur Arnobius non ea indicabat? Quare Ethnicis non reſpondebat: Vos heroes veſtros Templis honoratis, nos Templis honoramus noſtros Martyres?* Arnobii ſilentium non evincit Templa non exſtitiſſe, ſaltim in abſcondito. Scribebat is nondum Catechumenus, agebatque de re non ſibi perſpecta, cum inter Chriſtianos magnifica illa Gentilium Templa non videret, quare nulla extare putabat: in quo fallebatur, ſiquidem Diocletianus, ſub quo vixit, in primo edicto adverſus Chriſtianos, inter cetera mandavit eorum Eccleſias omnes exterminari, apud Euſebium *Lib. 8. Hiſt. cap. 2.: Propoſita ſunt ubique Imperialia edicta, quibus Eccleſia quidem ad ſolum uſque dirui, ſacri vero codices flammis abſumi jubebantur.* In memoriam Martyrum, ante Arnobii tempora, ſacrificia. & oblationes fiebant, ut refert D. Cyprianus *Epiſt.* 34. & 37., & tamen Arnobius ſcribit: *Non eis ſacrificia offerimus.* Si Templa in memoriam Martyrum ipſe non vidit, Manichæi tamen viderunt, & Fauſtus apud D. Auguſtinum Chriſtianis id exprobrabat *Lib. 20. contra Fauſt. cap. 4.*, cui S. Epiſcopus reſpondebat ut infra dicemus. Tot erant Templa in Martyrum memoriam, quod per agros viderentur diſſeminata; hinc Carthaginenſe Concilium V. Seculo IV. celebratum *Canone* 14. mandavit: *Ut altaria, quæ paſſim per agros, aut vias, tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt (ſi fieri poteſt) evertantur, & omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptatur, niſi aut ibi corpus, aut aliqua certa reliquia ſint.* Porro ſi tam frequentia erant Oratoria, ſive Martyrum memoriæ Seculo IV., ſignum eſt tunc non incœpiſſe Templa fieri in eorum honorem, ſed Seculis jam præcedentibus introductum fuiſſe hunc religioſum cultum. Nunc ad te redeo. *Arnobius*, ais, *non reſpondebat Gentilibus: Nos habemus Templa in honorem noſtrorum Martyrum; vos autem in honorem Junonis, Minervæ, Herculis.* Si hæc non dicebat Arnobius, dicebat tamen Fauſtus Manichæus, de quo D. Auguſtinus *Lib. 20. cont. Fauſtum cap. 21.: Nam quod etiam hinc nobis calumniatur Fauſtus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos Idola convertiſſe, non tam me movet.* Legantur etiam quæ ſæpius advertit *cap.* 23. ubi refutans comparationem inter Gentiles, & Chriſtianos, ſcribit: *Etſi uſus quarundam rerum ſimilis videtur nobis eſſe cum Gentibus . . . longe tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem uſum eorum refert, & aliter ex his Deo gratias agit, de quo prava, & falſa non credit . . . ita & nos in his, & in aliis, quæ ſimiliter ſumimus, non ſimiliter cum Gentibus vivimus, eaſdem res non ad eundem finem referendo.* Videri etiam poteſt Liber 22. *de Civit. Dei cap.* 10. circa ea quæ oppones de noſtris *e Templo in Templum concurſibus*, ut Deum adoremus, & Virginem Sanctoſque veneremur: *Illi* (Gentiles) *talibus Diis ſuis & templa ædificaverunt, & ſtruxerunt aras, & Sacerdotes inſtituerunt, & ſacrificia fecerunt: nos autem Martyribus noſtris, non templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro.* Ita Auguſtinus ſcribebat circa IV. Seculi finem, in quo vivebat Arnobius.

101. Non te pudet eaſdem nobis calumnias opponere, quæ Manichæus opponebat. Sed frons tua non erubeſcit; hinc pergis dicens, Bellarminum *de cultu Sanctorum cap.* 4. velle quod *Deus magis ſit in Templis, quam alibi*, atque in decreto *part. 3. diſt. 1. Can. omnes*. deſcribi ritum conſeſecrandi Eccleſias, luſtrali aqua aſpergendo

gendo fundum ſuperſtruendi ædificii, circumſcribendo ipſum Crucibus, & olei effuſione; deinde clamas, *tandem nos celebrare Miſſam, qua Templa omnia conſecrantur*. Aſt Jacob loquens de loco illo, in quo cæleſtis viſio ſibi apparuit, certe exclamavit, *Gen.* 28. 16.: *Vere Dominus eſt in loco iſto ... Non eſt hic aliud niſi domus Dei*. Deus ipſe Templum dixit domum ſuam, *Iſaia* 56. 7., *Matth.* 21. 13. Quanquam autem in manufactis Templis detentus non habitat, attamen dicitur ibi inhabitare; hinc Salomon poſt ędificatum Templum 3. *Reg.* 8. 12., inquit: *Ædificans ædificavi domum in Tabernaculum tuum*. Anima autem juſti cum ſit ſpirituale Dei Templum, D. Paulus de ipſa ait (2. *Cor.* 6. *verſ.* 16.): *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis.* Chriſtus pariter loquens de juſto, ait *Joann.* 14. 23.: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Reliquum eſt ut videamus, cur male habeantur Eccleſiæ *dicata, & conſecrata*. Sane Moyſes Tabernaculum, & Altare ſolemniter dicavit, *Num.* 7. Deinde Salomon, ædificato Templo 2. *Paralip. cap.* 7., Eſdras *Lib.* 1. *cap.* 6., & Machabęi (1. *Machab.* 6.) eodem reparato, conſecrarunt. Quod ſi in lege veteri hæc bona eſſe videbantur, cur non in nova Chriſti, ſiquidem iſta ad *cæremonialem* Synagogæ legem minime pertinebant, ſed potius ad moralem? Si Templa habere devota, & ſacra, Judaiſmi religio eſt, hæc pariter erit Templa habere manufacta, quanquam non dicata, nec conſecrata. Conſtantinus autem inter Chriſtifideles magnus habetur, quod magnifica erexit publica Templa, & Baſilicas, & ſolemniter ea dicavit, concurrentibus, ex remotioribus etiam regionibus, plurimis Epiſcopis. Ita Euſebius *Lib.* 10. *Hiſt. cap.* 3., Nicephorus *Lib.* 7. *cap.* 40 In dedicatione Templi, quod Jeroſolymis excitaverat anno 30. Imperii ſui, Epiſcopos quotquot Tyrum Synodi cauſa convenerant præſentes eſſe voluit, cujus pompam deſcribit Euſebius *Lib.* 4. *de vita Conſtant. cap.* 40. 43. Si id erat Eccleſiam *Judaicis ritibus* maculare, & novus uſus introducebatur extraneus a primis Eccleſiæ ſeculis, Sancti illi Epiſcopi convenire minime debuerant, immo Conſtantinum potius monere, & ab inceptis diſtrahere. Memor eſto Picenine, axioma eſſe ab Eccleſiis etiam tuis receptum, non eam in ritibus exigendam eſſe convenientiam, quod iidem ſemper ubique apud omnes Eccleſias extiterint, ſicut in præfatione Helveticæ tuæ Confeſſionis legitur: *Semper enim hac in re*, ſcilicet in ritibus, & cæræmoniis, *Chriſti Eccleſiæ uſæ ſunt libertate*. Quare etſi ritus conſecrandi Eccleſias ab antiquo differret, non idcirco damnandus eſſet: ſed tantum diſtare non video. Solemnis dedicatio Jeroſolymitani Templi, quod Conſtantinus erexit, non abſque incruentis ſacrificiis celebrata fuit, & preces, ſermones, Miſsæ non defuerunt. Non id negabis, ſi Euſebium legeris *Lib.* 4. *de vita Conſt. cap.* 45., ubi poſt narratos ſacros ritus hac de cauſa celebratos, ſubdit: *Qui vero ad hæc aſpirare non poterant, incruentis ſacrificiis, & myſticis immolationibus Deum placabant.* Eadem & nos facimus. Videatur Bellarminus *Lib.* 3. *de cult. Sanct. cap.* 3., & Joannes Baptiſta Caſalius *De Sacr. Ver. Chriſtian. ritib. part.* 3. *cap* 33.

102. Non inficiaris, Templa a Conſtantino erecta fuiſse auguſtiſſima per univerſum Chriſtianum Orbem, ſed animadvertis *pag.* 463., Euſebium in Oratione *de laudibus Conſtantini* dicere, *ſoli Deo Templa illa conſecraſſe, & appellata fuiſſe nomine Domini*. Ergo Templa jam erant uni Deo conſecrata. Quis porro unquam auſus eſt aſſerere, alteri quam Deo Templa dicari? Alteri quam Deo altaria erigi, & ſacrificia offerri? Sed aliud eſt, quod uni Deo, non Martyribus Templa erigantur, aliud vero, quod Deo Templa excitentur in memoriam Martyrum. Euſebius citato loco primum aſſerit, ſed alterum non negat, immo expreſſe id tradit *Lib.* 4. *de vita*

Con-

Conſtant. cap. 57. 59. 60. Porro ſi *Lib.* 3. *de vita Conſtant. cap.* 48. legiſſes, compertum haberes, a Conſtantino plurima Oratoria erecta fuiſſe Deo in memoriam Martyrum: *Plurimis eam Oratoriis exornavit, ampliſſimiſque martyriis, & ſplendidiſſimis ædibus, partim in ſuburbiis, partim in ipſa Civitate conſtructis. Atque hoc modo Martyrum ſimul honoravit memoriam ſimul Civitatem ſuam ipſi Martyrum Deo conſecravit.* In ſequentibus autem ipſum deſcribit omnino intentum ut Idolis, & falſis Numinibus Civitas expurgaretur, & ſacræ Imagines, ac ſigna Crucis introducerentur. Vide Conſtantinum hinc evertentem Templa, & altaria falſorum Numinum, & Civitatem illam ab idololatræ fęcibus repurgantem, hinc Baſilicas Deo in memoriam Martyrum ædificantem, ibique Imagines, & Cruces conſtituentem; deinde conſidera qua ratione valeas noſtra Templa conſecrata Deo in memoriam Martyrum confundere una cum Templis Gentilium falſis Numinibus devotis, ſicut Imagines noſtras & ſigna Crucis cum eorum Idolis. Ais. *D. Auguſtinum probare Chriſti divinitatem hac ratione, nempe in illius honorem Templa ædificari. Si tunc temporis conſueviſſet ædificari Templa in honorem D. Stephani. D. Petri, D. Sebaſtiani, nihil valeret ratio D. Auguſtini. Vos, dicere poterant Ariani, Templa ædificatis in honorem Martyrum.* Nunquam Ariani contra inſtare potuiſſent quę tu modo inſtas, ſi recte intellexiſſent rationem D. Auguſtini, ſiquidem in collatione cum Maximo Ariano, non Chriſti, ſed Spiritus Sancti Divinitatem probat, hoc argumento: *Ceterum ſi Deus Spiritus Sanctus non eſſet, Templum utique nos ipſos non haberet ... Nonne ſi Templum alicui Sancto Angelo excellentiſſimo de lignis, & lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei, quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Si ergo ſacrilegi eſſemus faciendo Templum cuicunque creaturæ, quomodo non eſt Deus verus, cui nos Templum facimus, ſed nos ipſi Templum ſumus?* Ut ergo D. Auguſtini ratio nihil haberet virium, ab Ariano erat probandum, Templa erigi aliis devota, & ſacra, perinde ac Deo: quod a D. Auguſtino negatur *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 10. & a nobis item negatur: *Nos Martyribus noſtris non Templa ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus fabricamus.* Templa quæ S. Stephani, S. Petri, S. Sebaſtiani a nobis appellantur, non iſtis erecta ſunt, ſed Deo ſoli ſacra, devota, & ſacra in honorem, & memoriam horum famulorum ſuorum, qui pro orantibus in huiuſmodi Templis ſpeciatim intercedunt. Sic a D. Thoma pariter docetur 2. 2. *qu.* 85. *ar.* 2. *ad* 3. ubi cum D. Auguſtino *Lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 27. ſic loquitur: *Non conſtituimus Martyribus Templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſane memorias eorum ... Quis autem audivit aliquando fidelium ſtantem Sacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris ad Dei honorem, cultumque conſtructum, dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre, Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo?* Templa, altaria, ſacrificia ſoli Deo fiunt, & ipſi ſoli conſecrantur, in memoriam tamen huius, vel illius Sancti, in quo glorificatus eſt Deus. Sic D. Auguſtinus, ſic nos ſecum loquimur, & profitemur. Notandum interim, modernos hæreticos in hoc Iconoclaſtas ipſos impietate vincere; tametſi enim iſti Sanctos in eorum Imaginibus venerari detrectarent, in Templis tamen in Sanctorum memoriam erectis ipſos colere non dubitabant: modernis autem, inter quos tu Picenine, parum videtur Imagines relegaſſe, niſi etiam contendant Templa deſtruere. Attende, quomodo ex Templorum uſu apud etiam Iconomachos, Damaſcenus probabat uſum Imaginum, *Orat.* 2. *de Imaginum. II.:*

Sicut

Sicut enim Sancti Patres fana, Templa quæ Dæmonum everterunt, inque eorum locis Sanctorum nomini Templa conſtruxerunt, quæ nos colimus, ſic & ſimulacra Dæmonum ſuſtulerunt, atque illorum loco Chriſti, & Deiparæ, & Sanctorum Imagines ſtatuerunt. In veteri quidem Teſtamento nec Templa Sanctorum nomini erigebant Iſraelitæ, nec hominum commemoratio feſtiva erat. Adhuc enim humana natura maledictioni erat obnoxia, & mors pœna, & ſupplicium erat, unde lugebatur, & mortui cadaver immundum habebatur, atque ille etiam qui illud tetigiſſet. Ex quo autem natura noſtra ceu medicamen quoddam vivificum, & ſalubre juncta eſt divinitas, illa deinceps facta eſt glorioſa, fuitque in incorruptionem transformata. Quapropter Sanctorum mortem celebramus, in ipſorum honorem Templa exſtruimus, eorumque pingimus Imagines. In *Tract.* autem 2. *num.* 21. ſic Leonem Iſaurum alloquitur: *Si Templa Sanctis exſtruis, eorum quoque trophæa erige. Nullum olim cujuſvis hominum nomine Templum erigebatur, neque mors iſtorum ulla celebritate celebrabatur, quin plangebatur potius ... Nunc autem Sanctorum memorias feſtivis proſequimur honoribus. Jacob mortuum planxerunt, obitus vero Stephani ſolemnis apud nos concurſu celebris eſt. Aut igitur ſolemnes Sanctorum memorias præter veteris legis præſcriptum tolle, aut illorum Imagines, quas contra legis tenorem confectas aſſeris, haberi permitte. Verum fieri nequaquam poteſt, ut Sanctorum memoria celebritate ſua careant: quippe quas ſanctus Apoſtolorum, divinorumque Patrum chorus agi præcipiat.*

102. Verum ineptias vomere nondum ſatur, adhuc garris *pag.* 463.: *Quomodo Jeſuita probat. Eccleſiam per omnia tempora Sanctorum ſepulcris cultum perſtitiſſe?* In Eccleſia veteri plura, non habebantur, quæ modo ſunt in uſu, ſicut plura nunc non habentur, quæ tunc in uſu erant. In illa Templum erat Deo devotum, & conſecratum plurimis ritibus, & cæremoniis, & Imaginibus cujuſcunque generis: modo autem nullam Imaginem habere vis in Eccleſiis tuis? Non quæro num cultus redderetur Patriarcharum ſepulcris, & Prophetarum, in Teſtamento veteri; utique dico, ſi redditum fuiſſet, religioſe, ac pie factum fuiſſet: quod dico, quia eorum ſepulcra a Deo video honorata, atque primis Eccleſiæ Seculis id video factum fuiſſe, & a præſtantiori Patrum choro probatum. Si Tertulliani ſeculo Chriſtiani ad Martyrum carceres concurrebant, ut catenas quibus ſtringebantur oſcularentur *Lib. 2. ad Ux. cap.* 4., cur eorum ſepulcra non erunt colenda, in quibus Reliquiæ cuſtodiuntur, cum primi Chriſtiani eorum catenas venerarentur? S. Cypriani ſeculo, nedum Martyrum, ſed & Confeſſorum qui Martyrium concupierant, ſingulari honore Reliquiæ habebantur, & in eorum memoriam Sacrificia fiebant, & oblationes, *Cyprian. Epiſt.* 37. Atque Smyrnenſes id antea fecerant circa S. Polycarpi cineres, quos tanta devotione collegerunt, ſicut alibi oſtenſum fuit. Porro ex honore erga Martyrum cadavera, deducitur quo honore habenda ſint eorum ſepulcra. Hæc autem, quæ inter perſecutiones privata fuerunt, & ſecreta, publica facta ſunt, & ſolemnia dum illæ ceſſerunt, nimirum Seculo VI. Hinc cœpit prædicare Chryſoſtomus *Lib. quod Chriſtus ſit Deus: Relictis omnibus, ad ſepulcra piſcatoris, & pellionis corruunt Reges, & Præſides, & Milites.* Et in *Orat. SS. Juventii, & Maximi: Sanctorum tumulos adoremus, magna fide contingamus, ut benedictiones conſequamur; etenim quæ volunt, apud Cælorum Regem impetrare poſſunt.* Ambroſius *Serm.* 91., Baſilius *Hom. in* 40. *Martyres.* teſtes omnes iſti ſunt te Picenine digniores de honore debito Martyrum memoriis, & fiducia in ipſorum interceſſione. Sed præ omnibus D. Auguſtinus *Ep.* 42., ſive 232., narratis prærogativis Eccleſiæ Chriſti ſuper idololatriam, & Idolorum ruina deſcripta, ac eorum macerie Templorum,

rum , de auguſtiſſimis Imperatoribus ſubdit : *Et Imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate ſupplicare.* Auguſtinus tractans de everſione Idolorum , auſus ne fuiſset Imperatorem ad ſepulcrum piſcatoris demiſſum deſcribere , ſi hujuſmodi cultus actus idololatricus fuiſset ? Id ſane eſſet idololatriam mutare, non eam deſtruere : quamobrem probatum manet tanquam religioſum , ac pium Martyrum tumulos colere . Enimvero quomodo ſepulcrum illud fideles venerari non debuerunt , cujus cultum tot miraculis a Deo probatum mirabantur , quæ etiam D. Auguſtinus narrat *Ep.* 137. *ſive* 78., & in *Lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8. patrata ad memorias SS. Stephani , Felicis , Gervaſii , & Protaſii ? Seculo ſexto cultus ad ſepulcra Martyrum adeo invaluerat , quod per agros in viis , locisque in quibus reconditi fuerant, retinebantur eorum memoriæ : quare coacta fuit Synodus Carthaginenſis V. modum ponere . Neque in illo dumtaxat ſeculo , ſed antea etiam ad ſepulcra Martyrum religioſi quidam conventus fiebant , quocirca Gangrenſis Synodus decreta quędam ſancivit adverſus eorum contemptores, unde *Canone* 20. legitur : *Si quis per ſuperbiam , tanquam perfectum ſe exiſtimans , conventus , qui per loca , & Baſilicas Sanctorum Martyrum fiunt , vel accuſaverit, vel etiam oblationes , quæ ibidem celebrantur , ſpernendas eſſe crediderit, memoriaſque Sanctorum contemnendas, anathema ſit.* Audiatur Nazianzenus adverſus Julianum Apoſtatam *Orat.* 3.: *Poſt Herodem perſecutor , & poſt Judam proditor ? Poſt Pilatum Chriſticida, poſt Judæos Chriſti hoſtis ? Non victimas pro Chriſto cæſas veritus es ? .... Quibus præclari honores , & feſta conſtituta ſunt : a quibus Dæmones propelluntur, & morbi curantur : quorum apparitiones , & prædicationes , quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ ſanctæ , ſive tangantur , ſive honorentur , quorum vel ſola ſanguinis gutta , atque exigua paſſionis ſigna idem poſſunt , quod corpora ? Hæc non colis , ſed contemnis ?*

104. Ais : *Ad ſepulcra Martyrum frequens concurſus fiebat , anniverſaria eorum obitus memoria celebrabatur, quæ natalis dies dicebatur. Solemniſſimum autem erat dicere : Celebrare martyrii diem natalem.* *Cyprian. Ep.* 37. *Quædam ædificia in Martyrum memoriam erigebantur . Quod tamen circa Martyres fiebat , totum tendebat ad eorum retinendam memoriam , & ad excitandos vivos ad imitationem.* Hæc igitur in veteri Eccleſia fiebant; quid non item fiunt in pſeudoreformatis? Sed & majora valde fiebant , ſcilicet ſacrificia , & oblationes , ut jam ſupra Cyprianus; Imperatores proſtrati ad eorum ſepulcra orabant, ad iſta pro gratiis impetrandis veniebant, quas & miraculis inſignes obtinebant. Audiamus Gregorium Nyſsenum *Orat. in S. Theodorum* quomodo de Sanctis Reliquiis loquatur: *Quas qui ornant , tuentur , venerantur , propinqui Sanctorum dicuntur : quas omnes cum ſummo gaudio circumſtant , benedici cupientes , ac ſecum referre , animæ , corporiſque remedia , ac perinde ac vivę eſſent , amplectuntur, & ore deoſculantur .* D. Ambroſius *Serm.* 93.: *Cur non honorent fideles , quas venerantur Dæmones ?* D. Joannes Chryſoſtomus *Hom.* 32 *in Ep. ad Rom.*: *Quis nobis det circumfundi corpori Pauli , affigi ſepulcro , videre pulverem corporis illius ?* D. Baſilius *in Pſ.* 115.: *Qui contingit oſſa Martyris , quandam ſanctificationis ſocietatem aſſumit ex gratia corpori inſidente .* Hæc, & reliqua proferunt Patres de Martyrum sepulcris, & eorum Reliquiis: hoccine autem erat *memoriam* dumtaxat ſervare? Eja tamen, ut libet . Interim antiqui ſepulcra Martyrum frequentabant , eorum obitus diem celebrabant , & magnificis ædificiis honorabant . Quare ergo rides, dum ad Sanctorum ſepulcra peregrinamur , dum in eorum memoriam feſtum diem agimus? Quare conſectarii tui Martyrum Baſilicas proſtituunt , evertunt ?

 105.

105. *Nos* (ajebat D. Auguſtinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 10.*) *non fabricamus Martyribus noſtris Templa tanquam Diis, ſed memorias tanquam mortuis hominibus*. Hæc habes Apolog. *pag.* 463. Sed & nos idem fatemur, & cum eodem S. Doctore proſequimur: *Nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui Mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur, non tamen a Sacerdote qui ſacrificat invocantur; Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoriam eorum ſacrificet*. Ergo Auguſtini temporibus, Deo Martyrum in memoriam Martyrum erigebantur altaria, immolabantur ſacrificia, in quibus Martyr a Sacerdote nominabatur, non tamen invocabatur quaſi gratiæ auctor, & largitor. Hæc omnia & nos facimus. Sed inter pſeudoreformatos ubi altare, ubi ſacrificium, in quo nominentur Martyres, ubi Sacerdos? Ergo quis Auguſtini Seculi conſuetudinem tenet? *Vos*, inquis, *cultu adoratis Martyrum tumulos. Id Divus Auguſtinus nolebat; immo ſi quempiam adorantem videbat, imperitum dicebat, & in religione ſuperſtitioſum, ſepulcrorum adoratorem, & picturarum, Lib. de mor. Eccleſ. Cathol. cap.* 34. Si attente legiſses, errorem tuum deprehendiſſes. Damnat ibi S. Doctor quorundam Chriſtianorum abuſum, qui Gentilium ritu qualecunque ſepulcrum, & imaginem adorabant. Ceterum *Lib. 6. Confeſs. cap.* 2. Matrem ſuam commendat, quod, moderatione ſervata, ad ſepulcra cibum deferebat, & poſt ſobriam refectionem reliquum dabat pauperibus. Non ergo ibi illos reprehendit, qui Martyrum tumulos cultu proſequuntur, & Imagines adorant, quę cultu dignæ ſint, ſed unice damnat indiſcretos adoratores cujuſvis ſepulcri, vel Imaginis: alias quomodo *Ep.* 42. vel. 231. proponere auſus eſset Imperatores procumbentes ante Petri piſcatoris ſepulcrum?

106. Deſiſtere poteras nos ultro Gentibus comparare, in Apolog. *pag.* 463. inquiens: *Quidquid Pagani ſuit heroibus faciebant, id & amplius Chriſtiani quoque facere volunt Sanctis ſuis*; ſiquidem hanc putidam Fauſti Manichęi calumniam D. Auguſtinus jam rejecit, & D. Hieronymus contra Vigilantium ajebat: Nos feſta habemus, & ſolemnia facimus in noſtrorum ſepulcris. Si eadem & Gentes habebant, *illud fiebat Idolis, & ideo deteſtandum; hoc fit Martyribus, & idea recipiendum eſt*. D. Auguſtinus autem Fauſto reſpondit *Lib. 20. cap. 24.*: *Qui etiam dicit nihil nos immutaſſe de moribus Gentium, neſciens quid loquatur*. Sed quid Fauſtus? Eadem quæ tu: *Solemnes Gentium dies cum ipſis celebratis, ut calendas, & ſolſtitia: de vita certe mutaſtis nihil: eſtis ſchiſma a matrice ſua diverſum nihil habens, niſi conventum*. En ex ore Manichęi tuum paradigma. Quid ad hæc D. Auguſtinus? Quod ſcilicet paria forte nobiſcum Gentes facerent, ſed fidem, ſpem, & charitatem nobiſcum non haberent, eaſdemque res non ad eundem finem referrent: *Unde fieri poteſt, ut pares cum aliquo mores habeat, qui hac tria cum illo paria non habet; ita & nos in his, & aliis, qua ſimiliter ſumimus, non ſimiliter cum Gentibus vivimus, eaſdem res non ad eundem finem referendo*. Ergo cum eodem concludam: *Ecce nos non ſumus Gentium ſchiſma, a quibus plurimum diſtamus in melius: ſed nec vos eſtis, quia plurimum ab eis diſtatis in pejus*.

107. Nos interim hac prærogativa gloriamur, quod duo illa Sanctæ Eccleſiæ Chriſti eximia lumina partes noſtras ſuſceperint. Si dicas, *barbaricum ſuperſtitionis genus eſſe Sancti oſſa exturbare, uni caput, alteri brachium, tertio pedem abſcindere, indeque religioſum cultum ipſis prabere*, noſtras aſſumit partes Auguſtinus *Epiſt.* 103. vel 213., ubi Gallam, & Simpliciolam commendat, deferentes Sancti Stephani Reliquias, quæ certe non integrum corpus erant, ſed pars

aliqua;

aliqua; addens eſse venerandas. Re vera autem minoris crudelitatis ſpeciem præſeferre videtur, caput, vel aliam corporis partem alicujus Sancti ſecernere, ad exhibendum ipſi cultum, & plurimorum explendam devotionem, ut nos facimus, quam corpora Martyrum diſcerpere, ad ea projicienda, & conculcanda, ut Calviniſtæ fecerunt. Si autem ſuſpecta, & apocrypha etiam habeas miracula ad ſepulcra Martyrum patrata, ſubdens *eadem narraſſe & Paganos de ſimulacris ſuis, quorum, ut Cicero refert (4. Verr.), illud Dianæ hic inter flammas illaſum manſit: ſi vero Gentibus fidem præſtemus, planta articulata voce Apollonium alloquebantur, dicentes falſarum Dearum imagines velle locum mutare, Valer. Max. Lib. 1. cap. 8.*, tibi reponam, hac male tua fide ſuſpectum fieri D. Auguſtinum, & inter apocrypha amandanda eſſe plurima illa miracula, quæ ipſe narrat patrata ad ſepulcrum Stephani, Gervaſii, Felicis, *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 8., Confeſſ. Lib. 9. cap. 7., Epiſt.* 537. nunc 78., *& Lib. 1. Retract. cap.* 13., inſuper etiam ea omnia, quæ referuntur facta in primordiis Eccleſię: & juxta impiam criticem tuam, miracula non amplius aſsumenda erunt tanquam argumentum veritatis religionis Chriſtianæ. Ad ea autem quæ opponis de miraculis Paganorum, pręter dicta Tom. I. Cap. de Miraculis §. 1. num. 5., reſpondet iterum D. Auguſtinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. & 11.: Hic forte dicturi ſunt, etiam Deos ſuos aliqua mira feciſse. Bene; ſi jam incipiunt Deos ſuos noſtris mortuis hominibus comparare. An dicent etiam ſe habere Deos ex hominibus mortuis, ſicut Herculem, ſicut Romulum, ſicut alios multos, quos in Deorum numerum receptos opinantur?* Hęc nimirum eſt argutatio tua. Audiatur nunc Auguſtinus: *Sed nobis Martyres non ſunt Dii, quia unum eundemque Deum & noſtrum ſcimus, & Martyrum. Nec tamen miraculis, quæ per memorias noſtrorum Martyrum fiunt, ullo modo comparanda ſunt miracula, quæ facta per templa perhibentur illorum. Verum ſi qua ſimilia videntur, ſicut a Moyſe Magi Pharaonis, ſic eorum Dei victi ſunt a Martyribus noſtris. Fecerunt autem illa Dęmones eo faſtu impuræ ſuperbiæ, quo eorum Dii eſſe voluerunt. Fecerunt autem iſta Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua nos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere credamus.* Sic D. Auguſtinus diſſerit, & tandem concludit: *Quibus igitur potius credendum eſt miracula facientibus? Eis ne, qui ſeipſos volunt haberi Deos ab his quibus ea faciunt, an eis, qui ut in Deum credatur, quod & Chriſtus eſt, faciunt quidquid mirabile faciunt? Eis ne, qui ſacra ſua etiam crimina eſſe voluerunt, an eis, qui nec laudes ſuas volunt eſſe ſacra ſua, ſed totum propter quod veraciter laudantur, ad ejus gloriam proficere, in quo laudantur?* En lata diſparitas inter miracula quæ oſtentant Gentes, & ea quæ Chriſtiani prędicant. Videatur idem S. Doctor *Lib.* 10. de *Civit. Dei cap.* 16., ubi proponit, & ſolvit quæcunque Picenine opponis; denique legatur Hugo Grotius *Lib. 22. de Verit. Relig. Chriſt.* §. 5., qui, etſi de tua ſchola, differentiam tamen docet inter miracula quæ a Paganis, quæque a noſtris narrantur.

108. Miror te adeo impudentem eſſe, quod circa miracula a Deo patrata intercedentibus Martyribus, non dubites ea referre quæ D. Auguſtinus dicebat de miraculis quę oſtentabant Donatiſtæ, *Lib. de Unit. Eccleſ. cap.* 19., quanquam referas *Lib. cont. Ep. Petil. cap.* 16.: *Removeantur iſta figmenta, mendacium hominum, vel portenta fallacium ſpirituum.* Miracula noſtra non ſunt a Donatiſtis evulgata ad aucupandam Sectæ ſuæ fidem, & quæ D. Auguſtinus rejiciebat; ſed illa eadem ſunt, quæ narrat, & approbat D. Auguſtinus patrata in teſtimonium Chriſtianæ fidei. Sed magis obſtupeſco, auſum te hoc dilemma ex ore Auguſtini proponere: *Aut vera non ſunt hæc miracula, aut ſi vera ſunt,*

ab ipſis cavendum eſt, quia ad falſa dogmata confirmanda proferuntur; etenim quomodo Deus verum miraculum ordinare poteſt ad comprobandum falſum dogma? Enimvero hoc eſset Deum proferre teſtem falſitatis: quod eſse nequit, ut oſtenſum fuit Tom. I. Cap. 2. de Miraculis §. 1. num. 6.; atque hujuſmodi blaſphemiæ verbum, dignus oris tui fœtus, e calamo Auguſtini nunquam excidit, cujus verum dilemma eſt: *Aut enim non ſunt vera quæ dicuntur, aut ſi hæreticorum aliqua mira* (non ait *miracula*) *facta ſunt, magis cavere debemus.* En cauſam: *Quia cum dixiſſet Dominus, quoſdam futuros eſſe fallaces, qui nonnulla ſigna faciendo, etiam electos, ſi fieri poſſet, fallerent.* Aut ergo loquebatur de miraculis falſo evulgatis, aut de talibus, quę ſi facta erant, vera non erant, ſed falſa, aut meræ illuſiones, quales erant quæ a Paganis vulgabantur. Quamobrem Sanctus *ſomnia* ea dicit. Porro ad faciendam fidem articulis Bullæ Pii V. facta ſunt vera miracula. Ergo vera dogmata erant, non falſa, & hæreticus eſt id negans; & Eccleſia, quę oppoſitum ſentit, non vera eſt Sponſa Chriſti, ſed adultera, & meretrix impudica.

Sed finis jam eſt Operis. Ut autem finis reſpondeat reliquo Operi, ipſum Picenine comples mendaciis, ſatyriſque contra dicta quædam, & hiſtorias, quas Segneri in ſuis Panegyricis Sermonibus refert: quæ ego conſiderans, ne acta agam, tuam mordacitatem Chriſtiana moderatione contemno, & finem facio illa ſententia, qua D. Auguſtinus libros ſuos *de Trinit. lib. 15. cap. 28.* clauſit: *Domine Deus, una Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoſcant & tui. Si qua de meo, & tu ignoſce, & tui.* Qui ſincero, & Catholico animo Opus hoc revolverit, optimum ipſi erit D. Hieronymi monitum adverſus Luciferianos: *Verum quia jam multum ſermocinati ſumus, & prolixitas concertationis audientium ſtudia laxavit, brevem tibi, apertamque animi ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat. Sic ubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non a Domino Jeſu Chriſto, ſed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campitas* (dicam Lutheranos, & Calviniſtas). *ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam. Ex hoc enim ipſo, quod poſtea inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænuntiavit: nec ſibi blandiantur, ſi de Scripturarum capitulis videantur ſibi affirmare quod dicunt: quum & Diabolus de Scripturis aliqua ſit locutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo.* Utinam mihi contingat audire idem reſponſum a Luciferiano redditum D. Hieronymo: *Non ſolum te viciſſe exiſtimes; vicimus utrique, uterque noſtrum palmam refert, tu mei, & ego erroris. Utinam mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens, deſeram quod male tenebam.* Amen.

Finis II. Partis Tomi II. & ultimi Veræ Eccleſiæ Chriſti.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in hac ſecunda Parte Tomi ſecundi continentur.

A

Aron, ejus Sacrificium in quo differat a Sacrificio Chriſti. 186
Abgarus Rex, & an illi Chriſtus Dominus miſerit Epiſtolam, & ſuam Imaginem. 382
Abraham, ejus adoratio, quam Angelo præſtitis, non fuit mere civilis. 216
Abſolutio Sacramentalis, & diſtinctio Cajetani circa ipſam. 44
Abſurda a Picenino contra Tranſubſtantiationem adducta diluuntur. 101. & ſeq.
Accidentia in Euchariſtia eſſe ſine ſubſtantia non eſt monſtrum. 117
Adoratio duplex, abſoluta, & relativa. 233
Sanctorum, non eſt cultus idololatricus, ſed legitimus, & immaculatus. 223
Adoratio Hoſtiæ. 206
Aeneas Silvius multa dixit, & ſcripſit, quæ poſtea factus Pius II. retractavit. 86
Altaria habet vera Chriſti Eccleſia. 192
Angeli, eorum pro nobis interceſſio, & cuſtodia. 271
Angelus qui D. Joanni apparuit, cur ab illo noluerit adorari. 226
Antiquitas legis confitendi peccata. 35
D. Antonii veſtes quanti æſtimabantur. 205
Apoſtolis a Chriſto collata poteſtas remittendi peccata. 15. & ſeq.
Cur Chriſti non collegerint Reliquias. 301
Attritio ad quid ſufficiat. 9
D. Auguſtinus, ejuſque mens circa Confeſſionem Sacerdoti aperiendam. 36
Ejuſdem varia loca a calumniis Picenini vindicantur. 216
Nunquam favet, ſed ſemper circa Euchariſtiam Picenino adverſatur. 137
Ejus doctrinæ de cultu *Latriæ*, & *Duliæ*. 220
Cur damnet ſimulacra fingere. 370
Non adverſatur tamen Sacris Imaginibus. 376

B

Baptiſmus, & doctrina Catholica circa ipſum. 7
Barriera Petrus, qui ſtatuerat occidere Henricum IV., quomodo detectus. 12
Baruch, ejus liber Canonicus. 167
Contra Piceninum vindicatur ibid.
D. Baſilius, cur mulierem ab ipſo peccatorum veniam deprecantem rejecerit. 42
Beati in Cælo noſtras vident neceſſitates, preces audiunt, & quomodo. 252
Berengarius negavit primus realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia. 146
A pluribus Conciliis damnatus. 171
Ejus diſcipuli negarunt primi Tranſubſtantiationem. 147
Beryti Imago Chriſti ludibriis affecta, & quæ miracula per ipſam patrata. 379

C

Cajetanus, ejus diſtinctio circa abſolutionem. 44

Digitized by Google

Calvinus neceſſitatem Confeſſionis negat; judicat tamen utilem. 19
Quomodo Chriſtus in Euchariſtia ad nos deſcendat in ejuſdem ſententia. 122
Caſſander, ejuſque auctoritas. 315
Catechumeni de Pane Euchariſtico non participabant. 104
Panis de quo participabant, Eulogia dicebatur. ibid.
Characteres Sacrificii Miſſæ. 278
Chriſtiani antiqui quare non habebant Eccleſias. 325
Habebant vero ſacra loca ad divinum cultum deſtinata. 388
Apud ipſos non erant in uſu Imagines, & quare. 327
Chriſtus cum Joannis 6. dixit: *Qui manducat meam carnem*, loquutus eſt de Euchariſtia. 86
Chriſtus, ejus Nativitas abſque læſione puritatis Mariæ. 61
Chriſtus, ejus Sacrificium, & Sacerdotium in quo differat ab illo Aaronis. 186
Figuratum in Sacerdotio, & Sacrificio Melchiſedech. 196
Chriſtus erat adorabilis, & fuit adhuc vivens adoratus. 207
Quomodo ſit noſter Mediator. 251
Cives Norimbergæ dant ſupplicem libellum Carolo V., ut illis reſtituatur auricularis Confeſſio. 33
Conceptio SS. Virginis Mariæ, ejuſque dies feſtus. 241
Concilia, & Conciliabula in cauſa cultus Imaginum. 366
Concilia Tranſubſtantiationem fatentur. 166
Concilium Carthaginenſe III. a calumniis Picenini vindicatur. 244
Concilium Conſtantinopolitanum 338. Epiſcoporum, fuit Conciliabulum. 108
Concilium Francofordienſe. 364.365
Concilium Illiberitanum, ejus Canon 36. perpenditur. 361
Concilium Lateranenſe IV. vocem *Tranſubſtantiationis* excogitavit. 167
Concilium Nicænum II. favet cultui Imaginum. 354
Confeſſio, ejuſque antiquitas. 35
Hanc jugum importabile prædicat Picceninus. 39
Ab iniquis ejuſdem calumniis vindicatur. 48
Confeſſio peccatorum ex inſtitutione divina. 13
Probatur ex Traditione. 20
Ejus figura in Levitico. 19
Quæ ab antiquis Exomologeſis dicebatur, erat ſecreta. 24
Utilem illam judicat Calvinus. 18
Conſecratio, in illa quid importet pronomen *Hoc*, & *Hic*. 65
In ipſa Chriſtus non eſt figurate loquutus. 73. ad 85
Conſecratio Templorum, & Eccleſiarum. 390
Conſtantinus Baſilicas erigit, illarumque Dedicationem celebrat. ibid.
Conſtantinus Crucem adoravit. 372
Conſuetudo antiqua Eccleſiæ circa Euchariſtiam. 106
Contritio, quomodo ad Juſtificationem concurrat. 10
Converſio Panis in Carnem dicta ab aliquibus Patribus in Euchariſtia, non eſt accipienda pro mutatione qualitatis, ſed ſubſtantiæ. 150. & ſeq.
Corpus Chriſti quomodo ſit in Euchariſtia. 60
Crux Sanctiſſima, ejus adoratio vindicatur, & multiplicatio Reliquiarum ejuſdem. 358
Rationes ſuadentes eſſe adorandam. 333
Ejus Imago in Cælo Conſtantino apparuit. 370
Illam Conſtantinus adoravit. 372
Cultus abſolutus, & relativus. 385
Cultus, ejuſque objectum. 300
Latria, & *Dulia* quid ſit. 226.227
Cultus, & Tituli præſtiti SS. Virgini. 238
Cultus Imaginum antiquiſſimus. 345
Cultus Sanctorum antiquitas. 272
Non eſt idololatricus, ſed legitimus, & immaculatus. 223
D. Cyprianus favet reali præſentiæ Chriſti, & Tranſubſtantiationi in Euchariſtia, & ipſius Textus adducuntur. 153. & ſeq.
Cyprianus perditus Juſtinæ amator, ut refert Nazianzenus, an fuerit celebris D. Cyprianus. 184

D.

D. Cyrillus, miracula omnipotentiæ plurima ab ipſo relata. 57

D

Decalogi præceptum de ſculptilibus non faciendis, quomodo ſit intelligendum. 347. & 348
Eſt præceptum cæremoniale. ibid.
Dedicatio Eccleſiarum. 390
Definitio Sacramenti apud Catholicos. 1
Et apud Lutherum, & Calvinum. ibid.
Deum pingere non adverſatur Scripturæ. 316
Neque praxi Eccleſiæ. 318
Neque eſt contra ejus eſſentiam, & naturam. 317
Deus, ejuſque Imagines. 316
Differentia inter Gentium Idola, & noſtras ſacras Imagines. 335
Differentia inter propoſitiones metaphoricas, & figurativas. 165
Differentia inter Sacerdotium Chriſti, & Aaronis. 322
Differentia inter Sanctos Eccleſię, & Heroas Gentium. 237
Diſciplina Eccleſiæ cum ſimplicibus. 346
Diſcipuli Berengarii primi negarunt Tranſubſtantiationem. 347
Diſtinctio cultus qui poteſt præſtari Reliquiis alicujus Sancti. 229
Cultus abſoluti, & relativi. 385
Diſtinctio inter Idolum, & Imaginem. 350
Inter uſum Imaginum, earumque cultum. 361
Diſtinctio inter præceptum Confeſſionis, & tempus executionis ejuſdem. 22
Inter abſolutionem Sacerdotis, & Dei. 44
Dolor attritionis, ad quid ſufficiat. 9
Duliæ cultus, quid ſit. 226

E

Eccleſia Græca, etiam ſchiſmatica, non diſcrepat a Latina in puncto realis præſentiæ, & Tranſubſtantiationis. 174
Eccleſia habet poteſtatem remittendi peccata. 24
Eccleſia vera Chriſti habet ſuos Sacerdotes. 190
Et ſua Altaria. 192
Eccleſiæ diſciplina cum ſimplicibus. 346
Elias poſt ſuum raptum ſcripſit Epiſtolam Regi Joram. 258
Eliſeus, quomodo verificetur quod ejus cadaver prophetavit. 256
Encratitæ, eorumque ſecta. 71
D. Epiphanii ſententia circa Tranſubſtantiationem. 70. & ſeq.
D. Epiphanius, laceratio veli ab ipſo facta perpenditur. 373
Eſt non ſemper intelligendum pro *ſignificat*. 73
Evangeliſtæ non diſcrepant in materia Euchariſtiæ. 78
Euchariſtia, in ipſa ſenſus noſtri non judicant niſi de accidentibus. 53
Miraculum in ipſa eſt ſenſibus imperceptibile. 54
Non ſenſibus credendum, ſed Fidei. 56
In ipſa nulla intereſt contradictio. 59
Quomodo in ipſa ſit Corpus Chriſti. ibid.
Oſtenditur aliquibus ſimilitudinibus. 64. & ſeq.
Sententia D. Epiphanii de Tranſubſtantiatione. 70
In ejus inſtitutione Chriſtus non eſt figurate loquutus. 72. per totum §.
In quo ordine ſigni ſit. 100
Panis Euchariſticus non eſt nudum ſignum. 103
Olim mittebatur Epiſcopis abſentibus, & ſervabatur a fidelibus tempore perſecutionum. 106
Intra nos defert ipſum Chriſtum. 112
Quare Panis appelletur. 113. & ſeq.
Eſt adorabilis. 340
Cur adoretur. 343
Non dabatur Catechumenis. 104
Eulogia dicebatur Panis benedictus, qui dabatur Catechumenis. ibid.
Exomologeſis non ſolum dicebatur Confeſſio publica, ſed etiam ſecreta. 14

Fa-

F

Facundus Hermianenſis Epiſcopus Schiſmaticus. 145
Feſtum Conceptionis Virginis Mariæ. 241
Fides, in myſteriis totum eſt ipſi tribuendum, non ſenſibus. 56
Maxime in Euchariſtia. ibid.
Neque in ipſius myſteriis aliquid eſt tribuendum ideis naturalibus. 57. & ſeq.
Figura Confeſſionis habetur Levitici cap. 13. & 14. 19
Filius prodigus, ejuſque pœnitentia. 9
Forma Sacramenti Pœnitentiæ. 1. & ſeq.
Francofordienſe Concilium. 364

G

Galli, eorum errores de cultu Imaginum unde ortum habuerint. 354. & 367
Gelaſius non adverſatur Tranſubſtantiationi. 144
Geneva, ejus abuſus deteſtabiles, & deteſtati. 177
Gentiles cur idololatræ. 328
Gorgonia Soror Nazianzeni, miranda quæ illi infirmæ acciderunt. 164
D. Gregorius quo ſenſu de adoratione Imaginum ſit loquutus. 329
Gregorius II. non fuit rebellis Leoni Iſauro. 375
Ejus bellum contra Longobardos vindicatur. 385
Gregorius VIII. a calumniis Picenini vindicatur circa præſentiam Chriſti in Euchariſtia. 177

H

Hæretici culiores Imaginum. 325
Hæreticus formalis qui. 38
Henricus VIII., & ejus contra Sacras Reliquias furor. 302
Hermogenes Pictor cur a Tertulliano reprehenſus. 326
Heroes Gentium in quo differant a noſtris Sanctis. 237
D. Hieronymus vindicatur in iis quæ contra Vigilantium ſcripſit. 295
Hiramus præfectus a Salomone operibus ſculptilibus, qui. 380
Hoc, & *Hic* in conſecratione quid referant. 65
Hoſtia ſacratiſſima, ejuſque adoratio. 206
Cur adoretur. 210
Hoſtia ſi veneno inficeretur, ubi eſſet venenum. 110
Hugo de S. Victore, ejuſque compendioſa Confeſſionis doctrina. 46. 47
Hymni, eorum antiquitas, & Auctores. 275
Hyperdulia, cultus qui Beatiſſimæ Virgini tribuitur. 227

I

Iconoclaſtæ fuerunt Hæretici, & quæ eorum hæreſis. 374
Iconomachi non negant realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia, & Tranſubſtantiationem. 169
Jeremias mortuus Judæ Machabæo apparuit. 296
Jeſuitæ, eorumque innocentia cognita in Galliis. 58
Illiberitani Concilii Canon 36. expenditur. 36
Imagines Dei vindicantur. 316
Imagines pictæ a D. Luca. 370. & ſeq.
Imagines Sacræ, earumque cultus. 320
Præceptum Dei venerandi res ſacras. ibid.
Antiquitas cultus Imaginum. 323. & ſeq.
Tempore Apoſtolorum erat receptus, & probatus cultus earum. 324
Cur aliqui Imaginum cultores eſſent Hæretici. 322
Quare apud veteres Chriſtianos non eſſet publicus cultus Imaginum. 328
Quomodo D. Gregorius de adoratione Imaginum ſit loquutus. 328
Omnes Doctores Catholici conſentiunt quod debeant coli. 331
Ad quid immediate tendat illarum cultus. 331

In

In quo differant ab Idolis Gentium. 335
Earum cultus a cunctis Patribus probatus. 344
Qui ſenſus Præcepti Decalogi de non conficiendis ſculptilibus. 347
Imago Crucis,quæ Conſtantino apparuit. 370
Imago diſtinguitur ab Idolo. 350
Aliqua loca adducta contra cultum Imaginum explicantur. 353
Concilium Nicænum II.,quod Imaginibus favet, vindicatur. 354
Error Epiſcoporum Galliæ de cultu Imaginum unde ortus. 354
Diſtinctio inter uſum Imaginum, & cultum. 361
Tria Concilia coacta in negotio cultus Imaginum. 366
Imago in velo depicta quam scidit D. Epiphanius, & cur. 377
Imago propria a Chriſto miſsa ad Abgarum. 382.
Innocentii III. Decretum non eſt de neceſſitate, ſed de tempore Confeſſionis. 35
Intentio nunquam excuſat in opere intrinſece malo. 301
Invocatio Sanctorum, ejuſque antiquitas. 272. & ſeq.
Erat in uſu in veteri Teſtamento. 214
Antiquiſſima in Eccleſia. 215
Reſpicit Sanctos ut interceſſores apud Deum. 217
Commendata a priſcis Patribus. 210
D. Joannes Chryſoſtomus non adverſatur Confeſſioni ſecretę, ut a Picenino calumniatur. 29
Favet reali præſentiæ Chriſti in Euchariſtia, & aliquæ ejuſdem celebres auctoritates referuntur. 157. &ſeq.
D. Joannes, verba Chriſti cap. 6. ejuſdem, ſunt intelligenda de Euchariſtia. 86. & per totum. 1.
D. Irenęus Tranſubſtantiationem admittit. 133.
Judæ Machabæi viſio de Onia, & Jeremia. 269.
Judas Machabæus, & mortui qui illi apparuerunt. 269
Judas, quomodo a Chriſto ad Euchariſtiam admiſſus. 116. & 117
Julianus Apoſtata Cæſareæ Philippi ſtatuam Chriſti evertit, ejuſdemque loco ſuam imaginem collocat, & quid acciderit. 382
Juſtificationis duplex medium. 10
D. Juſtinus favet Tranſubſtantiationi. 133

L

Latria quid ſit. 217
Soli Deo convenit. 343.
Latrię adoratio debetur Hoſtiæ. 106. & ſeq.
Quomodo tribuatur Imaginibus Chriſti. 357
Leontius, ejuſque Dialogus. 340.
Lignum SS. Crucis, ejuſque adoratio, & multiplicatio. 332.
Limbus, & interceſſio Sanctorum in ipſo exiſtentium. 279.
Litaniæ, earumque antiquitas. 272. & 273.
Liturgia Æthiopica favet Tranſubſtantiationi. 68
Liturgia quid ſignificet. 202.
Liturgiæ antiquæ non negant adorationem Hoſtiæ. 212.
Favent invocationi Sanctorum. 221. & 222.
Locutiones figuratę ſunt duplicis generis. 95.
D. Lucas, & ejus picturæ. 378

M.

Magdalena non collegit Reliquias Chriſti, & quare. 302
Manducare carnem Chriſti intellectu Capharnaitico. 92.
Manducare carnem Chriſti ſpiritualiter, & ſacramentaliter, quid. 89
Maria Virgo, cultus, & tituli illi præſtiti. 238. & ſeq.
Feſtum Conceptionis ejuſdem. 241
Antiquitas ejus cultus. 274. 275
Etiam ante Concilium Epheſinum. 285
Maria Virgo, ejus intacta Virginitas in Nativitate Chriſti contra Piceninum vindicatur. 61
Martyres, eorumque ſepulcra prioribus ſeculis culta. 392.

Di-

Diſciplina Eccleſiæ circa eorum corporum ſepulturam . 294
Materia Pœnitentiæ . 1. & ſeq.
Ritualis, & ſubſtantialis, in ſententia Picenini quæ ſit . 3
Mediatio, alia redemptionis, alia interceſſionis . 246
Melchiſedech, ejus Sacrificium apertiſſima figura noſtri . 294
Memoria Baptiſmi non eſt remedium culpæ, ut perperam aſſerit Piceninus . 7
Miracula relata a D. Cyrillo Alexandrino . 57
Miraculum Imaginis Chriſti, quam Hebræi crucifixerunt . 378
Aliud Cæſareæ Philippi ob Imaginem Chriſti . 382
Aliud pariter Imaginis, quam Chriſtus miſit Abgaro Regi . ibid.
Miraculum in Gorgonia Sorore Nazianzeni infirma in inſtanti ſanitati reſtituta . 164
Miraculum Pueri Hebræi in ardentem fornacem projecti, & cur. 105
Miſſa eſt verum Sacrificium, ejuſque characteres . 178
Miſſa probatur ex Traditione . 198
Antiqua conſuetudo illam offerendi pro defunctis . 183
D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos illi favet . 184
Mortui, qui Judæ Machabæo apparuerunt . 269
Mos Scripturarum in enuntiatione temporum . 97
Myſteria Fidei non humanis rationibus metienda . 58

N

Natalius Epiſcopus ab Angelis verberatus, ejuſque Confeſſio. 23
Nativitas ſecunda, quę . 57
Nazianzenus miraculum refert, quod Soror ejus Gorgonia infirma impetravit . 164
Nectarius Epiſcopus, quod fecit circa Confeſſionem perperditur. 26
Novatus negat Eccleſiæ poteſtatem abſolvendi a peccatis . 31

O

Objectum cultus, quodnam ſit. 310
Objectum formale immediatum Religionis, quodnam ſit. 234
Origenes admittit Tranſubſtantiationem . 145

P

Panis a Chriſto promiſſus, fuit Eucharisticus . 88
Panis conſecratus eſt ſignum Corporis Chriſti, non vacuum, ſed ſignum, quod non tantum repræſentat, ſed continet . 154
Panis Euchariſticus non eſt nuda figura . 103
Cur Panis vocetur Euchariſtia. 114
Non dabatur Catechumenis. 104
Quo Pane ipſi participarent. ibid.
D. Paulus Apoſtolus, & virtus ſudariorum ejus . 206. 207
D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos favet Miſſę . 184
Paulus Sarpi, ejus auctoritas in materia Religionis nullius ponderis . 286
Penetratio corporum . 60
Pereſius Epiſcopus, ejuſque auctoritas a Picenino pro ſe adducta, antiquitatem invocationis Sanctorum probat . 279
Perſona ſola eſt objectum cultus . 310
Philippus Imperator, ejuſque Confeſſio . 24
Picturæ & Illiberitani Concilii mens Can. 36. circa ipſas . 361
Cur in Hiſpania prohibitæ . 363
Pius II. multa retractavit, quæ dixerat, & ſcripſerat ante Pontificatum . 86
Pœnitentia, ejuſque materia, & forma . 1
Eſt Sacramentum ſicut cetera. ibid.
Inſtitutum per modum Judicii, ejuſque materia proxima, & remota . 2
Eſt Sacramentum a Baptiſmo diſtinctum. 5
Diſtinguitur a publica pœnitentia . 8
Pœnitentiarius a Nectario expunctus. 26
D. Polycarpus, & cultus ejus cineribus præſtitus . 298
Poteſtas abſolvendi eſt apud Sacerdotes . 40. & ſeq.
Poteſtas remittendi peccata a Chriſto collata Apoſtolis . 15

Præ-

Præceptum Decalogi de non conflandis Imaginibus, quomodo ſit accipiendum. 347
Eſt Præceptum cęremoniale. ib.d.
Præceptum Dei venerandi res ſacras. 121
Præſentia realis Chriſti in Euchariſtia. 146
Hanc primus negavit Berengarius. ibid.
Probatur a Patribus. 156
Illam fatetur etiam Eccleſia Schiſmatica. 174
Propoſitiones metaphoricę, & figurativæ, earumque differentia. 165
Prudentia Eccleſiæ. 346
Puer a Patre Hebræo in fornacem projectus, & cur. 105

R

Ratio naturalis non poteſt ſuadere Myſteria Fidei. 58
Regulæ ad dignoſcendum ſenſum tropicum, & figuratum. 97
Reiteratio Sacrificii Miſsæ vindicatur. 185
Non eſt argumentum inſufficientiæ in Sacrificio. ibid.
Religio, eiuſque objectum formale, & immediatum. 234
Reliquię Sanctorum vindicantur. 288
Teſtamenti veteris. 290
Earum cultus ſpectat ad diſciplinam, & ad ritum. 291
Antiquitas illarum cultus. 295
Primus furor Henrici VIII. fuit contra ſacras Reliquias. 292
Horrenda contra ipſas ab Hæreticis, & Gentilibus comm.ſſa. 292
Non minora a Calviniſtis, expugnata Aurelia. 293
Diſciplina Eccleſiæ circa Corpora Martyrum. 301
Chriſtus ipſe Reliquiarum fidem commendavit. 296
Cultus Reliquiarum non eſt idolatricus. 304
Veritas, & falſitas Reliquiarum. 309
Poteſt tribui cultus verus Reliquię falsæ. 310
Quid geſſerit Caſſander circa Reliquias. 316
Remiſſio peccati non eſt pura annuntiatio remiſſionis. 14
Rogationes ſtatum ſuum, & formam debent D. Mamerto Epiſcopo Viennenſi. 273
Romani antiqui, eorumque idololatria. 327

S

Sacerdotes, eorumque auctoritas abſolvendi. 40. & ſeq.
Et hoc tanquam Dei delegati. 41
Sacerdotes ſuos habet vera Eccleſia. 190
Sacerdotium Chriſti, & Aaronis, in quo differant. 186
Sacræ Sindonis vindiciæ. 382. 383
Sacramenta ſunt media per quæ ad nos defluit Sanguis Jeſu Chriſti. 46
Sacramentum, ejuſque definitio per nos. 2
Ejuſdem definitio Calvini, & Lutheri. ibid.
In quolibet Sacramento adeſt ſignum ſenſibile. 3
Sacrificium Altaris etiam ipſi Proteſtantes fatentur. 188
Sacrificium Melchiſedech eſt figura noſtri Sacrificii. 192
Sacrificium Miſſæ, ejuſque characteres. 178
D. Paulus in Epiſtola ad Hebræos favet Miſſæ. 184
Sacrificium Miſſæ fundatur in novo Teſtamento, & probatur Traditione. 199
Sacrificium propitiatorium quodnam ſit. 203
Samuel qui Sauli apparuit, fuit verus Samuel. 256
Sancti, de eorum cultu quomodo ſentiat Curcellęus, licet hæreticus. 341
Eorum ſepulcris cultus pręſtabatur a primis fidelibus. 292
Sancti, eorum invocatio in uſu in Teſtamento veteri. 214
Illos invocare eſt mos antiquiſſimus Eccleſiæ. 215
Invocantur non tanquam principales, ſed ut interceſſores. 217
Illorum invocatio commendata a priſcis Patribus. 219. & ſeq.

Illo-

Digitized by Google

Illorum cultus non idololatricus, ſed legitimus, & immaculatus. 223
In quo differant ab Heroibus Gentium. 237
Vident noſtras neceſſitates, & preces audiunt, & quomodo. 253
Sancti in Limbo interceſſores. 270
Antiquitas illorum cultus, & invocationis. 272. & ſeq.
Eorum Reliquiæ vindicatæ. 294
Sancti Patres, qui favent præſentiæ reali Chriſti in Euchariſtia. 156
Scabellum pedum Dei quodnam ſit. 140
Scriptura, ejuſque mos in enuntiatione temporum. 97
Senſus quomodo judicent. 52
Quid interſit inter judicium ſenſuum in Reſurrectione, & Euchariſtia. 53
Senſus tropicus, & figuratus, & regulæ ad recte illos dignoſcendos. 97
Sepulcra Martyrum, & antiquitas illorum cultus. 393
Sepulcra Sanctorum, & antiquitas cultus illorum. 392
Sepulcrum Chriſti, ejuſque perpetuus cultus. 166
Similitudines, earumque natura, & quomodo ſint accipiendæ. 110
Stephanus. V. Curcellæus.
Sudaria D. Pauli, eorumque virtus. 296
Sudarium a Sindone diſtinctum. 385
Sudarium Chriſti vindicatur. 382
Supplicationes, earumque antiquitas. 275

T

Templa, & Eccleſiæ erant etiam Apoſtolorum temporibus. 388
Illorum conſecratio. 390
Tertullianus favet Tranſubſtantiationi. 134
Tituli auguſtiſſimi Virgini SS. tributi. 235. & ſeq.
Traditio favet Confeſſioni. 20. & ſeq.
Tranſubſtantiatio non eſt ſenſuum objectum. 52
Rationi naturali non repugnat. 57. & ſeq.
Multo minus Scripturæ, & oſtenditur ex verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus. Hic eſt ſanguis*. 65. & ſeq.
His verbis Chriſtus non eſt figurate loquutus. 72. & per totum ſ.
Eſt opus omnipotentiæ. 108
Ab abſurdis a Picenino excogitatis vindicatur. ibid. & ſeq.
Admittitur a Sanctis Patribus Juſtino, & Irenæo, cum Tertulliano, & Theodoreto. 132. & ſeq.
A diſcipulis Berengarii primum negata. 142
Ex SS. Patribus probatur. 160. & per totum ſ.
Concilia favent illi. 166. & per totum ſ.
Ab Iconomachis non negatur. 168. 169
Nec a Græcis Schiſmaticis. 174

V

Venenum, ſi Hoſtia illo inficeretur, ubinam eſſet. 110
Veneratio exhibenda eſt rebus ſacris ex præcepto divino. 320
Vera Dei Eccleſia habet ſuos Sacerdotes. 190
Et ſua altaria. 192
Verba Chriſti Joannis 6. *Qui manducat meam carnem*, ſunt intelligenda de Euchariſtia. 86
Et per totum ſ. probatur.
Vigilantius, & quid egerit, ejuſque hæreſes a D. Hieronymo impugnatæ. 305. ad 309.
Virgo SS., ejuſque cultus, & tituli illi præſtandi. 238
Antiquitas ejus cultus. 274
Etiam ante Concilium Epheſinum. 285
Vitulus ab Iſraelitis adoratus fuit idolum. 212
Ejus adoratio idololatria. 337
Vox Tranſubſtantiatio invenia in Concilio Lateranenſi IV., Homouſion in Nicæno I., Deipara in Epheſino. 167

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google